IN NOMINE SANCTISSIMÆ

TRINITATIS,

SENTENTIÆ MORALES CONSCIENTIÆ DIRECTIVÆ

Tum ex Angelici Doctoris Diſcipulis, tum ex alijs Theologis deſumptæ.

ET

In Quatuor Libros diſtinctæ.

AVTHORE.

F. FERDINANDO Ochm, vulgo IANVSZOWSKI, S.T.M. Ordinis Prædicatorum.

Acceſſerunt in hac ſecunda editione, præter breues additiones, ſc: de non alienandis Regularium bonis, de paupertate Religioſa, de commutatione votorum, de non ambigendis inter Religioſos officijs, de non aggrauandis per Viſitatores locis viſitatis, examen Ordinandorum & Sententiæ, tum ab Alexandro VII. *tum ab Innocentio* XI.

DAMNATÆ.

Superiorum permiſſu.

CRAC: Typis NICOLAI ALEXANDRI Schedel, S. R. M. Ord. Ty-

Anno Domini, M. DC. IX. IV.

DEO
Ter Optimo Maximo,

Nobilissimo SSmæ. TRINITATIS Triclinio,
Immaculatæ Virgini Matri MARIÆ.
Trinæ Cœlestium Spirituum Hierarchiæ.
Magno Redemptoris Præcursori, Monacho & Eremitæ.

S. IOANNI BAPTISTÆ

Sacro Apostolorum & Euangelistarum, Sanctorum Patrum Ecclesiæ Doctorum, Aliorumque Sacræ legis Professorum Collegio.

Sancto BENEDICTO.

In tot summis Pontificibus. Eminentissimis Cardinalibus. Patriarchis. Archiepiscopis. Episcopis. Sanctis Patribus. Viris Apostolicis, qui fidei lumen, varijs mundi partibus, inuexerunt. Religiosarum Congregationum Fundatoribus. Theologiæ & Sacrorum Canonum Professoribus. Ecclesiæ militantis Atlanti.

Sanctis, RVMVALDO BRVNONI & BERNARDO.
Omnibus Sanctis.

Fr. FERDINANDUS OCHM vulgo IANVSZOWSKI Ord. Prædicatorum, in signum profundissimæ submissionis offert.

Obligatio tradendæ Theologiæ Moralis.

CLEMENS VIII. In decretis pro reformatione Regularium.

LEctio Sacræ Scripturæ vel casuum conscientiæ bis in hebdomadâ, præscriptis diebus, in singulis Monasterijs & Conuentibus habeatur, ad quam fratres omnes conueniant, eâq; absolutâ mutuâ collatione circa explicatam doctrinam se se vtiliter exerceant. Cui, vt patet ex ly *explicatam*, non satisfit per lectionem ad mensam. Et quidem hæc necessariâ, cùm ignorantiâ, negligentia, conniuentiâ Confessariorum totus mundus pereat, ait IOANNES CORRADVS. Et sic si qui ex reprobis regunt animas, talium numerum ingrediuntur mali Confessarij. Tridentinum verò sess: 5. c. 4. iniungit Episcopis vt compellant remedijs opportunis (v. g excommunicatione secundùm Rodriques to. 2. qu. 130. ar. 2.) Abbates si in suis Monasterijs non habeant lectionem Sacræ Sripturæ. Huic decreto satisfit si habeatur lectio Theologiæ Scholasticæ vel Moralis,ut docet idem Rodriques loco cit; & Peirinis tomo 1. Priuilegiorum Minimorum in Constit: 2. Iulij 11.

MONITIO.

1. L. 1. in fine dist: de Vsura, LVDOVICVS LOPES &c. non spectant ad complementum monitionis ibi positæ, sed ad cõplementum resolutionis quæsiti, vbi ponitur, ly LVDOVICVS LOPES, sine sensu perfecto.

2. Declarationem S. Congregationis l. 2. dist: 47. conc. 7. non esse authenticam ait Tamburinus apud Gobat tr. 3. de Sac: n. 651. consequenter si non exprimitur in concessione Apostolica debere esse Missam *de Requiem*, potest alia legi securiùs, dum non celebrantur duplicia ponendam collectam de defunctis. Dixi, *si non exprimitur*, nam si exprimitur, necessariò dicenda Missa *de Requiem*. Dicere autem hæc verba poni, non significando necessitatem sed scribendi antiquam formam, est dicere Romanas expeditiones incautè expediri, quod DEVS auertat.

3. Dum lect. 2. dist: 66. conc. 6. in resp. ad arg. videor fauere subditis stante probabili sententiâ, sed in sententia aliorum loquor, tum quia 2. resp. pono, tum quia propriam sententiam in 4. dist: 6. conc. 8 exprimo.

4. Licet frequentia transgrediendi constitutiones Religiosas ad nullum peccatum obligantes non arguat ex se mortale vt docui in 4. d. d. 3. conc. 5. timendum tamen valdè propter periculum contemptûs saltem interpretatiui. Qui tunc est, quando transgressores continuò & quâvis occasione habitâ liberrime transgrediuntur Regulam & Constitutiones, cum nullaa ut friuola ratione, & in huiusmodi transgressionibus perseuerant, per hebdomadas, menses &c. & hoc subinde aduertentes, neq; cogitant, neq; curam aliquam habent de emenda tales vivunt in statu valde periculoso & proxima dispositione ad formalem contemptum, quin imò in tali transgrediendi modo reperitur interpretatiuus seu virtualis contemptus ac consequenter peccatum (intellige mortale) & continuò

ſunt in malo ſtatu. Ita P. PETRVS DIERKENS O. N. de obligationibus Regulæ & Conſtitutionum c. 7. §. 2. cum DIONYSIO Carthuſiano de Reformatione Clauſtrali Cap. 6. ibi,

Quamuis multa contineantur in Regulis & Statutis Religioſorum ad quæ non tenentur de neceſſitate præcepti, ita quòd ſtatim peccent mortaliter, quando in aliquo fuerint negligentes, vt eſt obſeruantia ſilentij, ſurgere alacriter ad matutinas, otioſitates vitare, inutiliter hinc & inde diſcurrere, atq; ſimilia. verum conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, neq; emendare non poteſt à mortali peccato excuſari (ſc. propter contemptum ſaltem virtualem) propterea Religioſi deformati, inquibus parua, aut nulla eſt rigoris aut diſciplinæ obſeruantia, qui carnaliter aut ſenſualiter viuunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt, otioſitati & loquacitati vacantes, in innumerabilia prorſus incidunt vitia & peccata, non venialia tantùm ſed & mortalia, imò tota illorum vita eſt quaſi peccare continuum, præſertim quia & hæc ipſa bona quæ agere videntur tam negligenter, irreuerenter & tepidè tàm inordinatè atq; indebitè agunt, vt magis ſit offenſiuum DEI quam bonoratiuum ac reconciliatiuum ipſius. Tales enim qui in fæcibus ſuis iugiter manent, qualiter confitentur? qualiter celebrant? Qui ſe in nullo emendant, imò de multis quæ mortalia ſunt, nullam ſibi conſcientiam facere comprobantur. Hæc ille vir quem Card: Bellarm. de ſcript. Eccleſ. Doctiſsimum ac Sanctiſſimum vocat.

Probat P. PETRVS Dierkens l. c. cap. 7. §. 2. Nam contemptus eſt voluntaria ſine cauſa continuata legis tranſgreſſio. Ita P. Mag PETRVS Martyr. in Summario N. N. Conſtitutionum p. 2. c. 21. de contemptu refert ex diuerſis, hoc autem reperitur in præfatis tranſgreſsoribus. 2. Quia tales tranſgreſſores per liberum illum tranſgrediendi modum ſine cauſa continuatum oſtendunt ſe nihili facere Regulam & Conſtitutiones, & oſtendunt eandem prauam diſpoſitionem, quam habent qui formaliter contemnunt, ſolùm differunt qui hi apertè & peiori modò faciant, quod illi faciunt implicitè. ponunt idem obſtaculum tendentiæ ad perfectionem, & ſunt proximè diſpoti ad formalem contemptum. quia ſi tales ſeriò moneantur, obuium eſt vt reſpondeant, non curo nolo aliter facere. parum vel nihil eſt hoc. Dices S.Th. 22. qu. 186. ar. 9. ad 3. dicit, quòd frequentia peccati diſpoſitiuè inducat ad contemptum. ergo in non dum eſt contemptus. ℟. S. THOMAM ibi loqui de contemptu formali ut patebit legenti.

Si verò tranſgreſſores ex conſuetudine dum ſubinde aduertunt ſuum irregularem modum viuendi doleant de illo & proponant ſe emendare & vtcunq; conantur, quàmuis valde periculoſum ſit ita viuere, puto tamen in illo (ait citatus P. PETRVS) non contineri virtualem contemptum. Quia contemptus tollitur per pœnitentiam & emendationis propoſitum, ſiue per hoc quòd iudicent ſe malè facere quando aduertunt continuas ſuas tranſgreſſiones & ita implicitè dolent. quocirca talis viuendi modus videtur pertinere ad fragilitatem humanam & nondum pertinere ad contemptum. Ratio eſt. Quòd quando tranſgreſſor aduertens irregularem ſuam conſuetudinem, iudicat ſe malè facere, & dolet & conatur

natur subinde ad emendam; signum est quòd etiam practicè adhuc æstimet suam Regulam & Constitutiones, ac proinde nondum interueniat contemptus, tametsi frequenter transgrediatur.

5. Priuilegium Eugenij IV. (de quo in 4. dist: 11. conc. 4.) conceditur P. P. Benedictinis Vallisoletanis, & sic restingitur ad determinatam Congregationem & sic propriè communicatur. Contrarium dicto Priuilegio præsumentes facere excommunicantur excommunicatione Papæ reseruata.

Index rerum in his quatuor Libris contentarum.

Prior numerus librum, posterior, distinctionem indicat.

prædi-

L.

M.

N.

O.

P.


R.

Recla-

Copiosiorem indicem ne requiras, ipsum enim opus est index Sententiarū. Adde, habendo vniuersalem, facile particularia reperies.



Facultatem Ordinarij & Ordinis. Approbationem Ordinarij & Theologorum Ordinis vide in prima editione.



SEN-







SENTENTIÆ MORALES.

PROLOGVS, DE CONSCIENTIA.

DISTINCTIO I.

Quid & quotuplex Conſcientia, & an voluntas conformari debeat, quàmuis erranti?

DIco 1. Conſcientia eſt *actus intellectûs practici, qui dictat de bonitate vel malitia eorũ, quæ agimus, vt ſunt à nobis hic & nunc.* Diſtinguitur à ſcientia. Quia hæc de bonitate & malitia morali actionis ſecundùm ſe & abſolutè dictat, conſcientia verò de bonitate vel malitia actionis vt eſt à nobis hîc & nũc. Non intelligitur in præſenti nomine ſcientiæ ſcientia propriè accepta, prout tantùm eſt verorum, ſed ſcientia latè accepta, quatenus omne quod nouimus ſcire dicimur. Diſtinguitur etiam conſcientia a ſynderesi, quia ſynderesis eſt lumen habituale & manens à natura ſeu authore naturæ menti inditum, quo clarè prima principia practica in ſe ipſa cognoſcuntur. v. g. bonũ eſt faciendũ, malũ fugiendum, &c.

Dico 2. Diuiditur conſcientia. Primò ex parte objecti in veram & falſam, ſeu in rectam & erroneam. hæc judicat id faciendum, quod non faciendum. illa, ſcilicet, recta, judicat faciendum id, quod eſt faciendum. Secundò ex parte actûs diuiditur in certam, probabilem, dubiam & ſcrupuloſam. Certa, abſq; formidine judicat, hoc eſſe bonum vel malum. Probabilis, vni parti adhæret cum formidine alterius. Dubia, nulli parti adhæret, ſed ſuſpendit judicium. Scrupuloſa, vni quidem parti adhæret, cum timore oppoſitæ, & oritur ex leui fundamento.

Quia tamen conſcientia certa reducitur ad veram (firma enim adhæſio falſo, non eſt certitudo ſed error) ideò abſolutè loquendo dici poteſt, conſcientiam eſſe quintuplicem, ſcilicet, rectam, erroneam, probabilem, dubiam & ſcrupuloſam.

Dico 3. Sicut conſcientia recta, ita & erronea obligat ad non contrauenien-

dum, aliàs contrauenienspeccat. ita D. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. & communiter. Probat Opat. super locum citatum. Omnis peccat eo, de quo scit, quod Deo displicet. Sed qui facit contra conscientiam erroneam, putat se Deo displicere in eo. Ergo peccat in eo. Ergo conscientia, quàmuis erronea obligat. Exemplificat, idem doctissimus Theologus & magnũ celeberrimæ Academiæ Cracouiensis decus. Sicut reus Majestatis est, non solùm ille, qui verũ Regem percutit, sed etiam qui percutit illum, quem putat Regem. Ita non solùm ille æternæ majestatis est reus, qui dictamen rationis, legem Dei promulgans violat, sed etiam qui idem dictamen spernit, tanquam legem Dei, licèt non sit, dum putat esse.

Quæritur. Cùm conscientia erronea obliget, quale erit peccatum contra eam facere? ℞. tale, quale conscientia erronea dictat. v. g. si dictat quòd in Ecclesia spuere sit mortale, est mortale. Quia agens in tali actione vult tale peccatum committere.

Aduerte. Si conscientia erronea dictat in genere, aliquid esse peccatum, non determinando sitne mortale vel veniale, judicandum est ex malo sub quo illud ponit conscientia erronea. item ex grauitate & necessitate materiæ. Si ex his non constat esse mortale, pro veniali habendum, docet M. Serra supra locum D. Th: cit: referens Nauarrum.

Dices contra 3. Conc. Ex ea sequi conscientiam aliquando obligare ad peccatum ℞. nullum esse inconueniens asserere conscientiam erroneam per accidens obligare ad peccatum, inquantum ignorans vincibiliter, sibi proponit vt præceptum, quod est prohibitum. ita S. Th: in 2. d. 39 q. 3. a. 3. ad 1.

DISTINCTIO II.

De Conscientia probabili.

NOta. Fundamentum, quo innititur opinio est duplex, intrinsecũ & extrinsecũ. Intrinsecum sunt rationes probabiles. extrinsecum, authoritates virorum in ea materia peritorum. Ex his alij sunt classici, alij protelarij. Classici censentur, qui multùm in tali materia versati, timoratæ conscientiæ, discurrentes egregiè, atque suas sententias solidis rationibus communientes. Protelarij sunt inferiores.

Dico 1. Secundùm opinionem fundamentaliter probabilem licet vnicuique agere. Quia ad bonitatem actûs, non requiritur certitudo de illius honestate. Aliàs cùm certitudo raro habeatur, raro posset poni operatio. Dixi *fundamentaliter.* Nam si probabilitas sit tenuis, secundùm eam operari non licet, vt determinauit Innocentius XI. Sequentem damnando. *Generatim, dum probabilitate, siue intrinsecâ siue extrinsecâ, quamuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Dico 2. Licet sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori & tutiori, ita M. Marcus Serra referens Syluestrum & Panormitanum. Bonacina citans communem. Si non agatur de irreuerentia & inualiditate Sacramenti, damno proxi-

&mi,

mi, & ſit ſententia in praxi probabilis. Sunt enim aliquæ ſententiæ tantùm ſpeculatiuè probabiles, potiùs ad oſtentationem ingenij, quàm ad vtilitatem Eccleſiæ. Noſtræ concluſioni non aduerſatur Caietanus, & alij antiqui graues Theologi, vt probat M. Serra. Dixi, *ſi non agatur de irreuerentia Sacramenti &c.* ne ſic contradicam determinationibus Innoc: XI. inter 65. propoſitionem primam & ſecundam damnantibus. Ratio conc. Nam qui juxta opinionem probabilem operatur, non temerè ſed prudenter operatur, etiamſi talis opinio non ſit probabilior & tutior, modò excludatur irreuerentia Sacramenti, damnum proximi &c. vt fuſiùs 1. 2. noſtram ſententiam tenentes probant.

Dico 3 In adminiſtratione Sacramentorũ, etiam licitum eſt, omiſſo eo quod tutius eſt, ſequi opinionem probabilem, aſſerentem ſic vel ſic validum fieri Sacramentum, ſi tamen Eccleſiæ praxis & conſuetudo id permittat. Ita M. Serra. Sic enim periculum & irreuerentia Sacramenti, interpoſitione Eccleſiæ cauetur. Et ſic licitum eſt ſequi opinionem probabilem, aſſerentem contra. P Konich & alios, non requiri vt dolor præcedat confeſſionem, quia talis vſus eſt Eccleſiæ, praxi Confeſſariorum declaratus.

Dico 4. In adminiſtratione Sacramentorũ etiam licitum eſt, omiſſo eo quod tutius eſt, ſequi opinionem probabilem, ſupplente Eccleſiâ defectum. M. Serra. Gibbon & alij. Vnde Innoc: X . damnando propoſitionem primam , ſolûm intendit in adminiſtratione Sacramentorum non licere ſequi opinionem probabilem relictâ tutiori, quando Eccleſia defectum non ſupplet. Declaratur. Nam circa juriſdictionem Sacerdotis ad abſoluendum à peccatis multæ ſunt opiniones, è quibus eſt, in articulo mortis ſimplicem Sacerdotem poſſe abſoluere à peccatis, præſente approbato, vt ſentit Mendoza & alij, hanc autem & ſimiles licitum eſt ſequi, licèt ſit tutius pœnitentem in articulo mortis ab approbato abſolui. Dato enim ſimiles opiniones reipsâ eſſe falſas, ſtante tamen opinione probabili Eccleſia confert poteſtatem, vt docet Moſcicenſis in Appendice ad Tyroc: S. Artis Pænitentiæ, eſtq; communis.

Dico 5. Licitum eſt relictâ ſuâ opinione probabiliori & tutiori, ſequi aliorum minùs probabilem, minuſque tutam (licet rationes contrarias ſoluere nequeat) dummodò credat eam verè eſſe probabilem. Moſc: 3. p. Tyroc: C. 2. Bonac: & multi alij. Intelligitur concluſio cum limitationibus in ſupradictis concluſionibus expreſſis Nam ſic procedens non ſe exponit periculo peccandi. cùm prudenter operetur, ſequitur enim judicium prudentum. Immo Confeſſarius nõ ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur ſequi opinionẽ alienã, ſcilicet, pœnitentis, relictâ propria probabiliori & tutiori. M. Soto in 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad 5. &alij.

Dico 6. Non licet Medico ſequi quamlibet opinionem probabilem, quando eſt controuerſia an medicamentum proſit, vel grauiter noceat, ſed quod tutius ſequi tenetur. Si tamen ſalus ægri deſperata, nec habeatur medicamentum certum, non peccat Medicus exhibendo medicamentum probabile, ſtante opinione probabiliori, quod nocebit. Item quando cauſa tantùm probabilis, non licet Regi infer-

gi inferre bellum, relictâ probabiliori & tutiori. judex etiam debet ferre sententiam juxta probabiliora & tutiora. Vnde sequens, vt jacet ab Innoc: XI. est damnata. *Probabiliter existimo iudicem posse judicare juxta opinionem etiã minùs probabilem.* Agitur enim de graui damno proximi. Et in his vel similibus casibus locum habet illud, *in dubio tutior pars eligenda.* Debitor tamen relictâ probabiliori & tutiori, licitè sequitur minùs probabilem. Gibbon. Quia melior conditio rem possidentis. Et aliàs valde durum, se aliquâ re spoliare ante sententiam judicis. Immo aduocatus licitê patrocinatur quando res est dubia. Syluester. v. Aduocatus. Quia officium Aduocati est solùm proponere, quæ sui clientis ius confirmare possunt, quod in causa dubia non est illicitum, sed juuat vt à judice causa meliùs examinetur.

Q. V. sit idem esse opinionem probabiliorem & tutiorem? ℟. quòd non. Potest enim esse minùs probabilis & tamen tutior, quàm illa quæ est probabilior. Nam tutior est, cui nullum inest periculum peccati, minùs tuta, cui inest periculum. v. g. dubitatur de emisso voto, & facto sufficienti examine, non deuenitur ad notitiam facti voti, affirmatiua, quòd teneatur voto est tutior & tamen minùs probabilis. Et hæc (scilicet tutior) sufficit, & debet esse dum agitur de valore Sacramentorum, vt vult Innoc: XI. damnando inter propositiones 65. propositionem primam. Item dum agitur de graui damno proximi. Si tamen sententia fauens valori Sacramentorum non sit adeo probabilis, secundùm eam post factum, non agendum, hinc à sacrilegio non excusaretur, qui casu vinum congelatum consecraret, & liquefactum reconsecraret.

Qu: 2. Vnus author faciat sententiam probabilem? ℟. circa hoc Alexander VII. sequentem vt jacet damnat. *Si liber sit alicuius Iunioris aut moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat reiectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem.* Puto tamen (& sic saltem accipiendus est Mosc: Filliucius & Merolla) si sit classicus, vt supra classicus est descriptus, nec perfunctoriê rem tractet, facit sententiam probabilem. Nec tamen sic author facit, quàm ratio.

DISTINCTIO III.

De Conscientia Dubia:

NOta ex Cajetano t. 1. Opusc: tr. 31. Dupliciter posse de bonitate vel malitia actionis dubitari, scilicet practicè & speculatiuè. Speculatiuè dubitat, qui de bonitate vel malitia actionis secundùm se dubitat. Practicè, vt hic & nunc operandum. vt autem conscientia dubia dicatur, non sufficit dubitare speculatiuê, quia conscientia dicit applicationem cognitionis ad opus.

Nota 2. Potest esse dubium practicum & non speculatiuum. v. g. putatur aliquis contractus licitus, dubitatur tamen an hic & nunc possit practicari eò quod nonnulli viri docti & timorati oppositum sentiant. E contra, potest esse dubium speculatiuum & non practicum, v. g. dubitatur propter rationes ex vtraque

què parte ſolidas, an aliquis contractus ſit licitus, practicatur tamen, eò quòd ſic communiter fiat à viris doctis & timoratis.

Dico 1. Quando conſcientia eſt dubia de bonitate vel malitia operis exercendi, ſtante dubio & non depoſitio, tutior pars eſt eligenda. Niſi enim tutiorem partem ſtante & non depoſito dubio, eligas, periculo peccandi te exponis, & ſic peccas. Sicut qui dubitat an aliquid amico diſpliceat, ſtante tamen dubio operatur, amicum offendit.

Dico 2. Quando dubitatur, an ſit latâ lex aliquid præcipiens vel prohibens, aut pro aliquo pœnam conſtituens v. g. irregularitatis. excommun: &c. & ſufficiens de inquirendâ lege diligentia adhibetur, ſecundùm communem ſententiam non eſt obligatio ſequendi partem tutiorem, & ſic non eſt obligatio talem legem ſeruandi vel ſe gerendi, quaſi eam violaſſet & pœnam incurriſſet. *Nam in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.* Dum autem eſt dubium an lata ſit lex aliquid præcipiens vel prohibens, aut pro aliquo pœnam conſtituens, libertatem à tali lege poſſidet homo, & ſic non tenetur eâm ſeruare, nec ſe gerere acſi pœnam illius incurriſſet. v. g. irregularitatis, excommun: &c. intelligenda eſt concluſio, ait M. Serra in 1. 2 q. 19. etſi dubitans magis inclinet in eam partem, quòd ſit lata lex. Idem colligo ex Bonac. t. 2. d. 2. q. 4 p. 7.

Dico 3. Idem ob eandem rationem ſentiendum, quândo poſt ſufficientem diligentiam dubitas, an votum emiſſum, vigeſimus primus annus ad ieiunium requiſitus completus, ân adſit impedimentum matrimonium dirimens, an conditio, ſub qua excommunicatio lata, adimpleta, an talia verba contineant excommunicationem, ſi cras jeiunium, an duodecima audita, & ſic potes partem tibi fauentem ſequi. Hæc apud Bonac. l. c. & alios reperies. Immo idem ſolet doceri, ſi ſcias quidem te votum. v. g. caſtitatis emiſiſſe, ſed poſt ſufficientem diligentiam dubium, an perpetuæ, non teneris ad perpetuam.

Dico 4. Nonnulli præfatam doctrinam extendunt, dum poſt ſufficientem diligentiam dubitatur, an lex ſit recepta, vel abrogata. Quia poſſeſſio ſtat pro libertate ſubditorum & non pro lege. lex enim non poſſidet niſi per acceptationem & non abrogationem, de qua in noſtro caſu non conſtat.

Dico 5. Prædicta doctrina non eſt extendenda, licèt poſt ſufficientem diligentiam dubites, an excommunicatio ſit juſta, quia ſic ferè omnis eluderet excommunicationem. an ſis abſolutus. quando dubitatur, an pro Subdiaconatu 22. inchoaueris. quando die ieiunij dubitatur, an ſit 12. noctis, vt liberè carnibus veſcaris. an ſatisfeceris voto, an vſum rationis habueris, faciendo, v. g. votum ſeptennio completo. Quia in prædictis caſibus eſt poſſeſſio pro excommunicatione, præcepto, ieiunio, voto & vſu rationis.

Dico 6. Quando certum eſt à lege conſtitutam eſſe pœnam, v. g. excommunicationis &c. & de tranſgreſſione poſt ſufficientem diligentiam dubitas, licitum eſt ſequi partem tuæ libertati fauentem. Bonac. l. c. & alij. Idem tenet Diana t. 2. tr. 4. de Sacr. reſol. 29. ſi dubium, an comedendo mediam noctem exceſſeris. Quia in dubio fáctum non præſumendum.

Dices.

Dices. *C. ad audientiam*, de Presbytero, de quo dubium erat, an hominem occidiſſet, dicitur non debere in ſacris miniſtrare, ratio redditur. cùm in dubio ſemitam debeamus eligere tutiorem. Eadem autem ratio procedit in dubio, cuiuſcunq; facti, pro quo ſtatuta eſt pœna v. g. excommunicationis. Quare vniuerſaliter videtur dicendum in dubio facti tutiorem partem eligendam, & non fauendum libertati.

℞. Diſpoſitionem *C ad audientiam*, non eſſe extendendam ad dubia cuiuſcunq; facti, ſed reſtringendam ad dubium homicidij, de quo ibi eſt ſermo. cùm ſit odioſa. Ratio ibi poſita, non ſignificat neceſſitatem, quâ teneamur tutiorem partem eligere, ſed congruitatem, quâ motus Summus Pontifex ſtatuit, vt in dubio homicidij pro irregulari quis habeatur. Quod aliqui limitant, quando veroſimiliùs creditur commiſſum homicidium. nam ſi dubium æquale, opinantur non eſſe irregularem.

Quid, ſi poſt contractum ſecundùm matrimonium (& idem eſt de alio impedimento dirimente) de vita prioris coniugis dubitetur, an ſcilicet liceat petere? dicam ſuo loco.

Ex dictis patet intelligentia huius. *Melior conditio poſſidentis*, ſcilicet, ſi ante dubium fuiſti in poſſeſſione libertatis, & ſuperueniat dubium, cenſeris eſſe in poſſeſſione antiqua libertatis, & tibi fauendum, niſi graue inconueniens timeatur, vt, in dubio, an ſis juſtè excommunicatus.

DISTINCTIO IV.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

Dico 1. Agere contra conſcientiam ſcrupuloſam eſt peccatũ. v. g dubitatur, an peccatũ ſit in cõfeſſione dictum, & dictatur omnino repetenda cõfeſſio, nec tamen repetitur. Agere verò contra ſcrupulum, non eſt peccatũ, immo bonũ, v. g. dubitatur, an tale peccatum ſit in confeſſione dictum, nec ſcrupulus deponitur, nec támen curatur, conſequenter peccatum in confeſſione non explicatur.

Dico 2 Cauſa ſcrupulorum aliquando eſt diabolica ſuggeſtio, aliquando debilitas cerebri, aliquando melancholica complexio, aliquando debilitas ex nimijs vigilijs, & abſtinentijs.

Dico 3. Remedia contra ſcrupulos ſunt hæc 1. Scrupuloſus habeat virum doctum & pium quem conſulat, & cui acquieſcat. 2. In defectu viri docti, faciat quod alij conſuleret. 3. Conſideret quòd nunquam eſt peccatum mortale niſi hæc tria concurrant. materia grauis, ex parte intellectûs plena aduertentia, ex parte voluntatis plenus conſenſus, & niſi de his omnibus ſit certus, hoc ipſo autem non eſt certus, quòd fluctuet. immo niſi jurare poſſit, hæc tria concurriſſe, & loquendo quoad plenam aduertentiam & plenum conſenſum, hæc relinquerentur in memoria. 4. Vitet cogitationes de rebus ſcrupuloſis, ſed contemnat, alio mentem auertendo, quaſi non fuiſſent 5. Vitet peccatorum reconfeſſiones

diligen-

diligentiâ mediocri in præcedenti confessione adhibitâ. Vnde non reconfiteatur, nisi sit certus, vel etiam jurare possit, peccatum non fuisse in confessione dictum. Confessarius verò, si semel vel bis confessionem de eadem re audiuit, vel plenè extra confessionem consuluit, non permittat vlterius proponere, hæc enim recogitatio est inter præcipuas causas scrupulorum v. Mosc: 3. p. Tyrocininij artis pœnit. Qui hàc in re vix alicui secundus.

LIBER I.

De Præceptis Decalogi.

DISTINCTIO I.

De Lege & Præcepto.

Sicut notitia de conscientia (titulo operis sic exigente) toti operi est præmissa, ita notitia de lege & præcepto huic libro præmittitur, quatenus necessaria ad nostrum intentum.

1. Lex est *quædam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet promulgata.* S. Th. 1. 2. q. 9. a. 4. Diuiditur in diuinam & humanam. Lex Diuina est illa, quæ à Dei authoritate immediatè vim habet, licèt eius promulgatio non fiat à Deo immediatè, sed interuentu Angeli vel hominis. Cuiusmodi fuit lex vetus, à Deo tradita Moysi per Angelos, & per eum promulgata. Et lex Euangelica à Christo D. lata, & partim per ipsum, partim per Apostolos publicata. Lex humana est illa, quæ fertur immediatè humanâ authoritate, licèt à Deo accepta. Lex Diuina subdiuiditur in æternam, náturalem & positiuam. æterna in mente Dei ab æterno est, naturalis, cuiuslibet hominis intellectui imprimitur, positiua, publica promulgatione manifestatur. Lex Diuina positiua, in veterem & nouam subdiuiditur. Prima est, quam Deus Moysi per ministerium Angelorum in Monte Sinai, & per Moysen populo Israëlitico dedit. Secunda est, quam tulit Christus, noui testamenti author, & partim per se ipsum, partim per Apostolos promulgauit. Lex humana in Ecclesiasticam & ciuilem subdiuiditur. Illa fertur potestate Ecclesiastica, vt Papæ & Conciliorum. Ista sæculari, vt Regum & Imperatorum. Prima ius Canonicum, altera ius ciuile dicitur. Ita diuidit legem P. Gonet in Manuali Thomistarum trac: de legibus C. 1. §. 2.

2. Præcepta siue illa sint pro Persona particulari, siue sint pro communitate (qualia habent rationem legis) alia sunt affirmatiua, alia negatiuá. affirmatiua obligant semper sed non ad semper, vt honorare parentes. Negatiua, obligant semper & pro semper seu pro omni tempore, v. g. non furari.

3. Vt præceptum impleatur non est necessarium esse in gratia nisi includat grati-

gratiam, vt præceptum contritionis &c. vel ſupponat, vt præceptum orandi, pro graui malo auertendo in republica durante. Immo plurima poſſunt impleri per actum ex circumſtantijs peccaminoſum. v. g. dare Eleëmoſynam extremè egenti, perſoluere votum &c. ob vanam gloriam.

4. Non eſt neceſſe, quòd ponens actum cadentem ſub præcepto, intendat ſatisfacere, ſed ſufficit ponere actum cadentem ſub præcepto, modò pro alia re non applicet. vnde implet votum, juramentum &c. qui non aduertens obligationem, hæc præſtat. Ille etiam ſatisfacit legi qui ex metu ſatisfacit. quia metus non tollit voluntarium ſimpliciter. Non tamen ſatisfacit, qui coactè opus ponit, quia coactio tollit voluntarium. Gabriel à S. Vinc. quoad omnes partes, V. Lex & alij. Docent aliqui, etiam ſatisfieri legi vel præcepto, etiamſi ſit, intentio non ſatisfaciendi. Cùm lex non repoſcat intentionem, ſed opus.

5. Duplici præcepto ſatisfit per vnum actum, ſi præcipiens ſic contentetur. v. g. vnâ recitatione horarum, Sacerdos beneficiatus, ſatisfacit juſtitiæ & religioni. Dixi, *ſi præcipiens ſic contentetur.* Nam per vnum actum, non ſatisfit voto & pœnitentiæ in confeſſione iniunctæ. Cùm hæc non ſoleat eſſe mens Confeſſarij. Satisfit etiam pluribus obligationibus eodem tempore, vt recitare horas, & Miſſam audire.

6. Qui violat plures leges formaliter, hoc eſt licèt eandem rem, ſub diuerſa tamen ratione, præcipientes, plura peccata committit. v. g. non ieiunat, cùm debeat, tum ex voto, tum quia ſic in confeſſione iniunctum, duo peccata committit. Qui verò violat plures leges materialiter, hoc eſt idem ſub eadem ratione præcipientes, vnum peccatum committit. Et ſic fur, licet faciat contra legem Diuinam, naturalem & humanam, vnum tantùm peccatum committit, quia hæ leges tantùm ſunt plures materialiter, idem enim ſub vna ratione, ſcilicet, iniuriæ, prohibent.

Circa Primum Præceptum.

HOc præcepto præcipitur cultus Dei, & prohibetur cultus falſorum Deorum, quâ parte eſt negatiuum. Cum autem cultus veri Dei, & auerſio à Dijs alienis exerceatur fide, ſpe, charitate & religione, ideo de his, & oppoſitis, aliqua dicemus.

DISTINCTIO II.

De Fide.

NOta. Fides *eſt habitus ſupernaturalis, quo certò credimus veritates à Deo reuelatas Eccleſiæ.* Alia eſt implicita, alia explicita. illa eſt, quâ creduntur veritates reuelatæ, in aliquo principio communi. v. g. quod credit Eccleſia. hæc eſt, dum in particulari creduntur articuli fidei. v. g. myſteriũ Trinitatis, Incarnationis &c.

Dico 1. Fides eſt neceſſaria in adultis ad ſalutem. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo,* ad Hebræos 11. Vnde tenetur quilibet adultus ſcire & credere explicitè

hæc

hæc duo principiâ, Deum esse, & hunc esse remuneratorem, item suppositâ sufficienti Euangelij promulgatione, Mysterium SS: Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, Mortis, Resurrectionis & aliorum articulorum Symboli Apostolorum. Beatam Mariam esse Virginem. Tria Sacramenta. scilicet, Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam, reliqua tunc quando recipit. Præcepta Decalogi. Præcepta communia Ecclesiæ, maximè Confessionis & Cõmunionis annuæ. Immortalitatem animæ. Peccatum originale. Necessitaté gratiæ Deum esse orandum. quare scienda est Oratio Dominica. Deum esse timendũ, cùm possi mittere in gehénam.

Dico 2. Quamuis suadendum fidelibus, vt Symbolum Apostolorum, Decalogum, Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam explicitê sciant & memoriâ teneant, sicut & signaculum Crucis formare, non tamen est mortale illa nescire, dum modò illorum substantia sciatur. ita de primis quatuor Suarez, & de vltimo, Sanchez in Summa Dianæ, V. Fides. Et sic quoad Orationem Domínicam sufficit scire eius summam, scilicet à Deo omnia esse petenda. Quoád Symbolum, Sacramenta, Decalogum & Ecclesiæ præcepta, sufficit, quòd rogati de singulis sciant respondere.

Dico 3. Ignorans vincibiliter mysteria fidei, non est absoluendus. est mens Innocentij XI. dum sequentem damnat. *Absolutionis capax est homo, quantumuis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei.* Nec tenetur Confessarius eum docere tunc, cùm non sit facilè tam breui spatio capere. Vnde differenda absolutio. nisi sit in articulo mortis. tunc enim instruatur de mysterijs magis scitu necessarijs, vt de SS. Trinitate, Incarnatione, Redemptione, Morte & Resurrectione. item de alijs, prout tempus concesserit, & pœniteat de ignorantia.

Dico 4. Licèt detur ignorantia inuincibilis atticulorum fidei in his, qui nec à Parochis nec ab alijs docentur, & hi si tunc morerentur, saluarentur cum fide duorum primò in prima conclusione positorum articulorum. tamen hæc ignorantia inuincibilis, maximè articulorum diuinitatis, & sequentium humanitatis, scilicet, Filium Dei in vtero Virginis incarnatum, natum, mortuum, à mortuis resurrexisse, & ad Cælos ascendisse, raró admittitur, referente dela Cruz super primum præceptum Decalogi. art: 1. Quia doctrina Christiana, maximè quoad articulos in Ecclesia solemniores, vbique satis prædicatur, & omnes habent aliquam notitiam, vt saltem suos majores interrogent, quid sciendũ & quomodo viuendũ.

Dico 5. Confessio externa fidei est necessaria ad salutem. patet ex illo ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit Confessio ad salutem.* Hoc tamen præceptum est affirmatiuum. Cùm non obliget ad semper, sed pro loco & tempore &c. v. g. si periclitetur honor Dei, vel vtilitas spiritualis proximi, tunc confiteri tenemur fidem etiam cum periculo vitæ. Nec licèt, quâmuis verbo tantùm, negare fidem, ait enim Christus Dominus Matth. 10. *Qui me negauerit coram hominibus negabo & ego eum coram Patre meo.*

Dico 6. Confessio interna fidei, est etiam necessaria ad salutem. Dicitur enim ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Vnde Confessio interna

 fidei

fidei obligat infidelem, dum sibi fides sufficienter proponitur. Item obligat fidelem dum de fide tentatur, vt sic tentationi resistat, si aliter superanda, non speratur. Addit Mendoza, obligari fidelem ad eliciendum actum fidei in articulo mortis. vnde tunc à circumstantibus monentur fideles ad eliciendum actum fidei. Item intra singulos annos. Quare benè facient Confessarij excitando fideles ad eliciendos actus, fidei, spei & charitatis, tunc præcipuè, quando paruus aut nullus concursus. cùm multi hanc obligationem ignorent. Ex his intellige; falsam esse sententiam, dicentem, sufficere actum fidei semel in vita elicere. Quæ etiam inter alias ab Innoc. XI. damnatur.

Dico 7. Est mortale vti veste vel alio signo instituto pro cultu alicuius sectæ, vt apud nos sunt vestes sacræ. Quia his vtendo, exhibetur cultus authoribus talis sectæ, etsi solùm exteriùs hoc facias, sicut si metu mortis solùm, thurifices idolum. Nisi hæc facias, ioci gratiâ semoto scandalo.

Dico 8. Licet fideli vti infidelium veste propriâ eorum ex more patriæ, si aliàs non instat præceptum confidendi fidem. Quia talis vestis non significat religionem, sed nationem. Et sic licet exploratoribus vti veste & linguâ Turcarum. Item non peccant mortaliter nautæ affigentes suis nauibus vexilla Turcarum ad decipiendum eos. ita M. Bannez cum alijs.

Dico 9. Qui discredit cum pertinacia vni tantùm articulo fidei, est hæreticus. Et est excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini. Item incurrit alias hæreticorum pœnas, si explicat errorem exteriùs, quamuis signis secretis, ad manifestandum tamen errorem conducentibus, & non indifferentibus. Immo qui cum plena deliberatione dubitat de veritate alicuius articuli fidei, est hæreticus. Ita C. 1. de hæret. Secus si sine plena deliberatione titubat. de la Cruz. Sicut & ille qui scit aliquam veritatem ab omnibus fidelibus teneri, nescit tamen esse articulum fidei, si discredit, non est hæreticus, temerarius tamen.

Dico 10. Non manifestans hæresim externè, licèt in re sit hæreticus, non excommunicatur, nec subjacet alijs pœnis. Cùm Ecclesia non judicet de internis Idem dic de fingente se hæreticū, & internè fidem tenente. est communis. Quia excommunicatio & aliæ pœnæ feruntur contra hæreticos, nec debent extendi ad fictos, odia enim restringenda.

DISTINCTIO III.

De Spe.

NOta. Spes est *habitus supernaturalis, quo certò speramus beatitudinem ex auxilio Dei.* Itaq; spes respicit Deum vt finem cuius assecutio speratur, & vt causam efficientem, cuius auxilio speratur ipsiusmet assecutio. Et sic spes consistit in hoc, quòd homo confidat benè agendo peruenire ad æternam beatitudinem, Dei auxilio.

Dico 1. De spe extat præceptum Diuinum. Patet ex determinatione Ale-

xandri

xandri VII. sequentem damnantis. *Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & charitatis ex vi præceptorum Diuinorum, ad eas virtutes pertinentium.* Hoc præceptum est affirmatiuum. Cùm tantùm obliget determinato tempore. v. g. dum assecuto rationis vsu homini Deus & beatitudo tanquam finis ad quem tendere tenetur proponitur. dum insurgunt graues motus desperationis. Intra singulos annos. dela Cruz ait, aliquoties intra annum. Item in articulo mortis, secundum eundem.

Dico 2. Contra spem peccatur 1. Desperando impetrare veniam peccatorum & gloriam. 2. Sperando in creatura vt primario iuuante ad beatitudinem. possumus enim sperare in creatura vt secundario juuante, & sic B. V. M. dicitur spes nostra 3. Præsumendo, dum putas tuis meritis sine gratia Dei te posse assequi beatitudinem, vel dum confidis quidem impetrare veniam peccatorum, & ideo perseueras in peccatis, vel etiam, expectando eandem veniam, perseueras sine pœnitentia vsq; ad senectutem. 4. Non sperando, obligante præcepto spei.

Q. Quæ vox desperantium & præsumentium, saltem ordinariè? ℟. Desperantium hæc. Cùm damnandus sim, quid vereor peccare, & frui omni cupiditate? Præsumentium & in peccatis perseuerantium, Deus est misericors, licèt impleam omnia desideria mea, tandem dimittet omnia.

DISTINCTIO IV.

De Charitate.

NOta. Charitas est *habitus supernaturalis, quo Deum diligimus ex toto corde, ex toto anima & ex totis viribus, & proximum sicut nos ipsos.*

Dico 1. De actu Charitatis datur præceptum. Patet ex declaratione Alexandri VII. d. 3. conc. 1. adducta. Multoties autem tenemur elicere actum Charitatis in vita vt determinauit Innoc. XI. dum sequentes damnat. Prima est. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* 2. *Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* 3. *Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.*

Dico 2. Tenemur Deum super omnia diligere dum peruenimus ad vsum rationis, vt constat ex 1. 2 q. 89 a. 6. 2do. Dum vrget tentatio odij Dei, vel quæcunq; alia, si non aliâ vitâ, superanda speratur. Secundùm Mendozam, singulis annis, 4. In articulo mortis. Quia ratio diuinæ amicitiæ non solùm vrget in principio, sed & in fine vitæ, immo magis.

Dico 3. Tenemur ex charitate subire damna corporalia ob bonum spirituale proximi D. Th: 2. 2. q. 26. a. 4. ad 2. Et sic tenemur in extrema necessitate spirituali proximi exponere vitam periculo ad subueniendum ei. v. g. si proximus in articulo mortis decipitur ab hæreticis. Magis enim diligenda vita spiritualis proximi, quàm proprium corpus, ex S. P. Augustino apud S. Th. c. a 5. in argum. sed contra,

Dico 4. Extra extremam neceſſitatem boni ſpiritualis non tenetur homo particularis, exponere vitam periculo aut magnam ſubſtantiam, pro bono ſpirituali proximi, benè tamen pati aliquod damnum. Secus fit de Epiſcopis & Parochis, qui extra extremam boni ſpiritualis neceſſitatem tenentur ſæpè ſubuenire ſubditis cum periculo vitæ & bonorum. Quare licèt peſte infecti non ſint in extrema neceſſitate boni ſpiritualis. cùm per contritionem poſſint ſaluari, tenentur tamen Parochi eis miniſtrare, ſaltem pœnitentiam & Euchariſtiam, vt colligitur ex quadam epiſtola Greg. XIII. ad S. Carolum Borromæum, vbi determinatur Parochos tempore peſtis obligari reſidere.

Dico 5. Quamuis nunquam teneamur exponere vitam pro vita corporali proximi, eiuſdem conditionis, licitum tamen, vt probat Philippus à SS. Trin. in 2. 2. d. 11. dub. 8. Et ſic poſſumus in naufragio cedere tabulam proximo, vt docet Fernandez. p. 1. C. 3. §. 4. ex. M. Bannez Quòd ſi proximus ſit valdè neceſſarius Reipuplicæ, tunc non ſolùm licitum, ſed etiam tenemur vitam corporalem pro vita corporali eius periculo exponere. Cum pars teneatur ſubuenire toti.

Dico 6. Peccas contra charitatem non exhibendo proximo, etiam aliàs inimico communia ſigna dilectionis v. g. orationes & beneficia impenſa toti communitati. Peccas etiam peccato ſcandali & contra juſtitiam diſtributiuam. Quia proximus licèt ſit inimicus, habet jus fruendi bonis communibus. Et licèt ad beneficia impendenda non teneatis abſolutè, ſi tamen impendis, teneris ſeruare formam diſtributionis.

Dico 7. Non exhibendo proximo ſigna honoris conſueta ex more patriæ, ſi aliàs fuerunt exhibita, & modò propter inimicitiam omittuntur, committitur peccatum, ſecundùm M. Bannez mortale, ſecundùm Lorcam veniale. Quia omiſſio ſalutationis etiam debitæ, ſaltem vnâ vel alterâ vice, non eſt p. m. Quòd ſi inimicus priùs ſalutauit, non reſalutare, eſt mortale ſecundùm dela Cruz & Filliucium. Quem ſalutatione præuenire non eſt obligatio, niſi ratione ſcandali, ſi inde ſequeretur, aut ratione conditionis perſonæ, quæ læſit. v. g. quia eſt prælatus &c. & læſus eſt inferior, aut ſolitus ſalutatione præuenire. Moſcicenſis. 2. p. Tyrocinij artis pœnitentiæ. de pecc. contra opera Miſeric. Præterea ſi tali præuentione lædentis animus placaretur, & ad meliorem frugem ſe reciperet. cùm al às ſit obſtinatus, & mori in prauo affectu, vel diu perſeuerare in eo, ſit paratus, tunc enim ad lucrandum fratrem obligaris. Moſc: l. c.

Dico 8. Si abſit ſcandalum non teneris familiariter conuerſari cum inimico, licèt antea familiariter conuerſabaris. Abeſt autem ſcandalum, dum talis conuerſatio omittitur in priuato. dela Cruz & Philippus à S Tr. l. c. Nec judicent ſtatim videntes omitti prædictam conuerſationem, fieri ex odio, ſed in ſignificationem grauaminis & iniuriæ. Non enim teneris dimittere ius tuum in lite ciuili, immo nec in criminali. Difficile tamen tunc carere animo vindictæ, quare talem moneat Confeſſarius, vt malo animo depoſito cauſam agat.

Aduerte. In oſtendendis ſignis amicitiæ (præcipuè inter rudes) poteſt dari ignoran,

ignorantia excusans à mortali. Quare Confessarius hanc aduertens, non molestet pœnitentem de numero vel consuetudine. cùm similia in venialibus non necessariò explicanda.

Dico 9. Quando duo inuicem se læserunt, & vtrinq; est æqualis iniuria, ac vtriusq; par conditio, qui priùs offendit, petere veniam debet. Quòd si iniuria posteriùs illata sit grauior, secundus offendens præuenire debet alterum, quàmuis prior occasionem præbuerit. Sicut, licèt iniuria sit æqualis; tamen ille qui priùs læsit & prouocauit est longè maioris conditionis, tenetur secundus, qui inferior est, veniam petere. Mosc. l. c. quoad omnes partes.

Dico 10. Si notorium sit quod neuter velit reconciliationem inire, ab Ecclesiæ Sacramentis tanquam publici peccatores sunt repellendi. Immo etsi id non sit manfestum multis, Confessor tamen eos absoluere non debet. cùm ambo in mortali peseuerent. Neque dicere possunt, se nullum intus gerere odium; talis enim dispositio odij indicium est. Et dato quòd actu odium non habeant, periculo tamen illius se exponunt, dum prauum affectũ, qui seminariũ illius est, fouent. Et præterea res hæc, scandali magni occasio est. Mosc in terminis l. c.

DISTINCTIO V.

De Religione & Obseruantia Sanctorum, in communi.

Dico 1. Religio est *virtus quæ Deo debitum cultum tribuit, tanquam primo omnium principio.* Non est Theologica sed moralis. Nam virtus Theologica habet ipsum Deum pro obiecto quod & immediato, vt patet in fide, spe, & charitate. Hæ enim respiciunt & attingunt Deum immediatè tanquam objectum Quod. Fides, vt sepremam veritatem. Spes, vt summum bonum nostrum. Charitas vt summum bonum in se ipso, summeq; amabilem propter se. At religio aliquid creatum immediatè respicit. nimirum cultum, qui offertur Deo, vt termino & fini Cui. diuina verò excellentia attingitur solùm vt ratio, ob quam Deo debetur talis cultus, & non est objectum immediatum religionis. Ita Gonet in Manuali Thomistarum de Virt. Card. C. 3. §. 1.

Dico 2. Si Sancti colantur propter intrinsecas & absolutas perfectiones, vt propter visionem Dei, charitatem, sanctitatem & statum beatum, tunc non coluntur virtute religionis, sed distinctâ, quæ vocatur dulia, & est quædam obseruantia. Si verò colantur propter excellentiam increatam Dei ad quam habent respectum, tunc eâdem virtute, scilicet religionis, quâ Deus, coluntur. Sic enim non tam ipsi coluntur, quàm Deus in ipsis, in quibus per gratiam & alia dona inhabitat. Nam iste actus non sistit in Sanctis, sed transit ad Deum. Qui cultus est similis cultui Crucis, quæ non tam ipsa, quàm per ipsam colitur Christus. Ita Philippus à SS. Trin. in 2. 2. d. 1. de Virt. Relig. dub. 3. Makowski super Decalogum tr. 1. d. 1 q. 1. a. 1.

Dico 3. Adoratio in communi, est cultus, quo vnus alteri se submittit, seu honorat

honorat illum in recognitionem illius excellentiæ. Makowſki l. c. q 2 a. 1. Eſt triplex, latriæ, duliæ & hyperduliæ. Larriæ, eſt ſupremus cultus, qui ſoli Deo propter ſummum eius imperium, quo vniuerſa creauit, gubernat & regit, debetur. Tali cultu (ob continentiam Chriſti D.) colitur SS. Euchariſtiæ Sacramentum. Non tamen ſub conditione, ſi Sacerdos verè conſecrauit. nam in ſimilibus ſufficit certitudo more humano. Dulia, eſt cultus, qui debetur Sanctis, alijſq; creaturis adhiberi ſolet, vt docet S. Th. 2. 2. q. 103 a. 2. Hyperdulia eſt cultus, qui debetur Sanctis, habentibus ſpecialem coniunctionem ad Deum, quali cultu colitur humanitas Chriſti Domini præciſè conſiderata, vt ſancta per ſanctitatem creatam, cui tamen vt ſanctificatæ per vnionem hypoſtaticam debetur cultus latriæ. cultu hyperduliæ etiam colitur B V. M.

Dico 4. Adoratio, quæcunq; illa ſit, alia eſt abſoluta, alia reſpectiua. Abſoluta eſt, quando aliquis honoratur propter ſe & ratione ſuæ perfectionis. Reſpectiua, quando propter aliud, vt patet in adoratione imaginum, quæ refunditur in prototypon & exemplar, puta in eum cuius eſt imago. Hâc adoratione reſpectiuâ adorantur etiam nomina ſacra, vt nomen, Iesvs, Maria, ſcilicet, propter id quod repræſentant. Declarat id Makowſki l. c. q. 6 a. 1. & patet ex D. Paulo ad Philipp. 2. *in nomine IESV omne genu flectatur.*

Dico 5. Per ſigna externa non ſumitur differentia inter adorationes. Nam omnis ſubmiſſio externa eſt indifferens, poteſtq; tam Deo, quàm creaturis exhiberi. v. g. genuflexio, totiuſq; corporis proſtratio, etiam hominibus exhibentur. Quare à ſola intentione pendet, quòd per talia ſigna externa, hæc vel illa honoris ſpecies deferatur. Si enim externâ illâ ſubmiſſione intendas te alteri ſubmittere tanquam Deo, & teſtari eius diuinitatem, eſt cultus latriæ. ſi vt Sancto, Duliæ. ſi vt viro potenti, obſeruantia politica. Makowſki l. c. q. 2.

DISTINCTIO VI.

De cultu virorum illuſtriũ, qui nec canonizati nec beatificati.

NOta ex Mâkouio l. c. q. 6. Cultus alius eſt publicus, alius priuatus. Publicus eſt, qui nomine Eccleſiæ fit, & ab ea determinatus, vt officium Diuinũ. Miſſa, & alia quæ pro Sanctis canonizatis ac beatificatis ſunt determinata. Priuatus verò qui exhibetur, non tanquam inſtitutus ab Eccleſia, nec fit nomine Eccleſiæ, ſed ex deuotione colentis, licèt cum alijs fiat & publicè.

Dico 1. Viri cum ſignis ſanctitatis mortui, nec dum canonizati vel beatificati, poſſunt coli cultu priuato, ſecluſo populi ſcandalo. Vocari in priuatis colloquijs ſancti, & in noſtrum auxilium, vt pro nobis apud Deum intercedant, inuocari. Omnes hæ partes probantur à Makouio l. c. q. 5. a. 1.

Dico 2. Licitum eſt imagines non canonizatorum, nec beatificatorum, ſanctitate inſignium depictas, in domibus priuatis adorare, oſſa oſculari, veſtium particulas retinere. Samuel de Lub. p. 1. Caſuum. V. Adoratio. Sed an liceat talium imagi-

um imagines in Ecclesia cum respectu ad cultum, & non solius ornatûs causâ, reponere? negat Sam. de Lub. affirmat Makouius cum Molfesio, allegans frequentem vsum plurimarum Ecclesiarum quod intellige de repositione ad latus altaris. Hoc certum est, talium imagines non posse pingi cum diademate, cum radijs, vel aliquo signo sanctitatem præseferente. Id enim S. Congregatio confirmante Vrbano VIII. prohibuit. Regularibus sub pœna priuationis officij, vocis actiuæ & passiuæ, ac suspensionis à diuinis. Clericis sæcularibus etiam sub pœna suspensionis ab officio, & Sacramentorum administratione, alijsque pœnis arbitrarijs Ordinariorum aut Inquisitorum.

Dico 3. Ad sepulchra & imagines non canonizatorũ nec beatificatorum Sanctorum, non possunt affigi tabellæ & alia dona sanctitatis, aliarumq; gratiarum receptarum indicia, in gratiam facti, sine recognitione Ordinarij & approbatione Sedis Apostolicæ. Ita vetuit Vrbanus VIII apud Lezanam. tomo. 1. q. q. Regul. C. 12. voluit tamen tales tabellas, cum attestationibus consciorum & approbatione Ordinarij in loco extra Ecclesiam reponi.

Dico 4. Non licet Episcopo in honorem Sancti, nec Canonizati vel beatificati festum publicum aut ieiunium instituere, neque vt Missa de tali dicatur. Samuel l. c. cum Bonac. & alijs. Quia hic cultus censetur publicus.

Dico 5. In die anniuersario obitûs præfati Sancti, non licet in memoriam eius Missam solemnem de SS. Trinitate aut de B. M. V. aut de alijs Sanctis cantare, & concionem de virtutibus habere. Ita Contelorius à Makouio relatus, citans determinationem Vrbani VIII. Quia similes solemnitates sapiunt cultum publicum & sunt quædam protestationes publicæ sanctitatis. Licet tamen in memoriam Sancti nec canonizati vel beatificati, etiam toti communitati proprio motu ab operibus seruilibus abstinere, ieiunare, panegyri extra Ecclesiam celebrare, & similia, quæ nomine proprio & non Ecclesiæ censetur fieri.

DISTINCTIO VII.

De Blasphemia.

POst considerationem virtutum quibus colitur Deus, agendũ de peccatis oppositis, & primò occurrit de blasphemia, quæ licèt, vt est simplex, opponatur religioni, vt tamen includit errorem contra fidem, opponitur confessioni fidei, & est hæreticalis, quod ei magis conuenit, si considerentur modi, quibus fit, mox recensendi.

Nota. Blaspemia ex S. Th. 2. 2. q. 13. a. 1. *Est derogàtio excellentis bonitatis, præcipuè diuinæ.* Fit quatuor modis 1. quando Deo aliquid attribuitur, quod ei non conuenit 2. quando remouetur, quod conuenit. 3. quando proprium Deo creaturæ tribuitur. 4. quando remouetur à Sanctis, quod eis conuenit, vel attribuitur conuitiando quod non conuenit. Samuel de Lub. 2. p. Casuum. V. Blasphemia. Ex quo patet Blasphemiam sic etiam posse definiri. *Est maledicentia contra Deum & Sanctos.* Est p. m. ex genere suo,

Dico

Dico 1. Hæc blaſphemia, Deus non recordatur mei &c. eſt hæreticalis. Vnde proferens excommunicatur in Bulla Cœnæ Domini, ſi ſic verè ſentit, ſicut profert, aliàs non, ſi ſolùm ex peruerſo voluntatis affectu proferat. Rudes tamen proferendo dictam blaſphemiam vel ſimiles, & ſic ſentientes ſicut proferunt, licèt mortaliter peccent, non ſunt excommunicati, eò quòd communiter excommunicationẽ annexam ignorent. Ignorans enim excommunicationẽ, non ſubjacet excommunicationi, vt docetur in trac: de cenſuris. Et tales, quantùm ad pœnas Eccleſiæ, tantùm materialiter ſunt hæretici.

Dico 2. Non eſt blaſphemia hæreticalis vocare amaſiam Deum aut idolum, immo nulla videtur. cùm hæc non dicantur in ſenſu proprio, ſed hyperbolico. Mendoza. Sicut & hæc locutio non eſt blaſphemia, hoc eſt verum, ſicut, eſt Deus veritas, ſi dictio *ſicut* dicat tantùm proportionẽ, ita vt intendas, quòd ſicut Deus eſt veritas, quod tu dicis, ſuo modo ſit etiam veritas. Secus, ſi dictio *ſicut* dicat æqualitatem, ita quòd velis tuam veritatem adæquare veritati diuinæ.

Dico 3. Sola inaduertentia, in proferendis blaſphemijs, excuſat à mortali. Armilla V blaſphemia & de la C: in præſenti. Conſuetudo, per pœnitentiam non reuocata, à mortali non excuſat. Quàmuis enim ſic prolata blaſphemia non ſit voluntaria in ſe, eſt tamen volũtaria in cauſa, ſcilicet, in conſuetudine nõ abjecta.

Dico 4. Quando aliquis non ſeriò neq; ex indignatione contra Deum, neq; animo derogandi ſupremo numini, ſed ioco aut fine alio, puta ad docendum vt Magiſtri exempla proponentes, & ad Diuina applicantes faciunt, aliquid falſi de Deo dicit, non blaſphemat. Samuel de Lub. cum Sà. Qui etiam ex indignatione contra hominem, nominat, vulnera Chriſti, ſeptem Sacramenta &c. non blaſphemat, grauiter tamen venialiter peccat, colligo ex Caiet: apud Arm. Quia tamen facilè ex conſcientia erronea putare poteſt eſſe mortale, interrogetur an putauerit mortale.

DISTINCTIO VIII.

De Superſtitione,

VIrtuti religionis opponitur ſuperſtitio, tentatio Dei, ſacrilegium, periurium & ſimonia. his adde blaſphemiam ſimplicem, de qua iam egi. de ſuperſtione, tentatione Dei & ſacrilegio mox aliqua dicam, periurium ſupra ſecundũ præceptum, ſimonia verò ſnpra ſeptimum. explicabuntur.

Nota. Superſtitio eſt *cultus vitioſus, quo aut colitur creatur a cultu Diuino, aut Deus modo indebito.* Makowſki ſuper Decal. t. 1. d. 1. q. 1. a. 1. Superſtitionis ſpecies hæ à S. Th. 22. q. 92. a. 2. numerantur. indebitus veri Dei cultus, idololatria, diuinatio, ac vana obſeruantia. Quid ſit indebitus veri Dei cultus patet. *Idololatria, eſt cultus, quo diuinus bonor creaturæ tribuitur tanquam Deo.* Diuinatio, eſt *inordinata futuri vel etiam occulti manifeſtatio.* Vana obſeruatio *eſt vſus mediorum inutilium ad præſtandum vel omittendum aliquid.* v. g. dum luſores mutant

locum vt malum fortunam euitent. Magia superstitiosa revocatur partim ad diuinationem, si futura vel occulta dæmonis ope manifestantur, partim ad vanam obseruationem, si mira & insolita iuuante dæmone fiunt. Sic definiri potest, est *ratio quædam ope dæmonis, aut occulta manifestandi, aut insolita operandi.* Plura apud DD. videantur de notitia superstitionum nobis hæc sufficiant. Porro quia notitia sortis necessaria, nota etiam. quod sors dicatur, dum aliquid fit ab homine, vt considerato eius euentu occultum innotescat, fit autem per schedulas extractas, vel per jactum taxillorum &c. dividitur in divisoriam, consultoriam & diuinatoriam, divisoria est, si quæratur judicio sortium, quid sit alicui exhibendum. consultoria, si quæratur, quid agere oporteat, diuinatoria, si quæratur quid sit futurum, vel etiam si quæratur notitia præteriti v. g. furti facti.

Dico 1. Peccâtur peccato superstitionis, non solùm colendo Deum cultu pernicioso, v. g. ritu judæorum, Turcarum &c. sed etiam superfluo non servando rubricas, vt si Missa celebranda cum vno acolitho & ponuntur duo. Armilla V. superstitio. sed in hoc secundo non ita incurritur mortale.

Dico 2. Superstitiosus est venialiter, judicans somnia significare aliquẽ euentum. Arm. V. somnia. Mortale tamen est vti notabiliter somnijs, tanquam regulâ suarum actionum, Arm. & alij. Quia sic immiscetur tacita cum dæmone societas.

Dico 3. Vt sors divisoria sit licita, hæc sunt obseruanda, 1. vt prudenter & sine irreverentia fiat 2. sine periculo cõmunis boni & justitiæ. Quod fieret si sorte eligerentur homines indifferenter ad regimen civitatis, quoniam sors cadere posset super indignos. Secus si electis priùs quibusdam idoneis, de vno eorum detur sors pro pace seruanda. Quando ergo homines non possunt concordari, vt in divisione rerum, hoc modo servato licet uti sortibus. Arm. V. Sors. adde tertiam conditionem, sortem divisoriam non habere locum in electionibus Ecclesiasticis, vt constat ex cap. Ecclesia de sortilegijs. Sors divisoria plerumq; est licita, cùm sit quædam conventio, ut cuisors evenerit, illius res sit

Vt verò sors cõsultoria liceat hæc observanda. 1. Requiritur articulus necessitatis, vt aliter viâ humanâ nequeat fieri. alias esset tentatio Dei. 2. Cum reverentia & fusis ad Deum precibus. 3. Ne fiat pro re aliqua vana, qualis non est, dum constitutus in bivio, & alio remedio carens, utitur sorte consultoria 4 Ne fiat in electionibus spiritualibus. V. Makowski t. super decal. d. 2. q. 5. a. 1.

Pro sorte divinatoria conditiones non ponuntur. Cum à Theologis, communiter illicita, judicetur.

Dico 4. Consuetudo, quâ jumentis vena aperitur, die alicui sancto dedicato, est superstitiosa. Nulla enim causa naturalis huius rei esse potest. Neq; supernaturalis, quæ aut in Sacra Scriptura tradatur aut ab Ecclesia doceatur. Et prætерea diabolicum inventum est, ut homines à cultu Dei retrahantur. Idem dic de collectione herbarum tali festo aut vigilia. Et de observatione temporum, de qua superstiotiosi extant versus, *clara dies Pauli &c.* Moscicensis in Exam. approb. tit: 14. q. 4. Bonac. excusat à peccato taliter aperientes venam & colligentes her-

bas, si id faciant à Sancto expectando auxilium. addit tamen talem consuetudinem tollendam, cum Sancti indebite sic colantur.

Dico 5. Vti remedijs vanis ad tollendam fascinationem, v. g. lavare faciem aqua fluvii cum quibusdam observationibus, est superstitio vanæ observationis, & sic peccaminosa. Quare in casu confugiendum ad media naturalia per medicos, & supernaturalia per orationes, vsum Sacramentorum vel aquæ benedictæ. Patienter autem toleranda crux à Deo immissa, immo etiam mors, si Deo non placuerit per dicta remedia sanitatem restituere, & non recurrendum ad dæmonis præsidia. poterit ille restituere sanitatem applicando occultas naturales virtutes, sed cum periculo damnationis. Moscicens: l. c. q. 1.

Scias fascinationem importare quoddam nocumentum, quod distanti infertur, v. g. aspectu, voce &c. Cujus fundamentum (si de naturali loquamur) corruptio humorũ in homine. proveniens ex annositate, morbo, cibis nocivis. Quæ corruptio prodit in oculos, os atq; nares. emissa ergo ex ore per halitum, ex oculis & naribus per evaporationem, inficit aërem vicinum, qui infectus se insinuat in oculos pueri, quæ est pars tenerrima. & attrahitur ore pueri oscitantis, inde ad alias corporis partes diffunditur, vnde puer infirmatur & vomitum patitur.

Quæritur, ex quibus colligitur implicitum cum dæmone pactum, & sic implicita dæmonis invocatio? ℞. ex sequentibus & similibus 1. quando ad habendum effectum naturalem adhibentur signa vel verba, ex se talem non causantia. 2. Quando adhibetur conditio vana tanquam necessaria, v. g. verba scripta manu sinistrâ &c. 3. Si imago imprimatur in lapide sub tali vel tali signo &c. artificialia enim quâ talia non sortiuntur virtutem aliquam ex impressione virtutum cælestium. 4. Dum adhibentur nomina omnino incognita, vel nescitur ad quid pertineant. 5. Dum per media naturalia intenditur effectus excedens virtutem naturalem. v. g. sanare statim hominem. tunc enim dæmon penetrans virtutem herbarum &c. nobis non videntibus applicat activa passivis, & mox sanat. 6. Dum quæritur effectus vanus ex verbis sacris, v. g. ex versiculo psalmi, motio annuli. Deus enim non operatur ad hujusmodi vana, sed dæmon gaudens honorari sacris. Dum adhibentur falsa. v. g. quòd Christus D. habuerit febres. apocripha &c. Nam hæc & similia ad consequendum talem vel talem effectum, nec sunt ordinata ex beneplacito Dei, nec ex se & sua natura, consequenter ordinantur à dæmone & ad eum referuntur, quare saltem implicitum includunt pactum. Et est mirabile Christum D. qui tantam dedit virtutem Apostolis ad miracula facienda, hæc secreta eis non revelaverit, quibus vetulæ utuntur. Excusatur putans in his nullum esse cum dæmone pactum, dum de veritate non monetur, nam post monitionem non excusatur, cùm cesset bona fides. Cajetanus.

Q. 2: Quid Confessario agendum cum saga? ℞. quæratur an pactum & gesta per eam facta fuerint hæretica. Si sic remittatur ad habentem facultatem ab hæresi. Si tamen pactum & gesta tantùm essent hæretica materialiter absolvat, secundùm ea quæ solent doceri in tr. de Cens. Tunc autem gesta per sagam, quantum

quantũ, ad propositũ, sunt tantùm hæretica materialiter, dum ignoratur excõmunicatio gestis annexa, licèt alias fiant cũ pertinatia & error agnoscatur. Hoc enim ipso quod excommunicatio ignoretur, non incurritur, & sic hæresis in tali casu non reservatur cum ratione excommunicationis, sicut & alij Papales, reserventur. Quare Canonicè solùm est materialis licèt Theologicè formalis.

DISTINCTIO IX.

De Tentatione Dei.

NOta. Tentatio Dei est *dictum vel factum capiens experimentum de aliqua perfectione Dei* v. g. utrùm Deus sit potens. utrùm velit misereri Est duplex formalis seu expressa, & materialis seu implicita. Formalis est dum fit aut dicitur hac intentione aliquid ut experimentum capiatur perfectionis Dei. Materialis est, dum non adest voluntas capiendi experimentum perfectionis Dei, fit tamen aliquid ex se ordinatum ad tale experimentum.

Dico 1. Tentatio Dei formalis sine necessitate vel utilitate est p. m, Quia fit irreverentia excellentiæ Dei, dum dubitatur de illa, vel saltem proceditur ut cum sibi simili. Dixi, *formalis* nam materialis non est p. m. nisi pro grauitate casûs v. g. si in morbo periculoso media naturalia habeas & omittas, sperans temerè à solo Deo effectum. Dixi etiam, *sine necessitate &c* Nam stante necessitate licet petere à Deo, ut per bona media, ostendat tibi suam voluntatem.

Dico 2. Tentatur Deus faciendo pactum, ut prius moriens superstiti appareat. Quia quæritur modo extraordinario experimentum providentiæ Dei. Et tales se exponunt periculo illusionis diabolicæ. incertum enim an anima, an dæmon appareat. Hæc curiositas pro varietate circumstantiarum, aliquando mortalis, aliquando venialis Mosc: in Examine Appr. tit. 14. q. 2.

Dico 3. Tentatur Deus provocando proximum ad Divinũ judicium. Quia quæritur justitia modo extraordinario. Aliquando tamen hoc licet, servatis nonnullis conditionibus. 1. Si non sit qui justitiam administret. 2. Si non fiat ex pravo affectu. 3 Si sit in materia magni momenti, v. g. ut innocentia appareat, familia non gravetur infamiâ, ut liberetur mundus à tali Tyranno, vel ut is resipiscat. Moscic: lib c. q. 3.

DISTINCTIO X.

De Sacrilegio.

DIco 1. Sacrilegium est *violatio rei sacræ* nomine *rei sacræ* intelligitur omne illud, quod ordinatur ad divinum cultum. & efficitur quasi divinum, cui proinde aliqua debetur reverẽtia, quæ refertur in Deum. *Violatio* accipitur pro omni irreverentia. Samuel de Lub. V. Sacrilegium. ut committatur sacrilegium debet res violari in eo in quo est sanctificata. Sic qui fornicatur in agro Ecclesiæ non est sacrilegus. Secus qui hunc onerat jurisdictione sæculari.

Dico 2. Sacrilegium ex D. Thoma 2. 2. q 99 a. 3. est triplex, personale locale & reale. Personale. *quo fit iniuria personæ sacræ.* ut si Clericus percutiatur vel à sæculari judice puniatur. Item si contra votum personale castitatis, vel abstinentiæ excedatur &c. *Locale quo fit iniuria loco sacro.* ut si de loco sacro reus extrahatur Sequentes tamen non gaudent immunitate Ecclesiasticâ. 1. Hæreticus formaliter sumptus, hoc est ob hæresim puniendus. Nam in aliis gaudet. 2. Homicida & mutilator in loco sacro. 3. Homicida proditorius. V. dicenda in 2. d. 66. conc 10. 4 Assasinio peccans. Assasinium dicitur, cùm quis aliquem conducit ad occidendum, aut conductus mercede aliquem occidit. 5. Crimine læsæ Majestatis obnoxius. 6. Latro publicus, & grassator viarum. 7. Depopulator agrorum. Item locale sacrilegiũ, si locus sacer violetur. In quibus autẽ casibus id fiat, trado de sacrificio Missæ. Si negotiationes, stabulationes, &c. fiant in Ecclesia. Si res de Ecclesia, etiam tantùm depositæ, extrahantur &c. Reale sacrilegium est, quo fit injuria rei sacræ, v. g. Sacramentis. vasis sacris. reliquiis & imaginibus SS. Sacræ Scripturæ, v g. abutendo ea in materia turpi, à fortiori hæretica. Item si fiat injuria juribus & rebus Ecclesiæ, sive illæ sint mobiles sive immobiles Et sic suppressores piorum legatorum, decimas non reddentes, milites bona Ecclesiarũ & Monasteriorũ molestantes, sunt sacrilegi. V. Samuelem de Lub. v. sacrilegium.

Circa secundum præceptum.

HOc præcepto prohibetur omnis in ordinata nominis Dei usurpatio, ut temerè jurando, adjurando vovendo & non servãdo, item blasphemando. sed de blasphemia jam supra egi.

DISTINCTIO XI.

De Iuramento.

NOta. Iuramentum est *veritas divino testimonio confirmata* hinc jurare est Deum in testimonium alicujus veritatis adducere. ut verè jures (ait de la Crux) non est necessarium scire, Deum in testem per juramentum adduci, sed satis est, si intendas facere, quod alii faciunt.

Nota 2. ut juramentum debito modo fiat, tres conditiones necessariæ, scilicet, veritas, justitia & necessitas. Veritas consistit in hoc quod res ita se habeat, vel saltem ita putatur, ut juratur. necessitas quando agitur de propria aut proximi fama &c. justitia, quòd res jurata non sit contra legem Dei.

Nota 3. Iuramentum est quatruplex, assertorium promissorium. comminatorium, & execratorium. assertorium est *assertio Divino testimonio confirmata.* v. g. juro, quòd eleëmosynam dederim. comminatorium est *comminatio Divino testimonio confirmata.* v. g. juro, percutiam Petrum promissorium, est *promissio Divino testimonio confirmata.* v. g. juro, dabo eleëmosynam, execratorium est *execratio Divino testimonio confirmata.* v. g. Deus me damnet, si mentior.

Nota

Nota 4. Iuramentum promissorium dividitur, in absolutum, conditionatū, pœnale, reale, personale, mixtum ex reali & personali. Absolutum, juro, hoc vel illud faciam. conditionatum, juro, ingrediar religionem, si convaluero. Pœnale, juro, si silentium fregero, jejunabo tribus diebus. Reale, juro, dabo hospitali eleëmosynam. Personale. juro, per annum hospitali inserviam. Mixtum ex reali & personali. juro, dabo eleëmosynā hospitali, & per annū eidē inserviam.

Dico 1. Iurare sine veritate est p. m quia grandis irreverētia, adducere Deū in testem in re falsa. Etiamsi tale juramentū sit in re parva ut est mens Innoc. XI. sequentem damnantis. *Vocare Deum in testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* Addit Fernandez in præsenti. si in re parva sine veritate juratur, magis peccatur, ob majorem irreverentiam. jurare autem sine necessitate, suppositis aliis conditionibus veniale est.

Dico 2. Iurare sine justitia id est contra legem Dei, est p. m. in re gravi, in levi p. veniale. Fern. & alii, Si tamen in re venialiter iniqua, non esset intentio se obligandi, esset mortale. dela Cruz. cùm sic deficeret veritas.

Dico 3. Si res juramento promissa est parva, etsi sit totalis materia juramenti, obligat tantùm sub p. v. D. Antoninus. Sylvester, Soto, Ledesma, apud dela Cruz. Et sic mater jurans punire puerum, quando non multùm expedit, si omittat, non peccat mortaliter. Sic etiam juramenta Aulicorum, qui ad ingressum domûs, jurans se non primos ingressuros, non inducunt p. m. licèt non impleantur.

Dico 4. Iurans latroni minanti mortem, dare centum, tenetur implere si non relaxatur. ita decernitur C. debitores & C. si verò de jure jurando. Sed impleto tali juramento potes repetere datum. Immo etsi jurâsses non denuntiare, potes denuntiare. cùm hoc jurare sit illicitum, vergit enim contra iustitiam publicam. D. Th. 2. 2. q. 89 a. 7.

Dico 5. Iurans sine animo jurandi peccat. Oppositum damnat Innoc: XI. damnando sequentem. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Hæc fictio si cadat supra rem falsam est p. m. Fern. in præsenti ex Caiet. & Soto. quia gravis fit Deo injuria afferre eius testimonium, quanquam ficte, ad rem falsam comprobandā. Si supra rem veram (intellige extra judicium) est p. veniale. Idem Fern. ex Soto. & Aragonio. Sed an jurans sine animo jurandi teneatur implere? negat Sylu. & Soto nisi adsit scandalum & damnū tertij. Quare si Virgini fictè jurâsti nuptias, ut eâ potiaris, teneris implere, ut patet ex S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. Qui etiam jurat cum animo quidem jurandi, sed se non obligandi, peccat mortaliter, etsi coactè juret. Quia mendaciter jurat. Cùm obligatio sit annexa juramento. Non tamen implere tenetur secundùm Armillā, Ochagaviam & alios. contra dela C. nisi adsit scandalum & damnū tertij.

Dico 6. Iuramentum falsum procedens ex mala consuetudine, etsi inadvertenter fiat, est p. m. in eo, qui per actum contrarium talē consuetudinem non retractavit. Caiet. Victoria, Ledesma, quos sequitur dela C. Licèt enim tale juramen-

tum non sit volitum in se, est tamen volitum in consuetudine, sicut peccata ab ebrio prævisa, sunt volita in ebrietate. Si malam consuetudinem retractâsti, & juras inadvertenter falsum, non peccas. Quare talibus detur à Confessario consilium de retractanda sæpè, prava consuedine. Si etiam ex motu naturali falsum juras, excusaris Soto. tale enim juramentum non est volitum ratione consuetudinis, cùm hæc in tali casu se solùm habeat per accidens.

Dico 7. Qui habet consuetudinem jurandi indifferenter verum vel falsum, nec conatur talem consuetudinem evellere quàmuis ex tàli consuetudine juret verum, non excusatur à mortali. dela Cruz. cum Led. & Soto. Cùm ex tali consuetudine sit in proximo periculo jurandi falsum.

Dico 8. Habens consuetudinem mortaliter iurandi, per se loquendo, potest absolvi, si habeat firmum propositum, tum quia hæc occasio non est extrinseca. tum quia hæc occasio interrumpitur per propositum. Ratione tamen scandali neganda absolutio. Item quoties saluti pœnitentis expedire judicaverit Confessarius. Bonac. quoad omnes partes. Supra 2. præc. q. 1. punc. 13. Expedit autem ad emendationem, si ter vel quater admonitus fuit, & nihil curavit. nisi forsan scandalum adsit, aut alia causa, ob quam absolvi debeat à peccatis. Makovius super Decal. t. 2. d. 1. q. 7. a. 2.

Q. V. consuetudo jurandi venialiter, v. g. sine necessitate, sit mortalis? ℞det Bonac. l. c. ex Led. & aliis contra Clavem Regiam, negativè.

Dico 9. Iudex potest, immo tenetur, ad instantiam partis petere juramentum ab eo quem scit falsò juraturum. Persona verò privata peccat mortaliter petendo tale iuramentum, etiam per iudicem. dela C. ex S. Th. 2. 2. q. 98. a. 4. quoad vtramq; partem. Christiani etiam principes tutâ conscientiâ recipere possunt juramenta ab infidelibus juxta ritum eorum, ut cum jurant per falsos Deos &c. Samuel de Lub. V. juram: ex S. Th. An verò judex nullo instigante possit petere juramentum ab eo quem scit falsò juraturum? judico quòd non, & colligo ex S. Th. l. c. in fine Corp. articuli.

Dico 10. Hæc verba. In bona fide, in mea conscientia, in mea anima, non sunt iuramenta. Sensus enim est, iuro in fide boni Viri, id est loquor, ut decet bonum virum. Iuro in mea conscientia, id est loquor quod scio conforme meæ cōscientiæ &c. Immo nec hæc, iuro per meam conscientiam, per meam animam, per meam fidem, non intelligendo fidem theologicam, ut benè advertit Arm. V. jur. sunt iuramenta. Idem enim sonāt quod priora verba. Nisi Deum invocare intendas. Idem docent aliqui de his. Deus novit. testor coram Deo, testificabitur Deus. Quia sunt tantùm quædam narrationes, ad iuramentum autem requiritur invocatio divini numinis, saltem implicita. Et sic si hæc sumis invocativè, iuras.

Dico 11. Licet iurare per creaturas, quatenus in creaturis repræsentatur Deus, v. g. dicendo; iuro per cœlum, sic enim implicitè invocatur Deus. Dixi, *inquantum in eis repræsentatur Deus*. Nam iurare per creaturas, adducendo eas, ut testes

testes

testes ex se infallibiles, est blasphemum. iurare verò per creaturas sine respectu ad Deum, nec adducendo eas ut testes ex se infallibiles, sed tales, quales sunt, nec est verè iuramentum. nec peccatum.

QVÆSITVM

V. Liceat iurare cum restrictione mentis?

RESpondetur resolutionem huius pendere ex his, quæ docet P. Gonet in Manuali Thomistarum de Fide. C. 2. §. 3. edito Bononiæ 1681. & sic post notitiam sententiarum ab Innoc. XI. damnatarum, vbi sic ait. Non licet uti amphibologiâ seu æquivocatione formali, benè tamen materiali cùm illa sit quædam species mendacii non verò ista. Amphibologia enim seu æquivocatio formalis est, quando non adsunt aliquæ circumstantiæ. ex quibus audiens devenire possit in cognitionem significationis, vel sensûs verborum à loquente intenti. Materialis verò quando adsunt aliquæ circumstantiæ, quæ facilè manifestare possint, in quem sensum vox, vel propositio amphibologica vsurpatur à dicente, ita ut vir prudens facilè hoc possit agnoscere, licèt audiens ob negligentiam considerationis circumstantiarum illarum, mentem loquentis non intelligat. Hâc amphibologiâ seu æquivocatione vsus est Christus, cùm rogantibus consanguineis ut ascēderet in templum, respondit, *ego non ascendam* Ioan 7. cùm tamen postea ascenderit. Ex circumstantia enim petitionis eorum, quæ consistebat in hoc, quod palam ascēderet in templum. ut in eo manifestaret se mundo, poterant si attendissent sufficienter intelligere, in eodem sensu Christum respondisse, se non ascensurum nisi palam & publicè, sed tantùm in occulto. Hæc citatus Doctor.

DISTINCTIO XII.

Quæ tollunt obligationem iuramenti promissorij?

NOta. Obligatio iuramenti promissorii quinq; modis tolli potest, scilicet, per relaxationē (in voto autem dicitur irritatio) per dispensationem, cōmutationem, interpretationem, & cessationem. Relaxatio vel irritatio, est annullatio facta ab illo, qui potestate dominatiuâ gaudet. Dispensatio, est annullatio cum causa, ab habente iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, vel ab habente privilegium. Quæ iurisdictio etiam requiritur, dum fit commutatio in minus bonum. cùm sic in parte dispensetur. Commutatio, est mutatio vnius materiæ in aliam. Interpretatio, est explicatio, quâ iudicatur iuramentum hic & nunc non obligare. Cessatio est, quando tollitur seu deficit materia, supra quam factum fuit iuramentum. Et hæc possunt applicari voto.

Dico 1. Pater relaxat iuramenta filiorum, Vir Vxoris, circa ea, quæ eius potestati subduntur, S. Th. 2. 2. q. 89. a 9. Idem valet dominus tēporalis cum suis subditis, circa quæ sunt subditi patet ex S. Thoma l. c. universaliter enim loquitur.

Dico

Dico 2. Qui habet poteſtatẽ delegatam irritandi, diſpenſandi, commutandi vota, poteſt etiam iuramenta votiva. Quia arctius eſt vinculum voti, & privilegia infavorem animarum amplianda. Diana p. 3. tr. 5. reſol. 25. cum Tannero. Sunt autem iuramenta votiva, quæ fiunt intuitu colendi Deum. Extendi poteſt probabiliter concluſio ad iuramenta annexa votis. Bonac. cum aliis, ſupra 2. Decalogi præc. q. 1. punc. 17. Item ad iuramenta votiva, mediatè ordinata in commodum alterius, ut eſt iuramentum dandi eleëmoſynam Vigur: tr: 8. c 8 dub. 20. & alii. Iuramenta verò facta, immediatè & ſpecialiter in favorẽ tertii, ab hoc ſolo relaxantur & commutantur, aut ab habente ſuper hunc, aut ſupra iurantem, aut ſupra rem iuratam, poteſtatem, relaxantur inquam ſaltem indirectè, condonando rem promiſſam. dela C. in præſenti & alii. Vnde licèt habeatur facultas circa vota, non ex eo habetur facultas circa iuramenta, in favorem tertii ſpecialiter facta, & acceptata. Dixi *acceptata*, ſiquidem ante acceptationem nullum ius acquiritur, ut advertit Makovius, tr. 2. ſuper Decal: d. 1. q. 9. a. 1. & alii.

Dico 3. In iuramentis abſolutis, perpetuæ caſtitatis, religionis, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ ac Compoſtellanæ diſpenſat Epiſcopus. dela C. & Ledeſma, contra Caiet: & alios, colligitur ex S. Th. l. c. ad 3. Ratio. Quia hæc poteſtas non eſt ablata ab Epiſcopis à lege, vel conſuetudine, ſicut ablata eſt poteſtas ab Epiſcopis circa vota abſoluta caſtitatis perpetuæ &c. Et ſic dum tempore Iubilæi conceditur facultas diſpenſandi in iuramentis, non eſt ratio cur hæc excipiantur.

DISTINCTIO XIII.

De Adiuratione.

NOta. Adiuratio ſecundùm S. Antoninũ eſt *inductio alicuius perſonæ vel creaturæ ad aliquid faciendum vel non faciendum, ex invocatione rei ſacræ*. Duplex eſt, quædam imperativa, quâ utimur ad ſubditos. Quædam deprecativa, quâ utimur ad Deum, Sanctos &c. ut patet ex uſu Eccleſiæ, quæ orationibus, talem finem imponit, per Dominum noſtrum Ieſum.

Dico 1. Adiuratio facta modo debito eſt licita & meritoria. Deficiente neceſſitate, item iuſtitia in re levi, eſt p. veniale. Immo deficiente veritate in re levi, ſecundùm Bonac. & alios apud eundẽ l. c. punc. vltimo, eſt tantùm veniale.

Dico 2. Adiurare Superiorem quaſi cogendo, prout Cayphas Chriſtum adiuravit, eſt pecc: mortale. Secus ſi adiuratur, quaſi rogando. Samuel de Lub. p. 1. Caſuum V. Adiuratio cum Armilla.

Dico 3. Adiurare dæmones per modum deprecationis non licet, quia talis modus ad amicitiam pertinet. Adiurare per modum compulſionis, quandoq; licet, ne nobis noceant &c. quandoq; non licet v. g. ad ſciendum aliquid ab eis, obtinendam ſanitatem, fugandas grandines &c. hoc enim eſſet beneficium expectare & ſocietatem habere. Bonac. l. c. & ſic eſſet p. mortale.

Dico

Dico 4. Volens dæmonem expellere & adiurans eum, circa eâ quæ ad expulsionem nihil faciunt. v. g. quid senserit Philosophus de immortalitate animæ, si hoc ex levitate faciat, & non ut à dæmone addiscat, non peccat mortaliter, quia sic non intendit cum eo aliquam amicitiam. Arm. cum Sylu. hoc tamen non faciendum, ne sic alii credant.

Dico 5. Adiurare creaturas irrationales secundûm se sumptas non licet. quia vanum & inutile. In ordine tamen ad eum à quo moventur, licet, vel per modum deprecationis ad Deum directæ, vel per modum compulsionis, quæ refertur ad dæmonem, qui in damnum hominum vtitur creaturis irrationalibus.

DISTINCTIO XIV.

De Voto.

NOta 1. Votum est *Promissio facta Deo de his, quæ ei magis placent* Licèt vota fiant Sanctis, hoc tamen fit propter Deum, qui in Sanctis colitur. Quatuor habet conditiones, ut sit circa materiam bonam, possibilem, liberam voventi, & suo contrario meliorem. hinc votum nubendi non tenet. Quia matrimonium impedit maius bonum, scilicet, cælibatum. Esset tamen validum, si ob proclivitatem ad Venerem, cælibatus esset moraliter impossibilis. Caiet.

Nota 2. Sicut supra in notando quarto divisimus juramentum, ita potest dividi votum. Præter quam divisionem, dividitur in solemne & simplex. Simplex est *nuda promissio facta Deo de meliori bono*. Solemne est, *quod præter promissionem factam Deo de meliori bono tradit hominem Deo irreuocabiliter* Irrevocabiliter inquam, vel ex statuto Ecclesiæ, ut votum annexum majoribus Ordinibus Et propterea hoc, ut docet Ledesma apud dela Cruz super 1. præc. a de voto. d. 8. ex natura sua est simplex, & solemne accidentaliter ex statuto Ecclesiæ. Vel tradit irrevocabiliter Deo, ex jure naturali & Divino, ut votum, quod communiter faciunt religiosi. Et propterea in hoc voto nequit dispensare Summus Pontifex, ut docet S. Th. 22. q. 88. a 11. Nec obstat quod legatur Summum Pontificem cum aliquibus dispensasse. nam ut ait M. Soto L. 7. de justitia & jure q 4. á. 2 Summus Pontifex secutus sententiam probabilem, vota Religiosorum esse dispensabilia, stante tamen causá gravissimâ. Scias, dici posse irrevocabile, quod nonnisi in casu extraordinario, per dispensationem, vel aliâ viá tollitur.

Dico 1. Tanta debet esse mentis deliberatio, ut valeat votum, quæ sufficit ad p. mortale. Nec tamen ad valorem voti necessarium est, omnes omnino difficultates expendere, quas vovens postea in voto experitur perpessu difficiles, quas si antea cogitâsset non vovisset. aliàs vix daretur votum validum. cùm vix inveniatur vovens, qui non experiatur in executione voti difficultates. Non etiam requiritur, ut vovens sit liber ab omni iracundiæ vel concupiscentiæ passione, vel etiam levitate, quando passio non est tanta, item levitas, ut rationis vsum ad p. mortale sufficientem tollat, Fernand. quoad omnes partes 1. p. C. 6. §. 1. Secunda

cunda conclusionis pars non obstat. Si vovetur aliquid cum ignorantia circumstantiæ gravissimæ, quam siquis sciret meritò non voveret, non tenetur votum implere. dela Cruz l. c. cum Torre. Quare qui vovit ire Ierosolymam putans parum distare non obligatur voto.

Dico 2. Votum, sicut juramentum, factum ex metu, illato ab intrinseco, v. g. ab infirmitate, vel à causa extrinseca naturali, v. g. tempestate, obligat. Et idem est, si fiat ex metu justè illato à causa libera, v. g. si mulier deprehensa in adulterio, cogatur aliquid vovere, vel jurare. Sylu. & Medina.

Dico 3. Votum, sicut & Matrimonium, factum ex metu cadente in virum constantem, & injustè à causa extrinseca illato, â jure, C. ad audientiam. de ijs quæ vi &c. irritatur. Non sic iuramentum præfato modo factum. sed ob reverentiam supremi Numinis, implendum, modò, res iurata ex se sit licita. V. distinctionis 11mæ conclus. 4tam.

Dico 4. Votum sine animo promittendi, est nullum. In foro tamen externo (dum non constat de animo) taliter vovens cogitur servare votum, & ad id tenetur ob vitandum scandalum. Immo si voves v. g. castitatem cum animo promittendi, non tamen se obligandi, licèt scias obligationem annexam promissioni, non teneris voto, ut dictum in simili de juramento d. 11. infine conclus. 5. sed à peccato non excusaris, sic vovendo.

Dico 5. Alienum votum neminem obligat, Et sic filius à patre religioni devotus, non tenetur vi voti religionem ingredi, nisi id ratificâsset, Eodem modo si communitas aliquid vovit, posteri vi voti non obligantur. ex alio tamen capite obligari possunt. de quo judicet vir prudens in particulari. Hæc doctrina extendatur ad juramentum, vnde successores non servantes juramentum antecessorum i non sunt perjuri. Ratio horum, eò quòd tales obligationes sint personales, dela Cruz in præsenti cum Ledesma.

Dico 6. Promittens jeiuniũ in vigilia alicujus Sancti, nõ tenetur præterlapsâ vigiliâ jeiunare, licet ex malitia omittat. dela Torre cum Caiet. eò quòd materia talis voti sit jeiunium ob festivitatem talis Sancti, quæ materia jam non extat. Adverte ex Salazar, non sic discurrendum de promittente intra annum religionis ingressum, quo elapso non cessat obligatio. quia tale tempus solùm erat circumstantia ad votum abbreviandum, non ad tollendam obligationem.

Dico 7. Votum de re parva, etiamsi res parva sit totalis materia voti, v. g. de non mentiendo venialiter, obligat solùm sub p. veniali. Sotus & alij, parva enim irrogatur irreventia. Et procedit conclusio etiam de votis rerum levium ordinatarum ad vtilitatem proximi temporalem, ut est votum dandi quotidie pauperi grossum. Quòd unde si pluries omittendo talem eleemosynam devenisti ad materiam gravem, non peccâsti mortaliter in singulis omissionibus, teneris tamen tunc ex virtute religionis sub p. mortali reddere illam quantitatem omissam, ait dela C. de voto d. 4 quia eleemosynæ omissæ copulantur. fis enim ditior. Non tamen idem est de voto recitandi quotidie vnum Ave Maria, proinde licèt

de licèt omittatur quantitas pro rosario sufficiens, non est sub mortali repetenda, ut habet communis DD. eò quòd omissiones non copulentur. Makovius de voto q. 6. a. 1. negat dictas omissiones eleëmosynæ copulari, si sint alligatæ diei. annuit Sanchez to. 1. lib. 1.

Dico 8. Qui positâ morali diligentiâ nequit ferre probabile judicium an voverit, non tenetur voto. quia in dubio melior conditio possidētis. Qui etiā positá morali diligentiá, scit quidem se vovisse virginitatem, dubitat tamen ex circumstantijs an simpliciter, an coniugalē, an perpetuā an ad tempus, non obligatur ad virginitatē simpliciter & perpetuam. Bonac cum alijs. Hæc doctrina applicanda jeiunio & alijs materijs. In tali voto virginitatis dispensat Episcop⁹, dela C. cum Torre. Quia ob dubiū nō censetur votū castitatis simpliciter, de quo est reservatio.

Dico 9. Qui vovit religionem bonis abundantem, tenet votum, si abundantia bonorum pro causa impulsiva & non finali ingrediente votum habeatur. Ex quo intelliges votum religionis, habendo pro fine Provincialatum non valere, sicut & votum dandi eleëmosynam, habendo pro fine vanam gloriam, non valet. dela C. in præsenti. Item Caiet. Nau. apud Busemb.

Dico 10. Qui vovit religionem, non tenetur adire monasteria remotissima, sed quæ arbitrio prudentis non multûm distant, attentá qualitate & possibilitate voventis. Quod si vovens habeat impedimentum temporale, faciet ut tollatur. v. g. nescit grammaticam, tenetur sub mortali addiscere, si vovendo intendit esse chorista, nisi ignoraret hanc esse necessariam, & non voveret, si sciret. nec tenetur sumere habitum laicorum, si intendit ut supra.

Dico 11. Ingressus religionem ex voto, si intra annum probationis religio non placeat, vel sit aliquomodo difficilis, non tenetur voto. At si sine causa rationabili dimittit habitum, aut epellitur è religione ob defectum emendabilem adhuc tenetur voto. quia votum religionis; quantum est ex se obligat profiteri, & hæc est communis intentio voventium religionem. oppositum docent aliqui quoad vtrumq; casum, scilicet dimissionis & expulsionis, apud Bonac. supra 2. præc, q. 2. p. 5. nisi expresse vovisset profiteri. qui ut sit liber in conscientiá à professione facienda, non sufficit minorem difficultatem experiri, sed judicare debet religionem sibi valde difficilem. quia in hoc casu maior debet vrgere ratio, quàm quando non exprimit, quòd velit profiteri. Oppositum quod est Reginaldi, judicatur probabile in Summa Dianæ. Licet enim aliquis expresè voverit profiteri, hoc tamen intelligendum secundùm consuetudinem Ecclesiæ concedentis annum probationis ad probandum, an religio placeat. unde ut non peccet retrocedendo non est necesse religionem experiri, vt valde onerosam.

Dico 12. Qui emisso religionis voto contrahit matrimonium, peccat quidem, sed non tenetur servare castitatem, poteStq; petere debitum. Nam talis intendebat castitatem dependenter à religione, quare si ab hac hic & nunc liber, etiam á servanda castitate.

Dixi, *hic & nunc*. Nam securiùs est, quòd talis mortuá vxore teneatur ingredi

gredi religionem. Sicut qui vovit monasterium ædificare, si pauper efficitur, reddità pinguiori fortunâ tenetur monasterium ædificare. in similibus enim casibus, votum non tollitur, sed suspenditur.

Dico 13. Si vovens non taxavit tempus impletionis voti, determinetur tempus arbitrio prudentis, attentis circumstantijs. Salazar non permittit differre ad quindecim dies. Non implens votum intra debitum tempus, interrogetur, vtrum id alijs vicibus confessus, si sic, non absolvatur, donec impleat. & hoc conformiter ad dicenda l. 2. d. 69 conc. 3.

Dico 14. Qui centies v. g. vovit determinatam eleëmosynam, si non implet, vnum tantùm p. mortale committit. eò quòd res promissa sit una tantùm. ill: verò qui promisit, se vigesies v. g. percussurum Petrum, toties. æquivalenter tamen, peccavit. Quia licèt res promissa sit eadem, iniuria tamen circa eam, vigesies multiplicari volita.

DISTINCTIO XV.

In quibus casibus cessat obligare votũ, vel remanet firmum?

Dico 1. Omnia filiorum vota, etiam religionis, emissa ante annos pubertatis, possunt à patre, vel in defectu huius à tutore, vel à matre, in defectu utriusq; irritari. Sylvester & alij. Adde, claritatis gratiâ, ex Philippo à SS. Trin. referente communem, licèt hæc vota implenda referantur ad tempus pubertatis. Quia ut innuit dela Cruz in præsenti ex S. Th. filij ante annos pubertatis jure naturæ subduntur prædictis personis, eò quòd tunc careant perfecto vsu rationis. Et licèt tunc quandoq; contingat eos habere perfectum vsum rationis, hoc est per accidens, ad quod lex non respicit. Scias, anni pubertatis sic taxantur, duodecim pro fœmina, & quatuordecim pro viro.

Dico 2. Vota personalia post annos pubertatis facta, vel saltem tunc confirmata, non possunt à parentibus irritari. cùm filij tunc, quoad hæc sint proprii juris. Caiet: & alii. Dixi, *vota personalia*. nam vota realia vel etiam mixta, facta ante annum vigesimum quintum (excepto voto eundi Ierosolymam, ut habetur in C. ex multa, de voto) possunt irritari à parentibus vel tutoribus, ut habet communis. Quia toto illo tempore subiicitur filius parentibus vel tutoribus in administratione temporalium. Nisi ut advertunt DD. filius sit emancipatus aut habeat bona castrensia. Dicuntur bona castrensia, quæ acquiruntur per bellum, advocatiam, cathedram &c. item dixi, *confirmata* Nam vota personalia ante annos pubertatis facta, & post annos pubertatis permanentia, nec tamen confirmata, ex sententia Caiet. & Victoriæ possunt à parentibus &c. irritari

Dico 3. Omnia vota Vxoris, quæ mariti juri prœiudicant, ut votum de abstinentia impediens debiti redditionem votum ingrediendi religionem, &c. votum, cuius executio familiæ gubernationi obest. ut votum peregrinandi, maritus irritare potest. Adverte, Si talia vota essent ante matrimonium emissa, quoad su-

um effectum possent suspendi à marito, non verò irritari, secundùm sententiam securiorem. Vota tamen vxoris quæ non præiudicant viro, aut gubernationi familiæ v. g. de nō furando, de facienda eleemosyna ex bonis paraphernalibus, &c. vir nequit irritare. Tabiena Nau & alij Nam in his quæ juri viri non præjudicant ipsa est perfecti jurjs. Vxor etiam ea vota viri irritare potest quæ suo juri in corpus viri præiudicant. Et ideo irritare potest votum viri de nunquam petendo debito, quatenus sibi præ pudicitia & naturali necessitate onerosum.

DIco 4 Vota famulorum nequeunt irritare heri. Verùm si famulus serviat contractu oneroso, & herus recuset eum rescindere, potest vota quæ seruitio per contractum obligato obsunt pro eo tempore suspendere. comm: DD. apud Ant: Fern. 1. p. C. 6. § 7. Secus dicendum de irritatione votorum à mancipijs emissorū, hæc enim à Dominis irritari possunt, eo modo quo vota vxoris à marito.

Dico 5. Quamvis votum sit emissum cum licentia superioris, adhuc potest ab eo, aut successore sibi æquali & non ab inferiore irritari. Nam prælatus concedendo licentiam non abdicauit à se potestatem super actiones subditorum. Qui tamen sic datam licentiam, sine ratione reuocat mortaliter peccat, ut doceri solet, contra Suarez & Layman. sed nostra sententia procul dubio securior. Immo & ille non excusandus à mortali, qui non dedit expressam licentiam vovendi, & irritat votum sine causa colligitur ex S. Th. 22 q. 88. a. 12. Et ratio. quia utitur potestate in destructionem in re graui Circa quæ scias. Votum semel directè irritatum non reviviscere, etiamsi ille qui irritauit vellet. Tabiena & Rosella. patet ex C. Quiddam. Secus, si tantùm esset suspensum.

Dico 6. Episcopus nequit irritare vota Clericorum. Nam ad irritanda vota & juràmenta, requiritur potestas dominatiua, quam non habet Episcopus super Clericos, cùm non possit de rebus eorum disponere. Quatuor autem sunt qui gaudent potestate dominativa. Pater respectu filiorum. Dominus respectu mancipiorum. Maritus respectu vxoris. Vxor respectu mariti, in illis tantùm, quæ debitum maritale concernunt.

Dico 7. Episcopus in omnibus votis dispensare potest, à fortiori eadem commutare, præter votum religionis, castitatis perpetuæ, peregrinationis Compostellam, Hierusalem vel Romam. Nota, ad dispensationem requiri jurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori & spirituali, quâ gaudet Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in suo Episcopatu &c. Qualis authoritas non requiritur in dispensánte virtute priuilegij, & fàcultate delegatâ.

Dico 8. Episcopus dispensat in voto Sacerdotii, in voto non nubendi, in voto disjunctiuo, v. g. voueo Sacerdotium vel religionem, in vota vitandi mollitiem in voto non petendi debitum, in voto conditionato castitatis perpetuæ, etiam conditione impletâ si apponatur conditio verè & non tantùm secundum formam externam. tunc autem conditio est tantùm secundùm formam externā. quando particula *Si* æquiualet particulæ *quando*. v. g. voueo castitatem, si pater morietur, tale enim votum est verè absolutum. Item dispensare potest in voto condi-

conditionato pœnali, licèt conditio impleatur. sit exemplum voti conditionati pœnâlis, voueo religionem si fornicatus fuero. Ita dela C. in præsenti, cum aliis. Et ratio. Quia hæc vota, vel non habent per se & necessario annexam castitatem, vel sunt vota imperfecta. solùm autem votum castitatis perfectum censetur reseruatum. quia cum reseruatio sit odiosa, strictè est explicanda.

Adde. Qui potest dispensare in voto conditionato pœnali, potest etiam dispensare in pæna, v. g. eleemosyna promissa si luseris. vel in aliud commutare, etsi conditio impleatur. eò quòd facultas tollendi votum ad omnia se extendat, dela Crux cum Torre.

Dico 9. In graui necessitate, si non pateat ad Summum Pontificem aditus, Episcopus dispensare potest in votis, alias Summo Pontifici, reseruatis. Sylu. & alii. An verò idem possint Regulares virtute priuilegiorum? negat Lezana & alii. Nam Regularibus concessa est potestas in vota, quæ ordinariæ Episcoporum iurisdictioni subduntur, non quæ ex sola juris interpretatione, & peraccidens, vt sunt vota de quibus modò loquimur. cùm hæc non sint propriè Episcopalia. Affirmant Murtia, Auersa, Pasqualigo, apud Antonium à Spiritu Sancto in Directorio Regul. t. 2. d. 3. sect. 2. §. 2. cùm vota Papæ reseruata, in tali casu subsint ordinâriæ potestati Episcopi, propter dignitatem officij, in omnibus autem votis sic Episcopo subjectis dispensant Regulares per priuilegia. sic discurrit Ant. á Spir. S. An verò idem possit Parochus redacto casu ad summas angustias v. g. si omnia pro nuptijs. iam parata, asserere non audeo, vnde in simili casu conuiuium celebretur, & mox fiat recursus ad Episcopum vel saltem Confessariū priuilegiatū. Scias. Apparatus nuptialis nō sufficit ad dictā dispēsationē.

Dico 10. Licèt non possit dispensare Episcopus in voto religionis, potest tamen commutare in religionem laxiorem. Quia sic non mutat substantiam, sed solùm qualitatem. Et propter eandem rationem secundùm Rodriquez & alios. Prælatus Regularis dispensat in voto Professi transeundi ad strictiorem, non tamen secundùm beneplacitum, valet tale votum irritare, vt disponitur in C. licet, de Regularibus.

Dico 11. Confessarius Regularis dispensat in omnibus votis in quibus Episcopus. Excipiunt aliqui votum peregrinationis ultra duas dietas, sed hæc limitatio non colligitur ex priuilegijs, quæ innuit Lezana & alias Gab. á S. Vinc. expresè ait in hoc posse Confessarium Regularem dispensare numerat autem 60. milliaria Italica pro 2. dietis. Item Confessarius Regularis commutat vota in minus bonum. Cum hoc sit minus quam dispensare. vtraque pars conclusionis procedit licet vota sint jurata, secundùm dicta de iuramento d. 12, conc. 2. Et aliàs ex concessone Gregorii XIII. patet, insinuata à dela C de privilegiis Regularium L. 2. C. 6. d. 8. Item judico procedere conclusionem de commutatione voti religionis strictioris in votum laxioris, cùm id possit Episcopus, vt dictum. Sixtus autem IV. apud dela C. l. c. concessit minimis, posse omnia vota commutare, sicut potest Episcopus.

Ex his

Ex his intellige, Regulares in hoc plus Parochis habere. hi enim cum suis ovibus nequeunt in votis dispensare. Comm. apud Bonac. super Decal. q. 2. punct. 7. Sicut nec Abbatissæ cum suis Monialibus ob defectum jurisdictionis spiritualis. DD. apud Bonac. l. c. possunt tamen ea irritare, cùm non minorem habeant iurisdictionem quàm Pater in filios, aut maritus in Vxorem, ut ait Gab. à S Vinc. in Summa.

Dico 12. Prælatus Regularis nequit directè irritare vota Novitiorum. Quia caret potestate dominativa in eos, quæ ex professione acquiritur. Potest tamen vota Novitiorum indirectè irritare, seu potius suspendere, si convenienti Ordinis regimini sint contraria. Idem potest Magister Novitiorum, ex Candido & Bordono apud Lezanam t. 4 q q. Regul. V. Novitii. Et sic, non factá professione. vota sic suspensa reviviscunt. Vtrum verò prælati Regulares dispensare & commutare possint Novitiorum vota? ℟. quòd sic. Quia gaudent potestate Ecclesiasticâ in eos, sicut Episcopi in advenas. Lez. & Philippus in 2. 2. d. 3. de virtute religionis d. 8. Hoc tamen non possunt Magistri Novitiorum. Cum Novitii solùm subiiciantur Magistris quantùm ad educationem & non quantùm ad jurisdictionem. Lezana & alijs. Gab. à S. Vinc. citans communem, concedit Magistro Novitiorum commutationem votorum in onera Religionis.

Dico 13. Quando votum non est Papæ reservatum, ipse vovens potest commutare in aliam materiam moraliter evidenter meliorem, Immo in sententia Soti, Lopes & aliorum apud Philippum à SS. Trin. l. c. dub. 11. vovens potest mutare suum votum in materiam evidenter æqualem. Quia æquale obsequium fit Deo, & aliàs hilarem datorem diligit Deus. Et idem dicendum de commutatione juramenti promissorii, in evidenter æquale. vt votum commûtetur in materiam æqualem, sufficit hæc causa, secundùm communem apud Fern. p 1. C. 6. §. 2. vt sic vovens suaviùs & liberiùs operetur. Sed ad commutationem in minus, tanta requiritur, quanta est necessaria ad dispensationem partis (dum enim votum in minus mutatur, in parte dispensatur) quare, non habens facultatem dispensandi, nequit in minus mutare. Qui tamen habet facultatem commutandi. potest in minus. aliàs nullum esset privilegium. cùm sit probabile ipsum voventem posse commutare in evidenter æquale. Ad commutandum in minus sufficit. vel difficultas in persolvendo, vel utilitas voventis. Bonac. l. c.

Dico 14. Votum perpetuum non necessariò commutandum in obligationem perpetuam, si perpetuitas compensetur qualitate & gravitate operis subrogati. Quæ autem consideranda in exæquatione materiarum, judicio prudentis relinquendum. V. Mosc. in Exam. Approb. tit. 13. q. 10. & 11. Inter alia (si votum peregrinationis commutatur) expensæ considerandæ, sed illæ tantùm, quæ extra ordinarias fierent, & labor itineris. Consideratas expensas sufficit erogari in pias causas, vbi placuerit. Scias. Commutatio, sicut & dispensatio, factâ authoritate ordinariâ, fieri potest extra Confessionem. Cùm non tánta inter hanc & illam connexio. Item si à Regularibus fiat virtute privilegiorum, ut refertur in

Summa Dia. V. voti relaxatio. Aliàs ſi virtute Bullæ, attendenda clauſula v. g. *confeſſione auditâ*, an referatur ad commutationem votorum, an tantùm ad abſolutionem peccatorum.

Dico 15. Acceptâ commutatione, licet voventi redire ad priorem materiam promiſſam, omiſsâ ſubrogatâ. Sed poſtquam redierit ad prius votum, nolens cõmutatione uti, non poteſt ad ſubrogatam redire propriâ authoritate. Moſc. l. c. quoad utramque partem. niſi materia ſubrogata eſſet evidẽter æqualis promiſſæ.

Dico 16. Per profeſſionem Religionis omnia vota in ſæculo facta commutantur in illam. Ad hoc autem non requiritur aliqua intentio in profitente, cõmutandi talia, eò quòd ex natura profeſſionis id oriatur. quia eſt mors vitæ præteritæ. Extinguuntur etiam juramenta de rebus piis ad Deum ſolum facta. Quia hæc ſe habent, quaſi quædam vota. Si autem juramentũ eſſet homini præſtitũ & ab eo acceptatum; non poſſet in profeſſionem commutari, quia eſt jus acquiſitum tertio. Lezana quoad omnes partes cum aliis, tomo 1. qq. Reg. C. 3. relatis. Votum etiam voventis jeiunare per totam vitam extinguitur poſt ſexaginta annos. Diana, quem citat & ſequitur Gab. à Sancto Vinc. V. votum. Quæ doctrina ſecundùm Dianam extenditur ad Regulares ſexagenarios, quos votum jeiunandi in nonnulis religionibus, non obligat, licet juvenes non habentes vigeſimum primum obliget.

QVÆSITVM.

V. *Qui vovit ieiunium omnibus ſextis ferijs. teneatur abſtinere die Nativitatis Domini, dum feriâ ſextâ celebratur?*

RESpondẽt aliqui negativè. Nam vota ſunt explicanda ſecundùm interpretativam intentionem. Non eſt autem verò ſimile, taliter voventem ſe voluiſſe obligare ad diem tantæ ſolemnitatis & communis lætitiæ, & ſi de hoc interrogatus fuiſſet negativè reſpondiſſet. Item cùm non conſtet certò de intentione voventis, votum ſumendum, juxta morem conſuetum Eccleſiæ. Adde. Vbi agitur de obligatione inducenda, explicatio debet eſſe mitis. Conformiter ad hæc. Qui vovit jeiunium in vigilia alicuius Sancti, ſi veniat die Dominicâ, ſufficit Sabbatho jeiunare, conformando ſe Eccleſiæ. niſi aliam intentionem habuiſſet. Armilla. Et extendit ad eum, qui vovit jeiunare totum menſem, dies Dominici non intelliguntur, niſi intendiſſet.

Circa tertium.

HOc Præcepto, in nova lege in aliquibus immutato ſanctificatio feſti, Miſſam audiendo, non laborando, orando, ſe ad diem feſtum per jeiunium diſponendo, ſemel in anno confitendo & communicando (ſed de his duobus alibi) tandem miniſtris Eccleſiæ neceſſaria præbendo præcipitur.

DISTIN-

DISTINCTIO XVI.

De audienda Missa.

NOtá ex Moscicensi : audire non ita in præsenti sumitur, vt idem significet, quod aure corporis percipere, alioquin surdus non diceretur Missam audire, neque sanus si Sacerdos submisse diceret, immo etiamsi clarâ voce in magna populi frequentia. nam tunc valdè distantes non audiunt. Vnde omnes Doctores passim docent neminem ex præcepto teneri, sic audire & minus intelligere verba Sacerdotis. Sumitur itaq; hîc auditio moraliter, quòd scilicet, se gerat instar audientis, decenter, piè, religiosè Missæ assistendo, cruce se signando, genua flectendo &c. Exoptando vt Sacerdos pro omnibus orans exaudiatur; Cogitando de Deo cui sacrificium offertur, vel de Dei Beneficijs, quæ per sacrificium offeretur. Nullum impedimentum devotioni repugnans præstando v. g. colloquendo, distractè orando, &c.

Dico 1. Missam tenetur audire omnis Christianus non impeditus singulis festis de præcepto, sub peccato mortali, etiamsi absit scandalum & contemptus. est communis Ecclesiæ sensus. & patet ex determinatione Innoc: XI. dum inter alias propositiones hanc damnat : *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.* Tenetur inquam audire missam non autem aliud quod succedat loco Missæ. vnde feriâ 6ta. in Parasceve, in qua occurrit festum Annuntiationis, non tenentur fideles audire illud officium in quo Sacramentum præconsecratum sumitur. Nam non est Missa. Ita Gavantus referens declarationem Sacræ Congregationis die 19 Febr. 1622. id declarantem. satis etiam est vnam audire etiam die Nativitatis Domini : sicut & semel celebrare.

Dico 2. Satisfacit præcepto Ecclesiæ juxta D. Antoninum & Nau. apud dela Crux audiendo Missam ab Evangelio inclusivè, vsque ad communionem finitam. Et qui alia omittit satisfacit Missæ. etsi peccet venialiter ob parvitatem materiæ omissæ. imò qui audit dimidiam missam ab vno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio, satisfacit, cum audiat integram Missam. Nau. & Soto. Quod intellige de eo, qui audit successive. nam qui audit simul & semel seu eodem tempore non satisfacit ut contra Bonac. Hurtadū & alios Theologos determinavit Innocentius XI. damnando hanc Propositionem. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas eius partes imò quatuor simul, à diversis celebrantibus audit.* Et qui oppositum determinationi Innocen: his temporibus doceret, Excommunicationem Papæ reservatam incurreret.

Dico 3. Qui transit per oppidum ubi celebratur festum particulare non tenetur audire Missam immo licet indè recedat vel eò accedat; ut colligo ex Sanchez & Diana, contra dela Crux & alios nam vt præfati Doctores docent Peregrinus non tenetur legibus particularibus & consuetudinibus loci, nisi habeat intentionem manendi pro majori parte anni. Hinc Germani aurigæ venientes in Poloniam,

am non tenentur ad festa particularia Poloniæ, item ad abstinentiam à lacticinijs quam servant Poloni extra Quadragesimam. Dixi, *vbi celebratur festum particulare non obligari peregrinos*, & idem de vagis. Nam ad festa & jeiunia quæ sunt de iure communi peregrini obligantur, licèt ea in patria non serventur & idem de vagis.

Dico 4. à præcepto audiendi Missam excipiuntur aliqui. *Primò*, qui sunt impediti negotio quod in aliud tempus differri non potest, quales sunt custodes Civitatum & similes. Deinde infirmis inservientes, quos sine periculo relinquere non possunt. Matres quoque & nutrices, quæ parvulos tutò deserere non possunt. Item propter cæli intemperiem, ut pluviam magnam, nives, turbines &c. Item valetudinarii quibus surgere & egredi noceret. Item famuli qui iussu Domini coguntur aliquid magni momenti facere. Quod si sint levia quæ præcipiuntur, Domini quidem peccant, eò quòd salutem famulorum negligant, famuli tamen tunc tantùm excusantur, præstando levia, quando obtemperant ad evadendum rixas vel obiurgationes duras, Item excusantur pastores ab hoc Præcepto. Qui tamen socios habent alternatim vadant ad Ecclesiam. Quòd si non procul ab Ecclesia distant, & plures Missæ celebrantur, vnus audiat vnã, alius aliã Missam, ita dela Cruz. Deniq; quandocunq; rationabilis causa adest, excusatur fidelis, ab audienda Missa, sed de hac iudicet prudens Confessarius. Qui tamen infra Missam confitetur, ut suæ devotioni satisfaciat, licet alio tempore confiteri non possit, ab audienda Missa non excusatur, ut docet Moscicensis.

DISTINCTIO XVII.

De cessando à laboribus die festo.

DIco 1. Præter opera servilia sunt nonnulla opera non servilia etiam hoc Præcepto prohibita. Hæc deducit Fernandez ex iure. Primò nundinæ, nisi consuetudo aliud suadeat. Item locationes. Secundò, Iudicium civile. Tertiò, iudicium criminale. Adverte, non vetatur informare iudicem etiam cum Advocato & Procuratore. Item non vetatur appellare. Quartò, iuramentum in causis iudicialibus, nisi aliàs petatur pro pace aut alia necessitate. Quintò, strepitus iudicialis, & annullatur processus & sententia lata in festo, etiam de consensu partium. nisi alias pro pietate aut necessitate. nam aliquando immanitas delicti notorij petit malefactorem subito etiam sine processu suspendi.

Dico 2. Licèt sit mortale ex genere suo facere in festo opera servilia, ex parvitate tamen materiæ erit peccatum veniale v. g. laborare per vnam horam. Diana tamen sequens Fillucium, Henriq. & Granadum, excusat eos à mortali, qui per duas horas laborant.

Dico 3. Aliquando licet exercere opera servilia die festo. Primò, pro salute corporali, ut patet in pharmacopolis potum ægris, etiam pretio, propinantibus. Secundò, pro vitando damno imminenti hostium aut tempestatum licet colligere

ligere fructus. Tertiò, licet resarcire vestes pauperum, & ipsis, & pro ipsis ablato scandalo laborare, pro victu acquirendo. Quartò, etiam sine necessitate sunt licita opera servilia, quæ sunt in usu, sciente & non contradicente Superiore, v. g. molere triticum, navigare, & ducere currum sine onere gravi, itinerari, & his similia quæ in locis Catholicis communiter exercentur, alias causas excusantes permitto iudicio prudentis. excusat etiam Sà & Homobonus puellas die festo suentes, vel aliud opus facientes ad vitandum otium.

Adverte. Quoties necessitas propria aut proximi non est ita clara, petatur licentia ab eo, à quo secundum consuetudinem loci solet peti. Et hoc est verum licet laboretur in domibus Religiosorum, ut benè docet Rodriquez. Quodsi necessitas certa, non est necessaria licentia. sicut nec ad non ieiunandum, secundùm S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4.

Petes. Quid de tonsoribus dicendum? ℞. Si tonsores unus vel alterius radant barbam excusantur ob parvitatem materiæ. quòd si radant omnes, vbi adest talis consuetudo tolerata, excusantur ratione consuetudinis. Item si ex frequenti omissione tonsuræ grave nocumentum paterentur. Aliter non permittitur exercitium tonsuræ die festo.

Dico 4. Licite transcribuntur in festo libri & processus ex mercede. nam, hæc non sunt opera servilia Diana & alii Et sanè si hæc opera possunt fieri die festo ob lucrum quod speratur ut concedit ipse Fernandez, cur non possunt fieri ex mercede pacta? idem dicas de piscatione si non sit laboriosa, ut ferendo retia. &c. de pictura secundùm dela Cruz, de characteribus à Typographis die festo ordinatis, ut docet Homobonus. ratio est, quia hæc sunt opera ingenua. at verò prælo incumbere, cùm sit opus servile die festo non est licitum. Itaidem Homobonus.

DISTINCTIO XVIII.

De Oratione & præcipuè de Horis Canonicis.

NOta primò Attentio est triplex. Actualis, virtualis, & habitualis. Attentio *actualis* est quando quis voluntariè actu attendit quod operatur. *virtualis* est quando quis à principio instituit attendere, & casu contra suam voluntatem cogitat de alijs *Habitualis* est quando quis operatur ex habitu & consuetudine, mente non intendens ad illud quod operatur v. g. qui instrumentum pulsans ex consuetudine mente ad alia negotia totus intendit, neq; à principio animum applicat ad pulsandum.

Nota 2. ex Caietano. Quatuor modis potest quis orando attendere, loquendo præcipuè de attentione actuali. Primò quantùm ad verba, per quod significatur quòd verba non debeant dimidiari, & quasi devorari, sicut aliqui incipiunt versum, & reliquum ita deglutiunt, ut vix se ipsos intelligant. Item quòd versus non debeat inchoari, nisi priùs socius suum versum finiat. In quibus, modo dictis, si multo-

si multoties intra idem officium divinum exceditur, peccatur mortal. ut cum Nau. docet Fernandez. quia notabiliter minuitur officium divinum, & notabiliter turbatur devotio. Secundò potest quis attendere quantùm ad sensum verborum, ut mente percipiat & applicet affectum ad id, quod verba significant ista nō exigitur, etiam in doctis, licèt utilis sit. Mosc. Tertiò, quantùm ad gratiam petitam, puta castitatem, humilitatem, fidem, spem, divinam amicitiam, cælestem patriam &c. Quartò, ad ipsum Deum, seu Iesum Christum Crucifixum. Et hæ omnes attentiones, secundâ exceptâ, communes sunt doctis & in doctis. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. has quatuor ad tres reducit.

Nota 3tio. Horas Canonicas esse septem. scil. Matutinum, Primam; Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas & Completorium. In quo imitatur Ecclesia Regij Vatis morem laudandi Deum, ipsomet teste. *Septies in die laudem dixi tibi.* Alii tamen Laudes à Matutinis separantes totum Officium Divinum in octo partes dividunt, aiuntq; Ecclesiam imitari Esdram, qui post liberationem à captivitate Babylonis constituit, ut octies Deus laudaretur, quater in nocte, & quater in die. significant autem Horæ Canonicæ varia Christi Domini passionis tempora, his versibus expressa.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis. dat causam Tertia mortis.
Sexta cruci nectit. latus eius Nona bipertit.
Vespera deponit. tumulo Completa reponit.

Dico 1. Quoties homo est in gravi necessitate, tentatione v. g. Infidelitatis, desperationis, luxuriæ &c. tenemur orando implorare Divinum auxilium. Quia tunc potissimè obligat præceptum Orationis. Quòd si non oret, & tentationi succumbat, peccat dupliciter scilicet contra religionem & castitatem v. g. obligat etiam præceptum Orationis pro patria, grassante aliquo gravi malo. item pro parentibus defunctis, ut è purgatorio citiùs educantur.

Dico 2dò. Obligantur ad Orationem Horarum Canonicarum sub peccato mortali in C. Dolentes, initiati maioribus Ordinibus. Item Religiosi Professi vtriusq; sexûs Choristæ, ratione consuetudinis. communis Theologorum. unde si fortè aliquis Professos Ordinis Præd. adhuc in maioribus non constitutos, docet non obligari sub mortali ad horas Canonicas, non est audiendus. cùm eos sic obligari constet ex quadam dicti Ordinis declaratione. Sà in hoc, sit correctus. Dixi *Professi*; nam Novitii non obligantur. Armil. V. Horæ Canonicæ & alii. Sed an Conversi Professi obligentur sub peccato mortali ad certas preces in Constitutionibus assignatas? ℞det Caiet: apud Arm. l. c. negativê.

Dico 3tio. Quo die quis Subdiaconus ordinatur, non tenetur ad totum officium illius diei, sed solum ad horas quæ post ordinationem supersunt. Diana cum aliis. An verò Clericis, Episcopus à se ordinatis possit iniungere psalmorum recitationem perpetuam? negativè respondet Diana cum Villalobos. Et probabile est nolle eos obligare sub mortali ad psalmos, quos semel vel bis recitandos iniungit, sed tantum ex honestate. Homobonus cum aliis.

Dico

Dico 4to. Qui in die Animarum recitant Officium de Octaua Omnium Sanctorum, non absolvuntur ab obligatione recitandi Officium Defunctorum. Ita Comm: quia proprium Officium illius diei est Officium Defunctorum. Vnde commemoratio Defunctorum inscribitur. Quod dicitur de Officio Defunctorum in die Animarum, dicendum est de Litaniis certis temporibus. Vnde qui diebus Rogationum & Sancti Marci processioni non intersunt, tenentur ad privatam recitationem litaniarum. Gavantus contra Vasq. & alios Adverte Patres Prædicatores qui in die Animarum ex dispensatione Ecclesiæ solum Officium Defunctorũ recitant, ad aliud eadem hebdomada secundùm suum Breviarium obligantur.

Dico 5tò. Si Religiosus Professus è Religione eiicitur tenetur horas recitare sicut & Clericus degradatus. de la Crux. Quia ex suá improbitate non debet reportare levamen. Oppositum docet Sotus quia eiectus non tenetur consuetudine Religionis Res certior de Chorista translato ad statum laicorum, qui cessat obligari ad horas Torre.

Dico 6tò. Si Religiosus v. g. Dominicanus recitet per Breviarium Romanum (prout potest) tenetur recitare Officium B. M. V. Canticum graduum, prout pro illa die in suo Ordine dicitur. Solùm enim qui receperunt Breviarium Romanum à prædictis extra horum liberantur: sicut à psalmis pœnitentialibus in ferijs præscriptis. Item ab Officio Defunctorũ in secundis feriis Adventûs & Quadragesimæ, & in prima feria cuiusslibet mensis. Diana Quare sciendum Partes Dominicanos teneri sub peccato mortali, exceptis certis diebus, recitare paruum Officium B. V M. & singulis septimanis Officium Defunctorum, Armilla.

Dico 7mò. Oratio sive fiat ex præcepto siue ex voluntate, orans semper tenetur attentionem apponere, non solùm ad assequendum fructum Orationis, sed etiam ad culpam vitandam. Vnde Christus Dominus reprehendit distractè orantes, adducens illud Prophetæ. *Populus hic me honorat labijs, cor autem eorum longè est a me* Attamen qui non ex præcepto orat, ordinariè non nisi venialiter peccat. Qui autem de præcepto orat, & voluntariè distrahitur, mortaliter peccat. v. g. horas Canonicas persolvendo, Conclusio quoad vltimam partem probatur ex C. Dolentes de celebratione Missarum. ubi hæc habentur. *Districtè præcipientes in virtute sanctæ Obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum. quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter & devotè.* Id ipsum supponit Ordo Prædicatorum, dum de Officio Ecclesiæ C. I. declaratione super illa verba. *Matutinas autem & Missam &c.* docet in officio Divino non sufficere attentionem habitualem. Sanctus etiam Thomas hanc veritatem docet in 4 d. 15. q. 4. ar. 2. quæstiunculá 4. ad 2. dicens. *Si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit.* Ex exemplis in confirmationem doctrinæ nostræ, unum è S. Gregorio sufficiat, qui refert, quibusdam irreverenter Divinum Officium recitantibus dæmon apparuit, eosque fœtidissimá uriná totos aspersit, dicens: *ad talem orationem, hanc meritò infundo aspersionem.* Tandem hanc Conclusionem commendat illud Sac: Scripturæ. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* immo talis, non ut homo, sed ut psittacus aut p ca garrit.

Adverte in C. citato Dolentes, particula, *studiosè* denotat attentionem, particula, *deuotè*, denotat devotionem. est autem devotio, prompta voluntas faciendi, quod ad Dei servitium pertinet. Et sic recitaturus horas Canonicas benè faciet, si id in cultum Dei B. V. M. & SS. offeret, non oblivifcendo eorum pro quibus orare tenetur, ex quibus sunt benefactores, & eorum consanguinei.

Dices. Ecclesia non iudicat de internis. Ergo Ecclesia in C. Dolentes non præcipit attentionem, quæ est, actus internus ℟. licèt Ecclesia non iudicet de internis directè, iudicat tamen indirectè, inquantùm interna coniunguntur cum externis. Sic Ecclesia excommunicat Inquisitores hæreticæ prauitatis, si odio vel amore procedant contra iustitiam.

Dico 8uò. Non requiritur actualis attentio in tota recitatione horarum Canonicarum. cùm hoc sit moraliter impossibile. Sed sufficit virtualis, & prima intentio, quâ accessisti ad orandum, cum animo implendi præceptum Orationis, modò tamen de industria diu non divageris, aut alia facias impedientia attentionem. Quia sic orando peccares, & non impleres præceptum recitandi horas Canonicas. Scias ut satisfiat præcepto horarum Canonicarum sufficit vno modo ex quatuor annotatis attendere. Caiet. Arm. & alii.

Dico 9nò. Si quis advertit se cogitare hæc vel illa, sed non advertit quod ab Officio Divino distrahatur, quamvis voluntariè illa meditetur, non peccat, quia adhuc animus ab officio Divino voluntariè non distrahitur. Caiet. hæc sententia tanquam scrupulosorum medicina est valdè notanda.

Dico 10. Opera quæ non impediunt attentionem, possunt tempore horarum Canonicarum exerceri. vt sunt vestire, manus lavare, deambulare, & simile. Sotus apud Cortadum. Opera verò quæ impediunt attentionem, non possunt sine mortali exerceri, ut est scribere, pingere, pecuniam numerare, alium librum legere, de conceptu v. g. prædicabili cogitare. Ioannes Corradus.

Dico 11. Recitaturus Officium Divinum, non tenetur exprefsè proponere se velle recitare Officium Divinum attentê, sed satis est, quòd Officium Divinum recitet cum confusa apprehensione & proposito faciendi opus consuetum. Bonac. cum communi. unde sufficit de more accipere Breviarium & Officium ita recitare, ut si recitans interrogetur, quid faciat, respondere possit, se orare, aut velle præceptum implere. Nam Breviarium de more accipiens, satis indicat se illud accipere ad eum finem, ad quem alias Breviarium adhiberi solet. Ita citatus author ex Soto & alijs. Hinc qui accedit de more ad Ecclesiam, ibi officium recitaturus, licet postea recitet distractus involuntariè, satisfacit. Quia eò ipso quòd quis voluntariè quid simile faciat, habet intentionem persolvendi munus suum, consequenter habet intentionem attendendi, cùm intentio non subsistat sine attentione, & attentio sequatur intentionem orandi. Bonac. cum multis aliis. Nec tamen per hoc citatus author concedit sufficere attentionem habitualem, qualem haberet ille, qui sciens memoriter psalmos de alia re voluntariè cogitaret.

Dico 12. Qui benè & attentè recitavit, non tamen animo implendi præceptum,

ptum, ſi intra tempus præcepti animum mutat, ſatisfacit. Torre & alii. Quia illa prior recitatio habuit totum requiſitum pro ſubſtantia præcepti, & ſolùm defuit voluntas obediendi & ſatisfaciendi præcepto, ergo ſi iſta intra tempus præcepti mutatur, nihil deerit. Applica Dum v. g. veſperæ dictæ de confeſſore, & erant de Martyre, ſufficit ea tantùm repetere, quæ de martyre.

Dico 13. Qui ſine legitima cauſa recitando in choro, dicit ſubmiſsâ voce verſum ſui chori, & alterius chori verſum tantùm audit, non ſatisfacit. Quia non communicat in Oratione cum altero choro. Armilla cum Caiet. Cæterum oppoſita ſententia etiam eſt probabilis, quam tenet Tabiena, Torre, Rodericus Fernandez &c. Et eam tutè practicari poſſe à Religioſis ſcrupuloſioribus, docet Lezana.

Dico 14. Qui audiunt tantùm recitari Officium Divinum, & id mentaliter ſolùm dicunt, non ſatisfaciunt. Communis. Quia præceptum eſt de recitando & non de audiendo tantùm horas. Nec Religioſi ſatisfaciunt mentaliter & intra ſe dicendo horas. Nam vivæ vocis oraculum à Leone X. conceſſum, iam eis non ſuffragatur. cùm ſimilia oracula per Vrbanum VIII. ſint ſublata.

Dico 15. Bonacina & alii apud Bonac. tenent ſufficere motum labiorum in privata recitatione, quàmvis recitans ſeipſum non audiat. cùm præceptum ſit ad dicendum & non audiendum. Diana tamen docet hanc ſententiam ſolùm valere pro ſcrupuloſis. Nam vox orantis debet eſſe audibilis, ſaltem ab ipſo orante & verba quæ ſecluſis impedimentis non poſſunt audiri, non videntur verba, ſed quidam motus in gutture ſeu inter dentes, quem deteſtatur Conc. Baſilienſe apud eundem Dianam.

Dico 16. Dicere horas Canonicas cum aliqua mutatione aut corruptione, vel deglutiendo aut ſyncopando verba, ſyllabas aut verſus, eſt peccatum mortale. quando ex tali modo dicendi ſequitur Officium non dici integrè quoad partem notabilem. Quia hoc eſt idem ac omittere partem notabilem, quod eſt peccatum mortale. Lezana cum Nau: & Suarez. Qui tamen ad chorum obligati cum talibus recitant, non tenentur ſupplere. Sà cum aliis tacite à ſe relatis. Et ſatis rationi congruit, ſic de benignitate Eccleſiæ iudicare. Sed viderint Superiores, qui talia permittunt.

Dico 17. Qui dimittit aliquid in medio vel in principio horæ, non oportet repetere totam horam, ſed id quod omiſſum eſt. Armilla, Vvervanus & alii. Si autem partem notabilem dimiſit, ſine qua forma & modus horæ iudicio prudentum non ſalvatur tenetur ſub mortali horam totam repetere. D. Antoninus & Armilla. Hinc ſi veniſti ad tertium nocturnum non teneris totum matutinum repetere, cùm ſine, duobus nocturnis ſalvetur iudicio prudentum forma matutini. Idem dicendum eſt; ſi voluntariè diſtractus, per tantam partem Officii Divini oráſti, quia tantùm eſt acſi omitteres.

Dico 18. Qui Officio chori incœpto, inſervit, ibidem, quærendo pſalmos aut alia pro officio, aut præparando dicenda, aut alia. Si omittat interim à choro recitata, etiamſi illa non audiat, nihil ex his tenetur poſtea ſupplere. Armilla

& alia,

& alii. Puto tamen talem non excusandum, si poterat ante Divinum Officium quærere quæ erant quærenda. Lezana & alii. Adde probabile esse, eos qui cantant in choro, non teneri dicere illum versum, qui organis pulsatur. Quia sonus ille organorum, accipitur ab Ecclesia loco vocum, & ut pars Officii Divini. Sanchez apud Lezan, cum aliis.

Dico 19. Probabilis est sententia Bonacinæ & aliorum apud eum. Qui necessitatem habet persolvendi Officium Divinum, & recitatis psalmis facultatem non habet recitandi lectiones, potest dilatis in aliud tempus lectionibus, laudes recitare & Officium prosequi. Hæc conc. opponitur conclusioni 17mæ, non tamen, ut notat Bonacina nisi vrgente necessitate practicanda.

Dico 20. Non peccas mortaliter, si pro feria recites de Sancto, de quo aliàs tali die officium dicitur, licet sine necessitate id facias. attamen in Sabbatho recitando de B. V. M. & ommittendo feriam, teneris recitare Officium parvum, non verò canticum graduum, Salazar. Quòd si in Dominica recites Officium v. g. feriæ 2dæ peccas mortaliter, nec, secundùm Bonac. & alios apud eum satisfacis præcepto. mutas enim Officium Divinum quoad substantiam. cùm Officium feriæ secundæ sit alligatum suo diei. eodem modo si in Paschate recites de Sancto peccas mortaliter. quia ut arguit dela Cruz defraudatur notabiliter finis, propter quem Ecclesia dictam festivitatem celebrat. à fortiori peccas mort: dicendo in die Palmarum Officiū Paschale, nec satisfacis præcepto, ut determinavit Alexander VII. damnando hanc sententiam. *In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit præcepto.*

Dico 21. Non peccas mortaliter etiamsi sine necessitate anteponas vel postponas horam intra eundem diem, aut invertas ordinem horarum D. Anton: Sylu. & alii. Non etiam peccas mortaliter dicendo Missam nondum recitatis matutinis. Sylu. dela Cruz & alii, Missa enim & horæ non habent inter se connexionem.

Dico 22. Horæ Canonicæ sunt in publico sub peccato mortali recitandæ à communitatibus Ecclesiarum. Et quidem de Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis patet ex C. Dolentes & C. Creatura. De Ecclesijs Regularium patet ex longa & recepta consuetudine, quæ Ecclesias Regulariū Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis connumerat. Et quidem dicendæ sunt in Ecclesia vel loco ei coniuncto & per fenestram vel portam correspondente. Probabile tamen huic obligationi tempore brumali satisfieri, licèt recitentur in loco ab Ecclesia separato v.g. in Capitulari. probat Gab. à S. Vincen. L. Resp. Variorum resp. 24. Quia nomine Ecclesiæ totum Monasterium in favorabilibus venit probat idem l. c secus in odiosis.

Quæritur. Vtrùm duo satisfaciant obligationi publicè dicendi Officium divinum. ℞. Quòd sic colligitur ex his quæ adducit P. Hyacinthus Donatus de horis Canonicis. q. 29. & 30.

Dico 23. Non est mortale in recitatione publica mutare semel & iterum officium quoad accidentalia. ut si fieri debeat de feria fiat de Sancto. Dixi *semel & iterum*. Nam mutare frequenter nequit excusari à mortali. Quia sic graviter læ-

ditur

ditur decor cultûs Divini in recitatione publica, in qua debet esse vniformitas.

Dico 24. Tempus quo publicè dicuntur horæ Canonicæ debet servari juxta laudabilem consuetudinem & ordinationes Ecclesiarum. & quidem secundùm Cajet: Sylu. Armillam & alios sub mortali. Prætermittere tamen talem consuetudinem vel ordinationem etiam ex magna negligentia, dummodo communiter servetur consuetudo, non videtur mortale Caietano.

Dixi *iuxta laudilem consuetudinem*. Ne exeusemur per consuetudinem quomodocunq; introductam, vel quam ipsi sine necessitate introducimus. Ex quo patet quomodo aggravent suas conscientias Religiosi absolventes horas publicè non iuxta præscriptum â suis superioribus.

Dico 25. Matutinæ sequentis diei possunt dici horâ tertiâ vel quartâ post meridiem. ex D. Th: quodlib. 5 ar. 28. ad 1. hoc tamen non fiat sine aliqua necessitate, aliàs peccatur venialiter, sed aliqui à veniali excusant. immo secundum Sanchez & Dianam possunt horâ secundâ dictis jam vesperis. Si quis tamen non recitatis priùs Vesperis recitaret matutinas sequentis diei, non peccaret mortaliter. Vlterius dico si quis recitaret matutinas diei sequentis (suo tamen tempore ut dictum est) priùsquam diei præsentis recitâsset, solùm peccaret venialiter. Villalobos, Sanchez & Diana.

Dico 26. Laudes ita separatæ dici possunt à matutino ut alia hora, absq; peccato mortali. Item non peccat mortaliter, nec tenetur repetere, qui per spatium trium horarum dividit nocturna. Bonac. & alii: Immo potest quis incipere Vesperas & interrumpere complendas post duas horas. Summa Dianæ cum Sanchez: Laxius, in his casibus loquuntur Fernandez, Aragonius Rodericus & Makovius. Cuius hæc Conclusio super Decalogum. t. 3. d. 3. q. 3. a. 1. Qui recitat horas Canonicas cum interruptione satisfacit præcepto Ecclesiæ solumque venialiter peccat, & si adsit aliqua iusta causa nullo modo, sive illa interruptio fiat ad longum sive ad breve tempus. Non peccat itaque interrumpens horam in medio aut psalmum dummodò postea reliquam partem dicat. Ratio: quia verum est, talem intra eundem diem recitâsse Divinum Officium & opus ab Ecclesia præscriptum absolvisse. Præterea, quia de substantia singularum precum non est continuatio, quoniam preces interruptæ, imò singuli Psalmi, & singuli versiculi per se suũ non habent pondus, & completam significationem, ac proinde non habent inter se necessariam connexionem. ita ille. Etiamsi quis interrupisset animo incipiendi denovo, recitare potest quod superest, *nam sapientis est mutare sententiam.*

Dico 27. Qui obligantur qualibet hebdomadâ dicere officium Defunctorum. possunt quacunq; die intra bebdomadam dicere & secundum Salazar mediâ nocte Sabathi cõpletur hoc tempus. nam dies Dominica non est dies hebdomadæ prærteritæ, sed sequentis quòd manifestè ostenditur in numero feriarum. Nam dies Lunæ vocatur feria secunda, supponit ergo hic dies alium priorem. Qui tamen vsque ad maiorem Missam Dominicæ Officium Defunctorum differret, ex praxi aliquorum excusaretur, & dicere posset, diem Dominicum usque ad tempus immadiatè

mediatè nominatum, haberi pro complemento & termino hebdomadæ transactæ.

Dico 28. Cæcus qui nihil videt, aut grave damnum oculis timet, non tenetur officium recitare & Canonicus cæcus absq; eò quòd choro assistat, lucratur distributiones, ut declaravit sacra Congregatio apud Barbosam. Quod si cæcus tenet memoriter majorem partem officii dubitat M. Soto an teneatur recitare, cùm ea tenacitas sit accidentalis. Hoc tamen certiùs, si cæcus non meminit officii, non tenetur recitare aliquid loco illius, v. g. cursum B. M. V. Salazar aut adhibere sibi socium qui illud legat. Diana & alii. Secus de surdo. nam hîc ab officio non excusatur, quia potest legere. Si canit in choro, satisfacit quàmvis non audiat chorum. Diana.

Dico 29. Qui non potest utrique satisfacere commodè, & recitationi horarum Canonicarum & auditioni Confessionum, seu etiam prædicationi, excusatur à recitatione horarum Canonicarum, Sylu. & alii. Quodsi lecturæ vel prædicationi nequit satisfacere nisi semper vel ordinariè horas omittat, tenetur officium deponere, nisi adsit notabilis defectus in Lectoribus vel Prædicatoribus. Quia recitatio horarum Canonicarum magis est annexa statui Religiosorum vel constitutorum in sacris, quàm lecturá vel prædicatio. Diana cum Trullench.

Dico 30. Si infirmus potest recitare maiorem partem, vel dimidium horarum, tenetur vel maiorem partem, vel dimidium horarum recitare, secundum posse suarum virium, immo si non potest nisi partem minorem, tenetur eam recitare, est conformiter ad determinationem Innocentii XI. Damnat enim sequentem propositionem, ut iacet. *Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest tamen reliquas horas ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* Et idem iudico, si non potest nisi vesperas & completorium tenetur enim sub mortali recitare est conforme prædictæ determinationi, dum etiam ratio damnatur, scilicet *quia major pars trahit minorem,* & non ne, qui in parte potest, solvere tenetur creditori? non ne, qui in parte potest implere votum, tenetur? ut supra docui.

Dico 31. Qui potest seriò loqui aut alia profana tractare, non excusatur à recitando officio Divino de la Cruz. cùm hoc sit facilius illo. Quodsi sit dubium an nocebit horarum recitatio, necessaria est prælati dispensatio, sicut & in ieiunijs. Torre ex D. Th: 22. quæst: 147. art: 4. an verò crastinâ die sperans febres teneatur hodie anticipare & dicere Matutinum? ℞. quòd non. Nam licet matutinum dici possit Vesperi, diei antecedentis, eius tamen obligatio, primò incipit à media nocte ut ex communi insinuat Antonius à S. Spiritu immo Canus & alii docent si infirmitas accidit statutis horis, ut quartana, non tenetur infirmus totum Officium dicere anticipatè, si vesperi accidit, vel si manè postpositè Quia ius anticipandi vel postponendi horas est privilegium, quo nemo uti tenetur.

Dico 32. Qui omittit totum Officiũ Divinũ non tot cõmittit mortalia, quod sunt horæ Canonicæ. Navarrus & alii. Quia præceptũ de recitãdis horis unius diei, unum est, & habet pro objecto aggregatum septem horarum per modum unius.

Dico 33. In parvis horis majoris Officii Divini, notabilis quantitas, est dimidium,

dium, quare si quis in his dimidium omittit peccat mortaliter Sylu. Tab. Fernandez & alii apud Bonac. intelligo conclusionem secundùm Breviarium non dividens per dies, psalmum *Beati immaculati*. Dixi, *in parvis horis*. nam ut advertunt Doctores, in majoribus horis aliter mensurari debet notabilis quantitas. Tres tamen lectiones cum responsoriis in matutino feriæ, sumpto cum laudibus, judico esse parvam materiam. Petes. Cur in majoribus horis non dicamus partem notabilem esse dimidium, sicut in parvis horis? ℞ ideo. Nam quò maius est aliquod totum, eò minor eius pars est notabilis, ut discurrenti patebit Adverte. siquis ex pluribus horis eiusdem diei modicum quid omitteret, & multa hæc modica simul sumpta essent, in notabili quatitate, peccaret mortaliter, quia continuarentur per respectum ad totum officium. Sicut si quis die jeiunii modicum quid comoderet, illa modica continuarentur, & consequenter frangeretur ieiunium, ut determinat Alexander VII. dum oppositam sententiam damnat Ex his intellige notabilem quantitatem in omissione Officii Divini non sumendam per respectum ad totum Officium Divinum. Sic enim unam horam ex minoribus omittere non esset notabile & mortale quod est falsum quidquid dicat Marchinus & Antonius à Spiritu S. sed sumendam secundùm communem hominum existimationem.

Dico 34 Qui post unam vel plures horas Canonicas uno contextu dictas dicit orationē, *Sacrosanctæ & individuæ Trinitati &c* & deinde. *Pater noster cum Aue Maria*, pro felici statu Ecclesiæ, lucratur remissionem omnium defectuum humanâ fragilitate & non ex malitia in Divinis horis commmissorum. Quod privilegium non intellige de omissione partis notabilis, sed de defectu parvo, ut advertit Nau. Et licet hoc sit vivæ vocis oraculum, quia tamen pro tota Ecclesia, suffragatur. Solùm enim oracula alicui Religioni vel Congregationi concessa, sunt per Vrbanum VIII. sublata, ut docet & probat Lezana. Hinc illud Leonis vivæ oraculum Patres Prædicatores posse quater in anno plenariè ut à Summo Pontifice obsolvi, hodie non suffragatur.

Dico 35. Religiosus. Item constitutus in majoribus Ordinibus, si non habet beneficium, omittendo horas non tenetur ad restitutionem, quia non ex justitia, sed ex sola religionis virtute tenetur ad recitandas horas. Religiosi tamen Divino Officio minùs competenter satisfacientes, cogitent quòd panem sudore hominum comparatum comedant, pro quo strictam Deo rationem dabunt.

Dico 36. Habens beneficium tenetur per se horas recitare, & oppositum damnat Alexander VII dum sequentem reprobat propositionem. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi si officium per alium recitet* Si omittat, restituere tenetur, etiam ante sententiam judicis, ut declarat idem Alexander VII dum hanc damnat. *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis eò quòd sit pœna. Nec saterit si recites hodie heri omissas*. Quia Ecclesia dat stipendia, non ut pro se orent solùm, sed etiam ut Deo exhibeatur cultus juxta formam ab ea præscriptam, modò in honorē istius Sancti,

Sancti, modò alterius, modò ob celebritatem huius diei, modò ob alterius diei solennitatem. Nec satisfacit per quascunq; eleemosynas, quas antea de fructibus sui beneficij fecit, ut declarat idem Alexander VII. dum hanc reprobat. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunq; eleëmosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficij fecit.*

Dico *Vltimò*, Circa onus restitutionis in Beneficiatis extat Bulla Pii V. edita anno 1571. disponēs, ut qui totū Officiū unius diei omiserit, omnes illius diei fructus restituat. Qui totum Matutinum, vel reliquas horas, dimidium. Qui vnam parvam horam, sextam partem. Quòd si beneficiatus diversa officia habeat, scilicet. Missarum, prædicationis & curæ animarum, pro toto Officio omisso, quartam partem fructuum illius diei restituere tenetur. Medina, & rationabiliter. Hoc intellige si pluries omittat. nam si tantùm octies vel decies per annum omittat ad nihil tenetur. Idem Medina, quem sequitur dela Cruz. Quia est servus liberalissimi Domini, qui multòminus quàm Domini temporales ad pauca attendit. Hoc etiam intellige, si transactis primis sex mensibus à die obtenti beneficij omittat. Petes, Verùm habens plura beneficia satisfaciat semel horas recitando. ℞ ex S. Th. Quotlib. 1. a. 13. affirmativè. Qui plura vult de Beneficiatis, videat Doctores. Nec horum notitia tantopere pertinet ad nos. ipsi tenentur scire, quæ sunt sui statûs. Dum ergo horarum omissionem confitentur, inculcetur debitum restituendi & moneantur, ut current pertinentia ad sui statum scire, aliàs per ignorantiam, non excusabantur.

DISTINCTIO XIX.

De ieiunio.

NOta jeiunium est duplex: naturale & Ecclesiasticum. naturale consistit in hoc, quòd à media nocte præcedenti vsq; ad punctum celebrationis nihil per guttur, quod sustentat sumatur. Ecclesiasticum consistit in abstinentia à carnibus & unica comestione. & propterea die Veneris, extra Quadragesimam & vigilias, extra Poloniam non est simpliciter ieiunium. quia cœna non prohibetur. Sub abstinentia à carnibus intelliguntur ova & lacticinia, quia sunt aliquid carnis, quibus in omnibus ferè terræ partibus tempore Quadragesimæ vesci nō licet. hinc damnata ab Alexandro VII. sequens propositio. *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.*

Dico 1. à Vigesimo primo anno expleto, obligat jeiunium Ecclesiasticum, obligat inquam sub mortali etsi absit contemptus. Quare Alexander VII. sequentem reprobat. *Frangens ieiunium Ecclesiæ ad quod tenetur non peccat mortaliter, nisi ex contemptu & inobedientia id faciat, puta quia non vult se subijcere præcepto.* Deobligat verò secundum communem sententiam à sexagesimo anno, & non primo à septuagesimo. Quod extendo cum Salazar contra dela Cruz etiam ad eos, qui post annum sexagesimum adhuc sufficientes vires habent. Nam ut aiunt Medici,

senum

ſenum robur eſt illuſivum, ita ut facili de cauſa deficiat, niſi cibi alimento ſuſtentetur. Adverte, circa primam partem Concluſionis, ſi quis poſt adhibitam diligentiam dubitat, an ætatem pro jeiunio neceſſariam compleverit, non tenetur jeiunare, quia poſſeſſio ſtat pro ipſo, & non pro jeiunio.

Dico 2. Non obligatur Paterfamilias familiam per vim compellere ad jeiunandum, ſed ſufficit charitativè monere. Quodſi aliqui tranſgrediantur non turbetur, præſertim ſi hinc ei immineret magnum incommodum v. g. quia nullum famulum ſibi neceſſarium invenire poſſet ſi tempore jeiunii non daret cœnam, vel ſi ipſi graviùs eſſent offenſuri Deum, conviciandò, maledicendo cœnâ negatâ. Moſcicenſis quoad omnes partes, & Sam de Lubl. cum Azor ait nullo præcepto obligari Patrem familias ad compellendum vi familiam ut jeiunet: cibos tamen vetitos non miniſtret.

Dico 3. Viatores, qui non habent domicilium vbi jeiunatur non tenentur lege jeiunii loci, vbi reperiuntur, niſi abſit ſcandalum. In favorabilibus poterunt ſe conformare conſuetudini loci, ubi reperiuntur, etiam comedendo carnes, quamvis in propria patria jeiunetur. Moſcicenſis V. Diſt: 18. Concl: 3.

Dico 4. Secundum Cordubam, Lopez, & alios, pueri nondum attingentes octavum annum, poſſunt diebus vetitis edere ova & lacticinia. Secundùm Rodriq & Sà, pueris ante vſum rationis, cùm non ſint ſubjecti legibus, poſſunt dari carnes, idem de amentibus. Moſcicenſis verò pueris ante ſeptennium concedit carnes. Quæ ſententia vera, licèt habeant vſum rationis, cùm hoc ſit per accidens.

Dico 5. Excuſantur à jeiunio debiles. qui laborant dolore capitis niſi cœnam ſumant. qui dormire non poſſunt niſi cœnent. qui non valet debitum reddere Vxori, jeiunando. Prægnantes & lactantes, hæ enim multo cibo, pro ſe & fœtu, indigent. Qui die jeiunii alium non haberet cibum præter carnes, & jeiunando diem tranſire eſſet difficile. Moſcic: qui non habet ſufficientem refectionem tempore prandii, quales ſunt oſtiatim quærentes qui longa itinera pedeſtres conficiunt. Moſc: docet ſi trium vel ampliùs milliarium Polonicorum iter ſit, ſic pedeſter vadens, bis refici poteſt. peregrinantes ad loca ſacra, ſi peregrinationem commodè differe non poſſunt, ut advertit Sylvius apud Dianam, vel ſi fervor peregrinationis ita accendit ad peregrinandum, ut utilius ſit animæ peregrinantis peregrinari ſine jeiunio, quàm ieiunare ſine tali peregrinatione. ut advertit Caiet.

Dico 6. Non excuſantur à jeiunio, qui curru aut equo vehuntur, & quidem cum omni commoditate, interdum autem ſolius recreationis causâ. Aliter dicendum eſt, ſi iter ſit neceſſarium, prolixum, ſeu vehemens, quod non compatitur jeiunium, ſi conferatur cum complexione itinerantis. Hæc Moſcic. Concluſio colligitur ex quadam Alexandri VII. determinatione damnante ſequentem propoſitionem: *excuſantur abſolutè à præcepto ieiunij illi, qui iter agunt equitando, utcunq; iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiam iter vnius diei conficiant.*

Dico 7. Excuſantur à jeiunio, qui onerosè laborant, ut ſunt fabri tam ferrarii quàm lignarii, agrorum cultores, ſculptores, ſutores, figuli, argentarii, aurifi-

ces. textores, pelliones, fullones, laniones, muratores, pistores, & his similes. Item excusantur à jeiunio. qui ob opera pietatis majora jeiunio, non valent jeiunare, ut concionatores, lectores, Confessarii assiduè confessiones audientes, Cantores. Vbi ex Moscic. Adverte. hæc officia ex se non liberare à jeiunio, sed si commodè exerceri non valeat dum jeiunatur. item eo tantùm tempore excusant dum exercentur.

Dico 8. Non excusantur à jeiunio sartores, pictores, barbitonsores, & multò minus scriptores. notarij, advocati, Scholastici, Moscic cum Azorio. Quia labor eorum compatitur ieiunium, aliàs ferè omnes, qui corporaliter laborant excusarentur à jeiunio, quod damnat Alexander VII. sequentem propositionem damnando. *Omnes officiales qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.*

Dico 9 Defessus ex labore recreationis v. g. ex ludo pilæ, excusatur à jeiunio, dummodò talis recreatio non fiat in fraudem ieienii. Medina. Quare ut docet Ledesma non tenemur abstinere à ludo licito, ut simus habiles ad ieiunandum. Hæc Conclusio non contrariatur determinationi Alexandri, quam conclusione sexta retuli. Nam non loquor de creatione adeò frequenti, sed quæ ad recreandum animum, curis vel studiis implicatum est utilis; & secundum quid necessaria. item non loquor de qualicunque & modica lasitudine ex labore recreationis causata.

Dico 10. Vxor ut devitet notabilem turbationem debet abstinere à jeiunio. v g. Vir est durus, aut etiam hæreticus, permittit tamen Vxorem catholicè vivere talis inquam si rescit vxorem ieiunare, indignatur graviter, malè tractat, rixas excitat, odium contrahit, alienatur ab ea, & supposito quòd sit hæreticus non facit ex contemptu catholicismi, sed quia dicit jeiunia esse cum detrimento & incommodo suo & familiæ, tunc vxor ut devitet talem turbationem, debet abstinere à jeiunio. Moscic. & Samuel de Lublino.

Dico 11. Qui habet causam dubiam ad jeiunandum, tenetur jeiunare donec à viro docto, vel à medico timorato accipiat declarionem, vel à superiori dispensationem. Dispensat autem ex iure Episcopus cum suis ovibus. Parochus ex consuetudine. Quia solet in tali eventu recursus fieri ad Parochum, quamvis præsens sit Episcopus, & ad eum facilis pateat aditus, ut advertit Mosc Item dispensat Prælatus Regularis cum suis subditis, vel in absentia eius Vicarius. Quòd si superior de iustitia causæ dubitat, secundùm Bonác. & alios, non potest licite dispensare, quia se exponit periculo dispensandi sine iusta causa. Quare secundum Caiet. commutabit in alia pia opera. Idem faciet secundùm eundem Authorem, quando iudicat causam esse minùs sufficientem. Dixi *Qui habet causam dubiam.* Nam qui ex probabilitate morali aut experientia habet, quòd non comedendo infirmetur, secundùm Lopez & alios, sine ulteriori declaratione aut dispensatione solvitur à jeiunio Ex quo patet, ut quis sit liber à jeiunio & recursu ad superiorem pro licentia, sufficere causam probabilem. Adverte. Prælati regularium & in eorum

rum absentia vicarii, possunt se ipsos ex justa causa dispensare, ne sint deterioris conditionis aliis. refertur tamen in privilegio Ord, Mend. quòd concedente Eugenio 4to, licentiam quam dat Prior vel in eius absentia vicarius aliis fratribus, possit etiam priori ac vicario concedere eorum Confessarius.

Dico 11. Quoties infirmus est dispensatus ad carnes propter reficiendas vires, ut in convalescentia, excusatur à jeiunio. Quia ad convalescentiam facit non solùm quantitas cibi, sed etiam repetitio si verò dispensatus est eò quòd alii cibi ei noceant, non excusatur à jeiunio, quare talis Vesperi nec carnes edere nec in magna quantitate alios cibos sumere potest, sed debet collatione ut alii cōtentari. Lessius & alii. ratio quoad secundam partem, nam de ratione jeiunii non solùm est abstinentia à carnibus, sed etiam unica comestio, ergo per hoc quod ab una parte jeiunii excusetur, non sequitur quòd à toto jeiunio excusetur nisi sit infirmus.

Dico 13. Dispensatus ad comedendas carnes, si carnes & pisces comedat, nō peccat contra aliquod ius, sed contra præceptum naturale conservandi salutem, si pisces nocent Salazar & alii. Dispensatus tamen ad carnes propter infirmitatem, peccat comedendo nocivas carnes. Quia aliàs esus talium carnium est vetitus die jeiunii, & infirmitas non dispensat in cibis nocivis. dela Cruz cum Rodriq. Idem dicendum de eo qui dispensatur in esu ovorum. cui non licet edere lacticinia, si saluti noceant. Qui etiam habet facultatem utendi butyro pro condimento, eò quòd non possit uti oleo v. g. Polonorum non statim potest vesci ovis & aliis, sed intentio concedentis & aliæ circumstantiæ debent cōsiderari. Si enim est persona vilior, quæ ordinariè leguminibus victitat, nō habet causam utendi ovis & aliis.

Dico 14. Famulus tempore jeiunii parans Domino suo cœnam mensam instruens, ac ministrans, secundum Moscic. non peccat. Idem de ancilla Domini hæretici coquente carnes die jeiunii. Tum quia suum officium præstat. Tum quia hoc omittere non nisi cum gravi suo damno potest nec inferas etiam non peccare famulum propinantem Domino potum ad ebrietatem dispar enim est ratio, ut ait Moscic. Quia ebrietas est contra ius naturale, solutio verò jeiunii contra legem positivam Ecclesiasticam ac proinde minoris vinculi.

Dico 15. invitans ad cœnandum, etiam amicitiæ causa, aliàs obligatum ad jeiunium, peccat mortaliter, si invitatus coënat. Nisi invitans credat invitatum non consensurum. Quòd si invitatus paratus erat ad cœnandum, adhuc invitans peccat, quia inducit eum ad exequendum malum propositum, immo etiamsi invitanti constaret invitatum decrevisse alibi vel cum alio coënare, adhuc invitans peccat, quia malo alterius cooperatur.

Dico 16. Tabernarii, & alii vendentes aut ministrantes cibos in die jeiunii ad jentaculum matutinum aut pomeridianum, cœnamuè, facilè excusari possunt à peccato. tum quia non tenentur discutere an causa adsit non ieiunandi, neq; id commodè facere possunt. tum quia de proximo benè supponendum est.

Dico 17. Quanquam olim collatio nocturna tantùm sumebatur per modum medicinæ ad captandum somnum, jam tamen consuetudo obtinuit, ut etiam ali-

quid

quid per modum nutritionis sumatur in hac, non consideratis aliorum Theologorum sententiis servanda est Patriæ consuetudo, iuxta timoratas conscientias, non enim est mortale talem consuetudinem servare. Fernandez.

Dico 18. Potest anticipari hora prandii justa de causa. Vel quia aliquis facturus est iter, vel quia hospitem habet, vel quia negotia expectant, quæ horam prandii impedient. & sic excusantur famuli, qui ante tempus prandent, ut postea commodè ministrent dominis, qui longum tempus insumunt comedendo. possunt tamen hi si non dum sumpserunt prandium deferendo cibos aliquid sumere, ut possint faciliùs sustinere laborem, seu potius jeiunium, moderatè tamen ut advertit Gabriel in 4. Lectores etiam per totum mensæ tempus ad hoc ut cum debita diligentia munus suum exequantur possunt aliquid anticipare sumere.

Dico 19. Qui sine necessitate horam competentem (quæ est undecima antevertit) venialiter tantùm peccat. Toletus & alii contra Mosc. idem dic de eo qui collationem nocturnam, manè sumit, & ad noctem servat prandium. Fernandez, Salazar, & alii.

Dico 20. Sufficit ut una comestio sit continua moraliter. Et sic surgens è prandio, intra horam redire potest & continuare. Addo licèt quis habuisset animum finiendi comestionem, mutatâ intentione redire potest, si prandium adhuc durat. Lessius. Quia sapientis est mutare consilium.

Dico 21. Qui semel ieiunium violat, non peccat postea sæpè comedendo. Armilla Mosc. & est communis. Quòd si per inadvertentiam excusantem comedit, tenetur adhuc jeiunare, acsi nihil comedisset, non enim jeiunium violavit. Navarrus, dela Cruz & alii. Sicut & ille qui cibis die ieiunii vetitis utitur, tenetur ab vlteriori comestione abstinere, alias toties peccat, quoties vescitur. Toletus, Azorius. & est extra controversiam.

Dico 22. Natali Christi incidente in feriam sextam, non possunt vesci carnibus, qui ex Regula & Constitutionibus prohibentur, eò quòd in C. explicari, in quo conceditur Christi fidelibus eo die esus carnium, tales excipiantur. Tamen Prælati talis Regulæ possunt hoc die sicut & aliis diebus, aliàs à iure non vetitis dispensare, ut docet Victoria, Armilla, Tabiena contra Medinam. Quia ut ait Panormitanus, per dictum decretum tollitur ius commune, & manet in sua vi Religio. Sed in Religione v. g. Prædicatorum potest Prælatus dispensare in Constitutione prohibente carnes, ergo pariter hoc die potest dispensare, immo ut advertit dela Cruz comedendo tunc carnes isti Religiosi, non peccant, etiamsi id faciant sine licentia, cum leges eorum non obligent ad culpam.

Dico *vltimo.* Etiamsi potus alimentum præstet, attamen si bibatur extra horam prandii sæpiùs, non frangitur ieiunium. Fernandez & alii. loquor autem de potu, qui tantùm per accidens præstat alimentum, cùm Ecclesia ad id quod est per accidens non respiciat. cæterum aliter dicendum de potu, qui per se alimentum præstat ut lac.

Circa Quartum Præceptum.

Hoc

HOc Præcepto præcipitur revereri. amare, & obedire Parentibus & Superioribus.

DISTINCTIO XX.

De obligatione filiorum erga Parentes. Subditorum erga Superiores & viceversâ.

DIco 1. Inter alia (magis ex se nota) peccat mortaliter filius, imprecando in faciem, more nostro Polono dæmones Parentibus, licèt id non ex corde optet, quia notabiliter dehonorat. Item peccat mortaliter, dum fortunâ ad altiora evectus, se negat esse filium.

Dico 2. Tenetur filius quoad res domesticas & bonos mores obedire parentibus. Vnde in re gravi nolle acquiescere præcepto, mortale est. Sicut & in re levi, si accesserit contemptus. Et licet filius sit liber in eligendo statu, si tamen vult ducere vxorem peccat mortaliter, ait Moscicen. p. 2. Tyrocinii C. 2. § 4. non consulendo parentes, qui in hoc meliùs iudicant quàm filius qui amore excæcatus fortè eliget vxorem indignam & in magnum dedecus suæ domûs.

Dico 3. Ille qui adhuc in sæculo est constitutus, si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet eis relictis religionem intrare. quia transgrederetur præceptum dehonoratione parentum. Ille verò qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo. Vnde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo cõsepelitur, & se iterùm sæcularibus negotijs implicare. Tenetur tamen salvâ sui Prælati obedientiâ & suæ religionis statu, pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subveniatur. ita in terminis quoad omnes partes S. Th. 2. 2. q 101 a. 4. ad 4. Quòd si extremam Parentum egestatem non posset aliter sublevare, nisi exeundo ad tempus è monasterio, tenetur petitâ licentiâ egredi. Cai & Nau. plùs dico. Si parentes in extrema necessitate sunt, tenetur filius aut filia, etiam furando (si aliter nequit) subvenire. cùm in extrema necessitate omnia sint communia. His adde. Ita obligatur filius vel filia parentibus subvenire, vt licèt parens filium vel filiam sibi molestam pellere possit, non tamen è contra.

Dico 4. Huc reducitur Religiosorum obedientia, qui in tribus tenentur obedire Prælato *Primò* in his, quæ in Regula & Constitutionibus continentur. *Secundò* in illis sine quibus contenta in Regula commodè impleri nõ possunt *Tertiò* in pœnis inflictis propter transgressionem prædictorum duorum. Vnde si superior vellet alia exigere, quæ ad majorem austeritatem vel perfectionem pertinent, & quæ non sunt in statutis religionis, non tenentur Religiosi obedire attendant tamen ut bonis modis se excusent. Moscic. 1 p. Tyroc. c 3. § de superbia.

Dico 5 Pater etiã peccat contra hoc præceptum non instruendo filium in doctrina fidei, in bonis moribus. Dominus non præbendo servis necessaria, non curando ut dies festos, & simila, observent. Maritus, uxorem contumelijs afficiendo &c. è contra.

Dico 6. Leges humanæ etiam civiles dummodo sint justæ, obligant ad peccatum. Et si sint in materia gravi, obligant sub mortali. quàmvis non adsit scandalum, vel contemptus. Sunt tamen aliquæ leges, quæ non obligant sub peccato, eò quòd legislatores non habuerint intentionem obligandi, licèt aliqua pœna levis sit transgressoribus imposita v. g. si silva communis, flumen commune, pascua communia prohibentur Nam quoad silvam propriam &c. aliter est dicendum. Nihilominùs ubi gravis pœna apponitur, ut est pœna capitis, perpetui carceris, confiscationis bonorum, infamia, officii amissio, amputatio membri &c. proculdubio mortale incurritur, quàmvis id in lege non exprimatur. Mosc. l. c. sed aliqui citati à Diana. tt 10 de Leg. res 18. contrariũ docent, secluso periculo.

Circa Quintum Præceptum.

HOc Præcepto prohibetur non solùm homicidium corporale, sed & spirituale, quod fit scandalizando & non corrigendo.

DISTINCTIO XXI.

De Homicidio.

NOta 1. Homicidium nihil aliud est, quàm injusta hominis occisio. Sub hac comprehenditur vulneratio, percussio, mutilatio, incarceratio, & cætera contra salutem corporalem proximi. comprehenditur inquam ut imperfectum sub perfecto.

Nota 2. Duplex est homicidium, voluntarium quod animo & intentione occidendi hominem perpetratur cum effectu, Et casuale, quod fit præter intentionem occidentis, aut facientis id unde mors secuta. Et est duplex, aliud purè casuale, quod nec virtualiter & implicitè est intentum; & hoc non causat irregularitatem, quia nullo modo est voluntarium. Aliud est quod saltem indirectè est intentum & volitum in sua causa, ut si sit in ea prævisum, aut formaliter aut virtualiater seu implicitè, in quantum poterit prævideri & nõ est adhibita diligentia?

Nota 3. Ad justam occisionem hæ conditiones concurrunt, quarum vel unâ deficiente committitur mortale, cùm malum sit ex quolibet defectu. *Prima* est, ut fiat authoritate publicâ, nemini enim authoritate privatâ licèt occidere etiam hominem nocentissimum nisi se defendendo, & sua. *Secunda*, ut fiat ex causa gravi, ut sic pœna proportionetur culpæ, *Tertia*, ut servetur juris ordo *Quarta*, ut sit recta judicis aut ministri exequentis intentio, scilicet ex justitiæ zelo, non verò ex ira, aut alia inordinatâ passione.

Dico 1. Ob justam sui defensionem, vel suorum, aut amicorum, aut innocentum, licèt occidere iniustum aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ dicitur autem moderamen inculpatæ tutelæ quando quis non potest aliter se defendere nisi occidat. Secundùm dela Cruz Dianam &c. vir nobilis non tenetur fugere, sed potest expectare iniustum invasorem, si fugiendo graviter infamaretur. Non tamen idem licèt secundùm communem setentiam plebeio, Clerico, Religioso, quia talibus fuga non cedit in infamiam.

Dico

Dico 2. Fugientem v. g. cum equo tuo, aut rebus, aliquanti pretij licet occidere, si aliter certò recuperari non possunt, Sylu. Soto, Bannez & alii. Regulariter tamen non licèt occidere furem prò conservatione unius aurei, ut determinavit Innocentius XI. dum oppositam sententiam damnavit.

Dico 3. Licet invasorem castitatis ad tuendam castitatem occidere. Ita Communis. Sed non tenetur si certa est, quòd non adsit periculum consentiendi in turpem delectationem. Sylvester, verùm quia magnum periculum consentiendi est, propter vehementiam objecti, ideò securiùs est invasorem occidere.

Dico 4. Non licet percusso, percusorem insequi & occidere, si sit necesse pro sui honoris defensione, ut determinat Innocentius XI. damnando propositionem trigesimam, quæ idem, circa finem docet, sicut & marito, non licèt propriâ authoritate occidere vxorem in adulterio deprehensam, ut docet S. Th. in supplemento q. 60. a. 1. & determinavit Alexander VII.

Dico 5. Nemo potest propter defensionem vitæ suæ, per se & directè occidere innocentem. Vnde mulier gravida ex adulterio, non potest facere abortum propter defensionem vitæ suæ, etiamsi fœtus nondum sit animatus. Ita determinavit Innocentius XI. dum sequentem damnat. *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

Dico 6. Tempore belli non licet directè occidere innocentes, sed tantùm reos. Nam ut docet Philippus à SSma Trinitate ex M. Bannez & communi Theologorum sententia, in nullo casu licitum est directè occidere innocentem. & patet ex illo Exodi 23. insontem & justum non occides. hinc captâ civitate vel aliquâ provinciâ, non possunt occidi pueri & similes, sed tantùm nocentes.

Dico 7. Potest fœmina gravida sumere medicamenta necessaria ad tuendam vitam, per se ordinata ad salutem suam, licèt per accidens sequatur abortus. Non tamen licet sumere medicamẽta per se ordinata ad causandum abortum. Quòd si mors matris esset necessaria ad certam salutem spiritualem fœtus animati, alioquin æternaliter damnandi, Mater potiùs se deberet exponere periculo mortis, quàm talia medicamenta sumere. Non tamen licet ei pati scissionem ut doceo in tract: de baptismo. ex S. Th. 3. p. q. 68. a. 11. ad 3. cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona, Rom. 3.

Dico 8. Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum, si autẽ nec hoc potest, non peccat secundùm allegata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentẽ, sed illi qui eum afferunt nocẽtem. Minister autem judicis condemnãtis innocentem, si sententia intollerabilem errorem contineat, non debet obedire, aliàs excusarentur carnifices, qui Martyres occiderunt. Si verô non contineat manifestam iniustiam, non peccat præceptum exequendo, quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed iudex cui ministerium exhibet. Ita in terminis S. Th: 2. 2. q 94. a. 6. quoad omnes partes.

Dico 9. Qui contra aliquem falsum protulit testimonium, propter quod damnatur ad mortem, tunc, licet cum periculo propriæ vitæ debet retractare testimonium, aliàs peccat graviter contra justitiam. Ita communis. Sicut & ille peccat mortaliter contra charitatem, qui scit aliquem iniustè adiudicandum morti, aut pœnæ gravi, nisi ferat testimoniũ, & tamen non fert, licet non interrogetur. Item peccat mortaliter contra charitatẽ, qui scit alicui paratas insidias, & nõ præmonet.

Dico 10. Non solùm is peccat, qui physicè occidit, sed etiam, qui sequentibus versibus continentur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans,

id est, qui præcipit. Qui dat consilium. Qui consentit, & ratum habet factum, sive ante, sive post occisionem. Qui laudat factum, vel laudat ut fiat. Qui defendit homicidam, & præbet recursum ad se. Qui partem aliquam habet in homicidio, seu fuit socius criminis aliquomodo. & auxilium præbuit. Qui non præmonet occidendum. Qui non defendit. Tandem, non manifestans veritatem ad defendendam vitam innocentis.

Dico 11. Confitendo homicidium aperiendæ sunt aliquæ circumstantiæ v. g. si persona occisa erat Pater, Mater, aut in aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis. Si erat Persona sacris initiata, ratione excommunicationis annexæ. Si erat persona ex cuius occisione alii notabile damnum patiuntur, ut si Pater erat, cuius filii orphani relinquuntur. Si in loco sacro, nam sic committitur sacrilegium. Si in publico, nam sic est scandalum. Si eum, qui minùs de homicidio cogitabat induxit, nam & sic est scandalum.

Dico 12. Hoc præcepto etiam sui ipsius prohibetur occisio. itaq; si quis occidat se ipsum, vel graviter lædat, mortaliter peccat immo licet à judice jubeatur, ut sibi mortem v. g. hauriendo venenum inferat, exequendo peccat. mort. secundùm S. Thomam 2. 2. q. 69 a. 4. Vnde S. Apollonia projiciendo se ipsam in ignem, fecit ex instinctu Spiritûs Sancti, & idem judicium de Samsone, & de quibusdam Sanctis fœminis, secundùm S. Augustinum relatum à S. Th. 2. 2. q. 64 a. 5. ad 5. Vbi non excusat Raziam, qui 4. Machab 14 se occidit.

Dico 13. Quando periculum est tale. ut ex eo mors frequentiùs sequi soleat, qui se tali periculo exponit, est homicida sui. Dixi *frequentiùs*. Nam si est periculum, ex quo bis aut ter mors subsecuta, tali periculo se exponens, & moriens, non est homicida sui. Hinc excusantur, qui per altas scalas, parietes, templorumq; tecta conscendunt. Item funambuli in ea arte peritissimi, quàmvis aliquando unus vel alter ceciderit & mortuus sit.

Dico 14. Licet desiderare propriam mortem, ob desiderium essendi cum Christo, sicut S. Paulus ad Philip: 1. aut ob vitandas Dei offensas, aut ut liberemur à vitæ periculis, qualia sunt tempore incursionis Barbarorum. Sed desiderare mortem ex desperatione, aut impatientia, mortali non caret culpâ. Mater etiam non peccat mortaliter, quæ videns filium aut alterum in gravi & prolixâ infirmitate,

mitate, desiderat ei mortem. Quia non ex odio, sed ex amore desideratur. Item secundùm Navar. Fernandez, dela Cruz & alios, licet alteri desiderare mortem, sub ratione boni ut scilicet, cesset à peccatis. supposito quòd sit grandis nequam. Tandem inimicis fidei, & iniustis hostibus propter bonum publicum.

DISTINCTIO XXII.

De Bello.

NOta. Bellum est conflictus exercituum, qui inducitur authoritate Principis superiorem nõ recognoscentis. ut sit iustum tria requiruntur. *Primò*. authoritas Principis Superiorem non recognoscentis, nam ad recognoscentem Superiorem, non pertinet movere bellum, cùm hic possit ius suum prosequi judicio Superioris. *Secundò*, Causa iusta v. g. damna valdè gravia illata. tentandum tamen medium suavius. *Tertiô*, recta intentio, scilicet, ut bonum promoveatur, & malum vitetur. S. Th. 2. 2. q. 40 a. 1.

Dico 1. Qui indicit bellum tenetur prius cum prudentibus examinare causam belli. Facto examine, si manet dubium, & unus eorum possidet, alter non potest eum bellare, quia juxta regulam juris 65. in dubiis *melior est conditio possidentis*. Et sic si possidens ab alio invaditur, potest bellare invasorem. cùm sit ei illata iniuria, & alter restituere tenetur. Quod si id, de quo est lis, à nullo possidetur, stante dubio æquali dividatur. Quòd si dubium est inæquale, dividatur pro qualitate dubii, ita ut, major pars detur ei, pro quo stat major veri similitudo.

Dico 2. Princeps Christianus licitè potest militibus infidelibus uti in bello, Sam. de Lub. V. Bellum. ratione tamen periculi & scandali quod inde speratur, non licet. Makov: tom 5. super Decal d. 2. q. 7. a. 1. Conclusionem Samuelis limitát Moscic. 3. p. Elem: ad S. Confess. § *cum quo* Vbi in bello defensivo tantùm concedit licere uti infidelibus contra Christianos, & hæreticis contra Catholicos.

Dico 3. In bello justo licet uti insidiis, non dicendo falsum, aut non servando promissum (hoc enim nunquam licet) sed occultando consilia, simulando fugam. &c. D. Th. l. c.

Dico 4 Quousque militibus subditis de iniustitia belli non constat bellare possunt, nec iniustitiam belli examinare tenetur, sicut nec tortor sententiam judicis examinare tenetur. Vnde in dubio præsumendum est pro Principe, qui est in pessessione sui juris, quâ propter dubium privari non debet. Quod etiam ad non subditos extendit Navarra & alii in Summa Dianæ V, Pugna scias, nomine subditorum intelligi etiam possunt milites mercenarii, qui sub continuis stipendiis tám pacis, quàm belli, tempore degunt.

Dico 5. Licitum est servis captis in bello etiam justo, fugere dominos, sicut & justè incarcerato, licèt fugere carcerem. Bannez 2. 2. q. 40 a. 1. & alii: contra Sylv: & Turrec. & licèt his consulere fugam, immo ad eandem juvare ait Led. de Char. c. 13. aliter sentiendum de servis juste emptis, addit Bonac: tractans in ma-

teria de restit: de bello. Adverte iu favorem fidei in jure gentium dispensatum, ne Christiani in bello etiam justo capti, mancipia efficiantur.

Dico 6. In bello justo licet inferre hostibus omnia mala, ut destruere arces, occidere reos, etiam partà victoriâ, usque, ad plenam satisfactionem & pacem stabiliendam, ad hoc enim ordinatur bellum, quod adhuc durare suppono. dela Cruz in præsenti.

Dixi, *occidere reos*, Nam innocentes ex intentione occidere non licet præter intentionem tamen, & indirectè licet. si tamen alicubi essent multi innocentes & pauci nocentes, hos non licet expugnare cum periculo innocentum ait dela Cruz in præsenti, Villalobos in Summa Dianæ relatus. Quòd si innocentes (& idē de pueris ratione carētibus) spectent ad hostes, captivari & spoliari possunt, quantùm necessarium est ad finem belli consequendum. Præterea Turcarum innocentes Christianorū mancipia justè fiūt, ut docent multi in SūmaDianæ relati V. Pugna.

Petes. Qui nomine innocentum veniunt. ℞. Infantes, mulieres, senes, Clerici, Religiosi, rustici, legati, peregrini & mercatores.

Dico 7. Capta à militibus etiam extra conflictum sunt ipsorum. S. enim Thomas. 2. 2 q. 66. a. 8. ad 1mū nullā distinctionem facit. Nec computari debent in satisfactionē rei pro qua bellatur. Makovi tr 5. d. 2. q 6. a. 1 & Sum. Dianæ l. c.

Dico 8. Contra Turcas quilibet Christianus superiorem non recognoscens in temporalibus habet jus gerendi bellum continuum. Quia occupant bona Christianorum, & quia hos vexant persecutionibus, tandem, quia conantur delere fidem Christianam. Sam. de Lub V. Bellum ex Cajet.

Dico 9. Licet resoluere bellum in duellum seu conflictum duorum. Quia duellum ideo est illicitum, quia in eo periculosè consulitur saluti alicuius, in hoc autem casu potius consulitur, Sam. l. c. ex Clau. regia.

Dico 10. Si imminet periculum gerenti bellum, potest extrahere ab Ecclesia illic confugientes, ut se & sua defendat, & eos spoliare secus si non imminet tale periculū, sed tales gaudēt privilegio immunitatis Ecclesiasticæ dela C. in præsēti.

Dico 11. Si magna urgeat causa possunt Clerici bellare, v. g in defensionem propriæ vitæ, proximi innocentis, contra iniustos Patriæ invasores, ad obtinēdam victoriam Ecclesiæ valdè proficuam, in quibus casibus secundùm Mendozam & Konich non fiunt irregulares, si occidant. Alias non existente tali vel simili causâ si bellant majoribus Ordinibus initiati, peccant mortaliter. utpote Deo omninò consecrati. suspenduntur, monasterio inperpetuum includuntur, quòd si in bello decedant sacrificijs privantur. Et hæc ex jure deducuntur. Ex quibus ulterius patet. præfatos Clericos sine causa urgenti bellantes peccare mortaliter. Et idem de Regularibus, etiam Conversis, saltem quo ad mortale ob præcedentem rationem. Alij Clerlci minores bellando sicut & Vxores ducendo, tantùm venialiter peccant, cùm remotè ordinentur ad ministerium altaris.

Dico *ultimò* Clericus rapiens aliquid in bello justo, tenetur restituere ei, à quo rapuit, si scit, aliàs si nescit tenetur dare pauperibus. Quia sicut non licuit ei pu-

gnare. nec etiam rapere. Si tamen ab aliis, qui rapuerunt juſtè, aliquid detur, poteſt retinere, immo ſecundùm Monaldum apud Armil. V. Bellum, poteſt de licentia Principis juſte bellantis retinere, per ſeipſum rapta, quam cenſetur Princeps concedere, concedendo Clericis bellare, hic tamen alias peccat, ut patet ex præcedenti Concluſione.

DISTINCTIO XXIII,

De Eleemoſyna.

NOta 1. Superflua, ex quibus facienda eleemoſyna, alia dicuntur ſuperflua vitæ vel naturæ, alia dicuntur ſuperflua ſtatûs. Superflua vitæ vel naturæ ſunt illa, quæ demptis neceſſarijs ad vitam ſuſtentandam, adhuc ſuperſunt. Superflua ſtatus ſunt illa quæ demptis neceſſariis ad ſuſtentandam vitam, & decentem ſtatum, juxta conditionem perſonæ, adhuc tamen ſuperſunt.

Nota 2. Pauperum indigentia eſt triplex Extrema, gravis, & communis. Prima eſt quando deſunt neceſſaria vitæ, & ſine quibus vita aut deficiet, aut abbreviabitur, aut gravi & diuturno morbo corripietur. Gravis neceſſitas eſt, cùm deſunt neceſſaria ad conſervandam conditionem proprij ſtatûs. Communis tandem neceſſitas eſt mendicantium, qui quàmvis multum indigeant, quia tamen à multis poſtulant, moraliter loquendo non poſſunt ſuo ſtatui neceſſaria non invenire. Vide huius declarationem apud Moſcic, 2. p. Tyroc. de peccatis contra opera miſericodiæ.

Dico 1. Dum proximus eſt in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate ad vitam conſervandam, tenetur ſub mortali quivis ſubvenire ei, ſi habeat ſuperflua vitæ & naturæ, & probabiliter putat neminem ſubventurum, etiamſi non habeat ſuperflua ſtatûs. hoc enim exigit lex charitatis.

Dico 2. Dum proximus eſt in gravi neceſſitate, tenetur ſub mortali ſubvenire ei, qui habet ſuperflua ſtatûs, ſi non ſit alius, qui ſubveniat. hoc enim exigit lex charitatis. præſertim, ſi nemo ſubveniret, facilè gravis neceſſitas tranſiret in extremam. vtramq; concluſionem docet Armilla, Moſcic. & alij.

Dico 3. In communibus proximorum neceſſitatibus quales eſſe ſolent in ordinariis pauperibus, divites, qui habent ſuperflua ſtatui; tenentur ſub mortali ad aliquam eleëmoſynam elargiendam, indeterminatè tamen, cui & quibus voluerint, & illis temporibus, quibus placuerit. Nam aliquando hæc etiam neceſſitas, facilè tranſiret in gravem & extremam. Hæc concluſio quoad ſubſtantiam eſt determinata ab Innocentio XI. dum ſequentem damnat. *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleëmoſynam quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.*

Dices ex dictis ſequi multos divites damnari, qui partim in extrema, partim in gravi, partim in communi neceſſitate pauperibus manum non præbent. Aragonius concedit ſequelã. & Bannez non ſolùm ipſos, ſed & ipſorum Confeſſarios damnari

damnari existimat. Attamen multoties excusari possunt. vel quia proximi necessitatē non satis cognoscunt, vel quia probabiliter judicant se non habere superflua.

Dico 4. Si quis mendicādo posset suæ necessitati consulere, essetq; plebeius, non censeretur constitutus in extrema necessitate, si vero esset Vir honestus, & mendicare esset ignominiosum, aliqui dicunt esse in extrema necessitate. Malderus negat, & ruborem in tali casu attribuit superbiæ. Nisi fortè adeò esset ignominiosum mendicare, ut mori potius vellet, quàm cum tanto dispendio vivere.

Dico 5. Personæ Ecclesiasticæ habentes beneficia, arctiùs quàm sæculares obligantur ad dandam eleëmosynam. Tum quia sunt in statu perfectiori ac proinde ad charitatem magis obligati. Tum quia in Statu remotiori à tot necessitatibus Siquidem non habent Vxores, filios aut filias. Victus quoq; ac vestitus requirit modestiam secundum Concil Trid Tum quia per Ecclesiam, bona Ecclesiastica, sunt ad erogandum obligati pauperibus ea, quæ super sunt honestæ sustentationi Clerici, & provisioni pro casibus ordinariè eventuris. Mosc. quoad omnes partes. 2. p. Tyroc l. c.

Dico 6. Dare eleëmosynam soli illi possunt, qui habent proprium, & liberam rerum dispensationem. Vnde Religiosi eleëmosynam darè non possunt. Item Vxor de bonis mariti. Filius de bonis Patris. Famulus de bonis Domini. nisi habeant aliquid proprium non subditum illis. Et sic Vxor ex acquisitis suâ industriâ, vel donatis ab aliquo potest dare eleëmosynam. Potest etiam Vxor dare eleëmosynam si maritus profectus est peregrè. Vel si sit amens, aut in bonum eius, scilicet, ad impetrandum ei auxilium à Deo vel si est valdè negligens in eleëmosynis dandis. Moscic. quoad omnes partes l. c.

Dico 7. Potest Vxor de re communi marito & sibi, facere eleëmosynam modicam propter quam maritus non incidit in inopiam, scilicet, parum panis, cerevisiæ, salis &c. insuper si mos patriæ habet, quòd Vxores hoc faciant, aut in spem ratihabitionis, omnis enim pro sua conditione præsumitur, indulgere filio minutiores sumptus & multò magis Vxori, immo docet M. Bannez Vxores posse Eleëmosynas communes facere, in quibus nihil damnificatur familia.

DISTINCTIO XXIV.

De Scandalo.

NOta 1. Scandalum est dictum vel factum minùs rectum, occasionem spiritualis ruinæ præbens Ex qua definitione patet, quando aliquis ex alterius peccato excitatur ad odium peccati, non est scandalum. vnde multorum error sic scandalum accipientium, est corrigendus.

Nota 2. Scandalum aliud est actiuum, aliud passiuum, *actiuum* est, quando dicto factoq; tuo directè intendis, ut alter ruat, inducendo eum ad peccatum, vel si non intendis ut ruat, ipsum dictum vel factum est inductivum ad peccandum. v. g. si publicè pecces, aut facias aliquid habens speciem peccati. *Passivum*

est,

est, quando dictum vel factum vnius, est alteri causa per accidens peccandi v. g. si operans non intendat aliquem inducere ad peccatum, nec opus est per se inductivum, alter tamen sumit inde occasionem peccandi. Quod si sumat occasionem peccandi ex sua malitia, est scandalum Pharisaicum, si ex infirmitate vel ignorantia, est scandalum pusillorum, vel infirmorum.

Dico 1 Peccat scandalo activo qui ad explorandam constantiam alicuius in castitate, immittit in cubiculum mulierem. Idem de eo, qui ad experiendam alicujus fidelitatem, astutè in aliquo loco non solito, patenti tamen, ponit aureum. Licèt tamen non impedire neq; subtrahere pueris & famulis occasionem furandi, relinquendo pecuniam in loco solito, ut faciliùs deprehendantur convincantur, & emendentur. hoc enim non est cooperari peccato positivè, sicut priùs, sed negativè se habere. Ita Moscic: quoad omnes partes.

Dico 2. Peccans in publico, hanc circumstantiam in confessione aperire tenetur, quia malum præbet exemplum, sive idem faciendi, sive graves tentationes patiendi, quamvis intentio non sit, ut proximus peccet. Propter eandem rationem secundum Moscic: peccant peccato scandali Religiosi, paupertatis votum non observantes, silentia frangentes, cæteras observantias prætermittentes, licèt non habeant animum pervertendi alios, Nam cæteri videntes tam mala exempla, facilè imitabuntur abusus.

Dico 3tiò Quando mulier ornata præsentat se conspectui eius, quem credit exarsurum in eius concupiscentiam, peccat, quàmvis non habeat animum inducendi eum ad peccatum. Quia habet saltim animum tacitum & indirectum, cùm advertat suum factum inordinatum, tendere ad ruinam proximi Moscic.

Dico 4tò. Propter scandalum Pharisaicum, nec bona spiritualia, nec temporalia sunt omittenda. immo nec propter scandalum pusillorum omitti debent bona spiritualia, necessaria ad salutem, quæ omitti non possunt sine mortali, aut etiam veniali. Quæ autem non sunt necessaria ad salutem, sunt occultanda, aut differenda, si periculum non imminet donec informatione præmissâ scandalum cesset, quòd si non cessaret, jam ex malitia procederet, consequenter non esset curandum. Ita quoad omnes partes D. Th. 2 2. q. 43. ar. 7. & 8, sed pro majori horum intelligentia.

Dico 5tò Si Confessarius suo fungens officio quandam animam in viam salutis dirigit, vicini autem hoc apprehendunt, quasi hæc directio non bonum finem haberet Quàm primò Confessario scandalum vicinorum innotuerit, secundùm Salazar tenetur sub mortali à tali instructione cessare, usq; dum vicini errorem deponant, nisi fortè per prolongationem, anima quæ instruitur, notabile damnum pateretur, & aliàs vicini non possent cōmodè moneri Quòd si advertitur vicinorũ scandalũ oriri ex malitia non curetur, & in directione talis animæ procedatur.

Dico 6tò. Temporalia quorum Domini sumus, propter pusillorum scandalum aut sunt totaliter dimittenda aut per admonitionem, aliumvè modum scandalum sedandum S. Th. a. 8. jacturam tamen omnium aut penè omnium pati,

 ob pauco-

ob paucorum scandalum, nimis durum esset, secundum Moscic: qualiter intelligendus S. Thomas. Dixi, *quorum Domini sumus.* nam bona, quæ nobis sunt ad conservandum commissa, sicut bona Ecclesiæ committuntur Prælatis, & bona cõmunia Reipublicæ Rectoribus, propter scandalum non sunt dimittenda, ut expresse docet S. Th: loco citato.

Q. Quando censetur populus scandalizatus? ℞. quando decem graves & honestæ personæ scandalizantur. Ita S. Raym. sequentibus: *Si Parochia habeat mille Parochianos, & ex illis solùm decem graves & honestæ personæ scandalizantur de focaria Sacerdotis, dici potest quòd populus scandalizetur cùm decem homines populum faciant.* Ita S. D. cit: quem refert & sequitur Sylvester V. *Notorium*.

Scias aliud est, scandalum esse publicum, aliud est, peccatũ, de quo est scandalum, esse publicum. ut scandalum sit publicum, non est necesse peccatum esse publicum, ut patet; ipsum tamen scandalum, si sit activum, est peccatum & factum, & sic ad notoreitatem eius sufficit dictus numerus.

DISTINCTIO XXV.

De Correctione Fraterna.

Nota 1. Correctio fraterna est, quâ quis proximum suum fraternaliter corrigit ob peccati perpetrationem, secundùm tempus & locum Quinque conditiones ad eam necessariæ. *Prima* conditio est, ut certam notitiam quis habeat de peccato proximi. *Secunda*, ut proximus indigeat correctione, sive propter ignorantiam sive inadvertentiam, sive propter propositum iterandi, & non putatur ab aliquo alio corrigendus. *Tertia*, ut ex correctione speretur probabiliter emendatio, saltem ad tempus. Nec tamen facilè debemus nobis de emendatione proximi male persuadere. cùm sæpè emendentur, de quibus minùs speratur. *Quarta*, ut fiat eo ordine, quo Christus Dominus ordinavit. Si tamen peccatum sit contra fidem Catholicam, aut bonum commune, subitò declarandum. S. Th. 2. 2. q. 33. a. 7. in Corp. quod si error non esset contra fidem prolatus cum pertinacia, tunc subitò non posset declarari, sed deberet secretò corrigi, ut docet Bannez. *Quinta*, ut fiat cum opportunitate, sive temporis, sive loci, sive personarum v. g. si indigens correctione, valdè irascitur, probabiliter nihil efficit monitio. Si in aliorum præsentia, fortè magis exacerbatur. quòd si continuat suam malitiam, suaviter occurrendum prout fieri potest. quandoq; etiam expectanda persona magis ad corrigendum idonea.

Nota 2. Ordo in fraterna correctione servandus, traditur à Christo Domino Matth. 18. qui est talis. si peccaverit in te (hoc est secretè) frater tuus, vade & corripe eum, inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Qui quidem ordo non solùm est de jure Divino, sed etiam de jure naturali,

naturali, quod nos edocet, proximum corrigere cum minori detrimento illius famæ & honoris, quo possumus.

Dico 1. Si delinquens sit homo prudens & circumspectus, de quo facilè emendatio sperari potest, tunc hoc præceptum correctionis ad sui observantiam non obligat. Quòd si talis, dum actualiter peccat, à peccato probabiliter desisteret propter correctionem, non posset omitti correctio.

Dico 2dò. Qui ex timore, tepiditate, verecundia, negligentia, aut alia simili causa non corrigit, non peccat mortaliter, si aliàs ita sit paratus, quòd si crederet probabiliter posse fratrem emendare, omnia postponeret charitati fraternæ Dela Cruz ex S. Th. 2. 2 q. 33. ar. 2. ad 3. Et intelligitur Conclusio si ex omissione correctionis fraternæ non sequitur proximo notabile damnum in spiritualibus aut corporalibus. Quod tunc contingit quando peccans peccat ex ignorantia vincibili, à qua difficulter exibit nisi doceatur. aut incidet in grave damnum animæ vel corporis. Ex conclusione sequitur, non tam frequenter contingere ut privatus omittens correctionem, peccet, mortaliter. Dixi, *privatus*. Nam Prælatus omittens correctionem ex timore, tepiditate &c. in re mortifera, non excusatur à mortali. Diana & alii.

Dico 3tiò. Etsi per se loquendo ordo correctionis sit sub mortali servandus, tamen si prudenter judicatur secretam correctionem non profuturam, potest immediatè procedi ad secundum medium, & idem judicium sit de secundo medio, quod etiam potest omitti, si sciatur, non secuturam emendationem quæ est finis correctionis. Dela Cruz.

Dico 4tò. Prælati Religionum tenentur aliquando sub mortali corrigere etiam peccata venialia subditorum, quæ regularem disciplinam notabiliter minuunt. Villalobos & alii. Immo ut docet D. Th. 2. 2. q. 33. a 2. ad 4 Prælati tenentur sub gravi obligatione occulta peccata subditorum inquirere ad fraternè corrigendum. In hoc tamen servent consilium magni Patriarchæ S. Benedicti in Regula C. 64. ubi habetur ne superior sit turbulentus, anxiùs, & nimis suspiciosus.

Dico 5tò. Concionatores tenentur publica peccata aut quæ sciunt in illis locis crebrò fieri, publicè reprehendere, etsi ea committentes credantur non emendandi. Ad idem tenetur superior licèt non speret fructum, ut suo officio satisfaciat. Adverte. Si prædicti & alii, qui tenentur ex officio corrigere, ut est Pater, Maritus, Dominus, Tutor &c omittant, correctionem, tenentur hanc circumstantiam in confessione aperire. Vnde non sufficit dicere, omisi correctionem, sed debent dicere se esse tales. aliàs omitterent circumstantiam speciem mutantem. Cùm ut docet Caiet. à Diana relatus, superior tenetur ex justitia corrigere.

Dico 6. Subditi tenentur aliquando corrigere suos Superiores, ut deducitur ex C sicut tria tamen in tal correctione sunt servanda primò, ut cum magna prudentia & humilitate fiat. & potius obsecrando, quàm increpando. secundò, ut fiat secretò & non publicè, ex decreto Innoc: III. C. cùm ex iniuncto, de hæreticis.

reticis. Quòd intellige, nisi peccata sint scandalosa & publica, tunc enim publicè argui deberent, etsi nulla speraretur emendatio. tertiò, captari debent tempora, quibus creduntur magis dispositi.

Circa Sextum Præceptum.

Hoc Præcepto prohibetur omne peccatum repugnans castitati.

DISTINCTIO XXVI.

Explicantur Species Luxuriæ.

NOta. Sex sunt species Luxuriæ: scilicet simplex fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, peccatum contra naturam. S. Th. 2. 2. q. 154 a. 1. Sacrilegium enim (quod est illicitus concubitus cum fœmina voto castitatis adstricta, vel in loco sacro, aut ab habente votum castitatis) non numeratur à D. Th. citato inter species luxuriæ, quia ex se directè pertinet ad irreligiositatem & reductivè ad luxuriam.

Dico 1mò, Simplex fornicatio, est illicitus concubitus soluti cum soluta non Virgine in vase naturali. Dicitur solutus & soluta, id est non existentes in matrimonio, sive rato sive consummato. Ad hanc speciem reducitur concubinatus.

Dico 2dò, Stuprum est deflloratio Virginis per fractionem claustri Virginalis. Differt specie à simplici fornicatione secundùm D. Th: loco citato. ar. 6.

Dico 3. Adulterium est illicitus concubitus, vel coniugati cum coniugata, vel coniugati cum libera, vel liberi cum coniugata. & in primo aperienda est in confessione circumstantia utriusq; coniugati. quia fit injustitia duplex, & æquivalet duplici peccato.

Dico 4tò. Incestus est illicitus concubitus cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum inclusivè. Huc pertinet peccatum cum habente cognationem legalem. cum à se baptizata, & secundùm aliquos, cum filia Confessionis.

Dico 5tò, Raptus est, cùm quis abducit fœminam, à domo parentum, vel eorum, sub quorum cura est, aut à domo propria si sui juris sit, ipsâ invitâ, ad fornicandum cum illa, aut ad matrimonium cótrahendum. Vide Trid. Sess: 24. c. 6.

Dico 6tò. Peccatum contra naturam est omnis actus libidinosus extra vas, aut contra modum, à natura institutum. eius species sunt quatuor. Mollities seu pollutio. Bestialitas, Sodomia, inordinatus concubitus. Mollities seu pollutio, est voluntaria seminis effusio extra vas. & potest speciem alterius libidinis habere. Si videlicet aliquis in actu illo turpi delectetur de alio actu sive morosè, sive cum animo perpetrandi si posset, aut acsi defacto perpetraret. Bestialitas est coitus cum bestia. ad bestialitatem reducitur coitus cum dæmone succubo vel incubo, quia corpus assumptum à dæmone non est verum corpus humanum. Sodomia est illicitus concubitus vel masculi cum masculo, vel fœminæ cum fœmina. Pollutio ex tactu personæ eiusdem sexûs reducitur ad sodomiam. Concubitus masculi cum fæmina in vase præpostero secundùm Armillam, & conformiter ad mentem

D. Tho-

D. Thomæ, non est propriè sodomia, sed potius concubitus inordinatus & monstruosus, consequenter specie distinctus à concubitu masculi cum masculo. Tandem inordinatus concubitus tunc est, quando non est debita corporum positio vel quando non seminatur in vase, vel quando non adhibetur instrumentum debitum. & primus concubitus, si sit in vase debito & sine periculo effusionis seminis non est mortalis inter conjuges.

DISTINCTIO XXVII.

De Peccatis Luxuriæ in particulari, quæ sunt in secundam personam.

DIco 1. Si fornicator provocavit mulierem, non tenetur ex communi praxi Confessariorum hanc circumstantiam scandali in confessione aperire, nam subintelligitur. Si verò è contra fœmina provocavit virum ad peccandum, ob contrariam rationem, tenetur hanc circumstantiam scandali aperire. Adverte si fornicator usus est provocatione valdè importunâ tenetur in Confessione aperire, à fortiori si violento modo oppressit.

Dico 2. Sicut fornicari, sic & cooperari proximè ad fornicandum est mortale, licèt hoc fiat per actionem ex se & sua natura indifferentem. Quare famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum ascendere per fenestras ad fornicandum peccat mortaliter, licet id faciat, metu notabilis damni. Ita determinat Innocentius XI. dum sequentem damnat *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum Virginem, & multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter. Si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne malè à Domino tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Ex hoc patet, similes Theologorum sententias, esse iam improbabiles. Dixi *cooperari proximè ad fornicandum, licèt id fiat per actionem ex sua natura indifferentem ad bonum vel malum.* Nam locare domum meretrici, cùm non sit cooperari proximè ad fornicandum, & fiat per actionem ex se indifferentem, licet, ubi permittuntur ad cavendum majus malum. nam ubi non permittuntur, judico non licere, cum hoc esset eas introducere.

Dico 3. Est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, licèt hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, & licet deficiente illâ, nimis ægrè vitam ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur. Ita determinat Alexander VII. Cum verò Cõfessarius non possit aliter obligare concubinarium quam differendo absolutionẽ, hinc differre debet donec concubinam expellat, etsi primâ vice id confiteatur, quia experientia constat pœnitentem semel absolutum rarò occasionem relinquere: Diana, licèt aliàs, laxus.

Dico 4. Potest meretrix accipere & retinere lucrum pro sui corporis prostitutione

cutione. quòd si fuerit excessivum attenta qualitate personæ, non potest, insuper quod pro tali promissum est opera, in conscientia solvendum est. Ioan. Corradus quoad primam & ultimam partem.

Dico 5. Qui deflorat Virginem tenetur hanc circumstantiam in confessione aperire. S. Th 22. q. 154. a. 6. oppositum habet Sotus. etiam si ipsa, si sit sui juris, consentiat. Dela Cruz & Moscic, judico tamen (salvo meliori aliorum judicio) pœnitentes circa hanc circumstantiam non esse molestandos, præcipuè minùs doctos, cùm invincibiliter ignorent, specialem addere malitiam. Adverte, Virginem oppressam & idem judicium de soluta, teneri clamare.

Dico 6. Amissio Virginitatis ex parte viri non est stuprum, sed reducitur ad unam ex aliis speciebus pro diversitate actûs, Quia masculus non est ita sub custodia Patris quo ad hoc, nec fit minùs nubilis amissâ Virginitate, sicut fœmina. Armilla V. stuprum & colligitur ex S. Th: citato. Similiter si puella peccet contra castitatem se voluntariè polluendo, non est stuprum, sed pertinet ad mollitiem. & in utroq; casu non est necessario confitenda amissio Virginitatis, quantùm ad virtutem in anima existentem.

Dico 7. Si quis promittit sive cum juramento. sive absq; illo, seducturum in Vxorem, sive Virginem sive non Virginem, cum qua rem habuit tenetur eam ducere, nisi sit magnus excessus inter personas, unde grave aliquod damnum timeatur ex tali matrimonio, nam in tali casu tenetur eam honestè dotare, maximè si ipsa velit. Quòd si nihil promisit, & nihil damni inde secutum, fornicator ad nihil tenetur. Item non tenetur dotare puellam si liberè & sine ulla promissione puella consentit. aliquando tamen ex charitate tenetur. quod judicio prudentis relinquitur. hanc doctrinam in venies apud Dela Cruz de restit. a. 2. dub. 4. conc. 1. & 3. Adde ex Povodovio, si propter stuprũ vel fornicationem fœmina infamata, deflorator vel fornicator tenetur pro posse talem infamiam auferre.

Dico 8. Habere rem cum sponsa alterius, est circumstantia in confessione aperienda, quia injuria infertur sponso, & valdè deterioratur conditio sponsæ, Homo bonus apud Dianam. Idē sentit Mosc. si cum sponso alterius res habeatur.

Dico 9. Copula cum conjugata, consentiente marito, est adulterium. quare non sufficit in confessione dicere se esse fornicatum. Ita determinat Innocentius XI, dum oppositum damnat.

Dico 10. Adulter propter adulterium jam notum, amittit jus petendi debitum ex justitia (ita ut alter non teneatur reddere) non tamen amittit jus reddendi. Et idem dic de adultera. Dixi, *Propter adulterium jam notum.* Nam adulter propter adulterium occultè commissum, & nondum notum, non amittit ius ad exigendum debitum, ut docet Turrecremata, Sotus, Cajet: & Covarruvia & apud Fernandez. nam nemo tenetur se suo jure spoliare.

Dico 11. Maritus adulteræ, si non consensit adulterio. potest divortium ab illa facere, quoad thorum & habitationem. & potest illam intra monasterium includere per sententiam judicis, potest etiam remittere culpam.

Dico

Dico 12. Mulier adultera, ne noceat veris filiis, non tenetur declarare filium spurium, cum periculo suæ vitæ aut gravis infamiæ, sed debet resarcire damnum aliorum filiorum, quantùm potest aliis viis, & similiter ipse adulter. Spurius non tenetur credere matri adulteræ se esse spurium regulariter loquendo, ut docet Sylvester cum Panormitano. Quòd si adultera potest sine prædicto periculo se manifestare, & spem habeat, quòd credetur, tenetur se ipsam manifestare, ne noceat veris filiis, inter alia ut etiam docet Povodovius. potest filio ex adulterio suscepto ingressum Religionis suadere, Hanc doctrinam fusiùs invenies apud Dela Cruz de rest: a. 6. dub 6. & 7.

Dico 13. Probabile est quod mulier peccans cum Sacerdote Religioso, non teneatur explicare utramq; circumstantiam, nimirùm Sacerdotii & Religionis, sed illarum alteram, dicendo peccavi cum Religioso. Vel Sacerdote. Quod etiam procedit de ipso Sacerdote, cui satis est quod explicet alterutrum. Et ratio huius est, quia probabile est, vota solemnia castitatis, quæ emittuntur in Professione Religiosa, & in susceptione sacrorum Ordinum, esse ejusdem speciei. Navar. & alij. immo putat Diana cum Villalobos, votum solemne castitatis, à voto simplici non differre specie, consequenter prædictam mulierem satisfacere dicendo, concubui cum habente votum castitatis, Religiosum verò Sacerdotem satisfacere dicendo fregi votum castitatis. Probabiliùs tamen est oppositum vtrique sententiæ. cùm Thomistæ probent votum Clericale seu annexum sacris Ordinibus differre specie à voto Religiosorum. Hinc mulier peccans cum Sacerdote Religioso teneatur explicare circumstantiam Religionis dicendo peccavi cum Religioso, non tamen tenetur addere circumstantiam sacri Ordinis, dicendo, & cum Sacerdote, secundùm Dela Cruz. Quia votum castitatis majoribus Ordinibus annexum, non addit specialem & majorem obligationem supra votum Religionis solemne. Dixi, *Sacri Ordinis*. Nam extra difficultatem est Clericũ, in minoribus constitutum, nõ teneri explicare hanc circumstantiam, sed sufficit dicere, fornicatus sum. Lamas.

Petes. V. Clerici sæculares teneantur explicare circumstantiam Subdiaconatûs, Diaconatùs vel, Sacerdotii? ℟det Ledesma quòd sic & rationabiliter, quia unus longè magis alio, consecratur Deo.

Dico 14. Copula cum Iudæo vel Iudæa, & idem est de alijs extra Christianã Religionem constitutis, reducitur ad sacrilegium. quia talis conjunctio prohibita est ab Ecclesia in honorẽ Christianismi. Moscic. cum Less: contra Azorium, Dianam & alios, qui dicunt secluso scandalo, subversionis periculo, Christianæ Religionis contemptu, & reservatione Episcopali, sàtis esse dicere, fornicatus sum &c. an verò qui in actu venereo gestat reliquias, vel agnum benedictum, etiam committat sacrilegium? negat Diana Moscic, & alii. Nisi habeat partem crucis, spinæ, vel clavi. Diana & alii.

Dico 15. Incestuosus cum sanguinea conjugis, in primo aut secundo gradu, non potest petere debitum, propter contractam affinitatem cum propria Vxore. Dispensatio tamen haberi potest ab Episcopo, aut ab hebente privilegium.

Sciendum. Regulares privilegiati possunt dispensare cum conjugibus ince-

ſtuoſis, ut petant debitum. Poſſunt inquam diſpenſare, extra Monaſterium, ſine deputatione facta à Superiori, extra Sacram. Pœnitentiæ, & amoto Superiori, ſuppoſito quòd licentiam dederit. Colligo ex Donato Laynenſi to: 3. tr. 4 q. 40. circa finem, abſolutè enim loquitur & inſinuat priuilegium Martini V. Antonius verò à Spirit: S. in Directorio Regularium tr. 2. diſp. 1. ſect. 2. §. 3. id expreſsè docet, & pro tribus poſterioribus partibus DD. citat. ubi etiam docet, hanc poteſtatem quam tribuunt Prælati ad diſpenſandum in debito cum conjugibus inceſtuoſis, extendi ad eos, qui cognationem ſpiritualem contraxerunt, & refert Villal: & alios matrimonio ſuperuenientem.

Dico 16. Sicut abuti moniali modo quaſi ſodomitico pertinet ad ſacrilegium, abuti Virgine ad ſtuprum (hoc tamen negat Sà & Diana, quia non violatur clauſtrum) vxorata ad adulterium, ita abuti conſaguinea aut affine pertinet ad inceſtum. Nec ſufficit dicere in confeſſione habui rem modo ſodomitico cum conſanguineis vel affinibus, ſed explicari debet primus & ſecundus gradus. Quantùm ad alios verò gradus, ſufficit dicere habui rem modo ſodomitico cum conſanguineis &c. Dixi, *cum conſanguineis vel affinibus*. Nam nō ſufficit in cōfeſſione nominare inceſtum in communi ſed debet explicari qualis fuerit, an inter conſanguineos vel affines. an inter cognatos cognatione ſpirituali, vel legali, ut probari poteſt ex his, quæ adducit Bonac: tractans de matrimonio. Petes, Vir cognoſcens Vxorem ſuam quaſi ſodomiticè utrùm ultra peccatum contra naturam, committat adulterium. R. Sanchez committi adulterium tam ex parte Viri, quàm ex parte fœminæ, idq; ex Cajet: Soto, & Petro Ledeſma.

Dico 17. Inter raptorem & raptā, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in Virum habere conſenſerit eam raptor in Vxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam Vxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter judicis arbitrio dotare. Ita in terminis ſacrum Conc. Trid. Seſſ: 24. C. 6.

Dico 18. Si puella non vi rapitur. non eſt verè raptus, ſed potius fuga, licet hoc fiat invitis illis, ſub quorum cura manet, conſequenter validè contrahitur matrimonium. Diana p. 10 t. 4 res. 261 & alij. Quia Tridentinum ſolùm reſpexit ad libertatem puellarum, ne ſcilicet Virgines nubere cogerentur. Hic autem nulla fit coactio. Item ſi quis rapiat ſponſam ſuam invitam, non committit verum raptum nec invalidatur matrimonium ſi videlicet ſponſa ſolùm contradicat raptui propter certos reſpectus, non verò contradicat ipſi matrimonio. Ita aliqui apud Bonac. de matrimonio à fortiori idem dicendum, ſi ſponſa non invita rapitur. & licet in jure Civili tunc comittatur raptus non tamen in jure Canonico ut docet Bonac. conſequenter validè contrahitur matrimonium.

DISTIN-

DISTINCTIO XXVIII.

De Pollutione.

NOta. Pollutio evenit concurrentibus sequentibus conditionibus. 1. quòd sit emissio seminis per membrum genitale tacta, non autem sufficit emissio alterius humoris. 2. quòd talis emissio sit sensibilis & perceptibilis. 3. quòd sit cum delectatione. 4. quòd sit cum carnis commotione. id est, quæ sit nedum cum membri genitalis motione, sed etiam totius corporis. Ghetius in Thesauro Animæ V. Pollutio.

Dico 1. Pollutio in semiexpergefacto, non est mortalis, cùm non sit sufficienter voluntaria, defectu pleni judicii & advertentiæ. nisi esset procurata vel volita in causa, aut postea succederet voluntaria delectatio circa illam. an verò in somno inchoatam teneamur sub mortali in vigilia reprimere? negat Sà & Facundez Lib. 6. super Decalogum c. 1; modò absit periculum consensûs.

Adverte. Dum loquor de pollutione in somno inchoata, non loquor de inchoata quoad effluxum (sic enim magis verificatur resolutio hæc) sed loquor de inchoata, id est proximè disposita. Facundez l. c, cum aliis. Vniversaliter, dum naturaliter pollutio evenit non tenemur eam reprimere aliàs daretur occasio magnis anxietatibus, cum quibus non tenemur impedire pollutionem, ut habet Trulench Lib. 6. super Decal. C. 1. dub. 8. ex Azor & Filluc. Quia sic datur causa saltem utilis. quâ stante non tenemur impedire pollutionem, secundùm comm. Propter quam tamen non licet in aliquo casu procurare pollutionem. Et sic non tenemur ad impediendum jam inchoatam pollutionem ab equitatione cessare & descendere, quod exemplum adducit Getius V. Poll: allegando Navarrum.

Dico 2. Non est mortalis pollutio, causata ex positione magis accommoda corporis supini, quando aliquis cognoscit ex hoc modo jacendi secuturam in somnis pollutionem. Item causata ex cibis calidis, ex agitatione in equo. à fortiori quando ex Confessione, vel lectione casuum prævidetur. Quia in his & similibus casibus pollutio sequitur per accidens & præter intentionem Quando etiam pollutio provenit ex fricatione ad sedandum magnum pruritum, non est mortalis. nam hæc causa est licita & necessaria, vnde pollutio inde sequens. censetur esse præter intentionem. Hæc & sequentia docet Bonac. de Matrimonio partim ex Soto, partim ex Navar partim ex aliis.

Dico 3. Quando pollutio provenit ex causa mortali non pertinente ad luxuriam, v g. ex ebrietate tunc pollutio non est peccatum mortale, cùm ebrietas remotè & quasi per accidens ad pollutionem concurrat. Idem dicendum, quando provenit ex causa venialiter luxuriosa, & leviter influente in pollutionem. v. g. ex aspectu curioso vel lectione curiosa. Cuius ratio peti potest ex his, quæ dicā de motibus sensualitatis Et hæc sunt probabilia, licet pollutio sit prævisa, modò non sit intenta. in hoc enim sermo procedit, ut DD. exprimunt. Solùm ergo (ait

Eligius Baffeus Capucinus V. Lux: citans Bonac. & alios) pollutio prævisa, nec tamen intenta, est peccatum mortale, quando absque, vrgenti necessitate exerceretur actio ex se turpis, & per se tendens ad actus venereos excitandos, pollutionemq; consumandam. ita ille verbis Sanchez Lib. 9. d. 45. Augustinus verò Reding Doctor & Professor Salisburgensis tomo 2. q. 13. a. 2. controv: 3. Si causa pollutionis in se non intentæ sed prævisæ, sit in materia luxuriæ de se veniali, tunc pollutionem nec dum imputari ad culpam lethalem sed venialem; tenet Sanchez & alii DD. asserentes. pollutionem directè non volitam sed in causa prævisam tunc fore duntaxat mortalem, si causa in materia luxuriæ sit de se mortalis, ita citatus Doctor in terminis.

Dico 4 In nullo casu licitum est procurare pollutionem, etiam propter sanitatem. Ita communiter. DD. Quia pollutio est jure naturæ prohibita, & intrinsecè mala. ut determinat Innocent. XI. damnans sequentem. *Mollities jure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona &c.* Nec semen est pars superflua, ut per pollutionem eijci mereatur, sed est alimentum virtutis generativæ, quare tunc solùm eijci debet, quando virtus generativa in concubitu maritali requirit. Item sunt alia remedia ad sanitatem & natura ipsa in somnis eijcit. Nec vxor excusatur à mort: post copulam emittens semen cùm sic semen prodigatur ad generationem institutum.

Dico 5. Licet sumere medicinam resolventem semen in sanguinem vel alium humorem. Item semen corruptum. v. g. in fœmina potest fricando vel medendo expelli, licet per accidens sequatur aliqua veri seminis emissio, modò constet illud semen esse corruptum. In dubio autem an sit corruptum, non licet, secundùm Bonac. & Sanchez. Quia præsumendum est in favorem seminis, quòd non sit corruptum. Qui autem in tali casu amore castitatis vitam profunderet benè faceret. non enim tenemur mediis extraordinarijs, quàmvis à peccato mortali liberis, vitam tueri. Adverte. Licet in nullo casu liceat pollutionem procurare licitum tamen ob bonum finem v. g. ob sanitatem eam desiderare, vel de habita gaudere. Diana cum aliis. sententia Dianæ est D. Th. in 4. d. 9 q. 1. a. 4. q. 1. ad 5. Palud. & Armillæ. Multa enim licet desiderare, vel de habitis gaudere, non tamen ea facere. Nec tamen desideratur pollutio, quàm finis, ad quem pollutio per accidens conducit.

Dico 6. Ex causa urgentissima, potest Vir relinquere, imperfectam copulam, etsi fœmina jam seminaverit. vel si ita exigat honestas v. g. quod aliquis interea superveniat. Et hoc verum, licet alioquin secuturâ pollutio extra vas, cùm hæc pollutio non censeatur voluntaria, sed præter intentionem. Pro quo refert Bonac. aliquos. Fornicans etiam pœnitentiâ ductus, potest se retrahere à seminatione, licet mulier jam seminaverit. Item licet sit periculum effusionis seminis. Quia quilibet potest se retrahere à peccato.

Dico 7, Aliæ emissiones humorũ per genitalia membra, quæ non sunt pollutiones, nunquam sunt peccata mortalia, nec tenemur evitare occasiones illarum,

rum, ut docet Bartholomæus Medina L. 1. Instruct: Confess: C. 14. advertens, Viros spirituales non teneri relinquere conversationem cum mulieribus, licèt ex tali conversatione sentiant titillationes carnis, & hujusmodi humiditates contra eorum voluntatem provenientes. Ghetius l. c. quo ad omnes partes. Quòd si hæc conversatio cum tali effectu fiat sine causa, arguit eam peccati venialis gravis S. Th. Opusc. 64. de fluxu libid.

DISTINCTIO XXIX.

De osculis, tactibus, aspectu, turpiloquio & motibus sensualitatis.

DIco 1. Osculum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, habitũ secluso etiam periculo vlterioris consensûs, & pollutionis, est mortale, & oppositum Marchantij damnavit Alexander VII reprobando sequentem. *Et probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalẽ & sensibilẽ, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis* Quod dixi de osculo idem dicendum de amplexu, eâdem intentione facto.

Dico 2. Levem tactum manus, item digiti intorsionem excusat à mortali Cajetanus, quia hæc fieri solent ex levitate, secus si ex delectatione. Tactum etiam mamillarum ex levitate & transeunter factum excusat à mortali Nau. Filluc. apud Bonac. de matr: q. 4. punct: 9. Nec est mortale osculari infantes, cum magna suavitate, quia hoc tantùm fieri solet, ex amore teneræ illius ætatis. Tandem proprii pudendi tactum, si fiat sine dilectione, vel periculo delectationis, causâ levitatis, vel curiositatis excusat Bonac. à mortali.

Dico 3. Oscula & amplexus libidinosa, hoc est cum delectatione factâ, sunt venialia tantùm inter sponsum & sponsam, si desit periculum pollutionis, vel ulterioris consensus. Armilla & alij n. 14 V. sponsalia. eò quod sponsus habeat aliquod jus, licet tantùm inchoatum & imperfectum, ad corpus sponsæ,

Adverte ex eodem. V. impud. n. 2. hanc doctrinam non posse extendi, ad tactus partium verendarum inter sponsos.

Dico 4. Si conjux in absentia alterius conjugis tangit libidinosè verenda propria, peccat mortaliter, quia intrinsecè malum est, quòd quis vtatur proprio corpore ad explendam secum libidinem. Armilla & Diana. Hoc non obstante, conjux habens delectationem de copula habita vel habenda, in absentia alterius conjugis, absq; periculo pollutionis, non peccat mortaliter. Curiel: & alii. Oppositum habet Moscic. Viduis tamen non licet delectari delectatione libidinosâ, licet tantùm sit morosa, de copula præterita, neq; sponsis de copula futura Bonac. & alii. Contra Cajet. & Serram. Dixi, *libidinosâ*. Nam Viduis vel sponsis delectari de copula sub ratione boni honesti, vel utilis, non est peccatum. v. g. quatenùs copula ordinatur ad hebendos filios, &c.

Dico 5. Oscula & tactus inter conjuges, etiam ob delectationem, & sine ordine

dine explicito ad copulam, sine periculo tamen pollutionis, non sunt mortalia. Idem dic de verbis turpibus, causa delectationis prolatis. Tactus autem impudici inter solutos, quamvis fiant sine causa delectationis, sunt peccata mortalia. assignat disparitatem Bonac. cur proprii corporis impudici tactus, non tam citò sint mortales, sicut alieni Fœmina impudicè tacta tenetur sub mortali se retrahere, ne cooperetur rei intrinsecè malæ.

Dico 6. Aspectus Fœminæ licet fiat cum delectatione, quæ sistit impropor-tione objecti visibilis ad potentiā visivam, non est peccatum mortale Nam non reperitur tanta turpitudo in aspectu, sicut in tactu. Nec aspectus ita provocat ad libidinem. secus dicendum, si sit in aspectu periculum delectationis libidinosæ, quæ solet in carne sentiri.

Dico 7. Aspectus pudendi ejusdem sexûs potest excusari à mortali, non enim tam proximè ad libidinem provocat. Aspectus tamen pudendi alterius sexûs, vel partis vicinæ licet non fiat ob malum finem, est de se peccatum mortale, quia multum incitat ad libidinem, nisi (ut docet Bonac.) fiat brevissimo tempore, ut non sit periculum commotionis in corpore. Dixi de se, quia aspectus, sicut & tactus pudendi alterius sexûs causa medicandi, licet, etsi delectatio suboriatur, modò non sit periculum consensûs.

Dico 8. Videre, etiam ex sola curiositate, concubitum Viri cum fœmina, est mortale. secus dicendum videndo coitum bestiarum, vel partes earum turpiter commotas, sine periculo ulterioris delectationis, cùm hic aspectus non videatur adeo incitare ad libidinem. Confricans tamen inhonestas bestiæ partes, ut videatur semen, non excusatur à mortali, ut probat Bonac. ego, secluso periculo, in pollutionem haud leviter influente, item secluso periculo consensûs, non damnarem p. mortalis.

Dico 9. Turpiloquium si fiat animo se delectandi objecto turpi, est mortale, etsi non sit intentio utendi tali objecto. Idem dic de auditione, & lectione. Secus dicendum si delectemur præcisè solâ narratione ex levitate, abstrahendo ab objecto turpi. Vnde qui hoc secundo modo adest comœdiæ turpia repræsentanti excusatur à mortali ex hoc capite, nisi sit periculum delectationis. Nec Clericus, hoc modo præsens peccat mortaliter, nisi adsit scandalum. huic tamen prohibetur jure Ecclesiastico, hujusmodi actibus interesse. Dixi *ex hòc capite*, nam ex alio capite tam Clericus, quàm laicus, in quantùm cooperatur rei malæ, non excusatur à mortali.

Dico 10. Repræsentantes turpia v. g. turpes comœdias, scribentes turpia, pingentes fœminas cum pudendis nudatis, mortaliter peccant, quia hæc multis ruinam præbent, à fortiori id dicendum de iis, qui sine causa alteri sexui pudenda ostendunt. Vtrum verò peccent mortaliter fœminæ, utentes veste ita tenui, ut facilè pectora conspiciantur? negat Bonac. Si talis sit consuetudo patriæ. Et idem tenet Makovius. Fœminæ etiam fucantes suas facies sine causa, tantùm venialiter peccant. Item utentes capillis alienis, vestibus odoriferis, immo & pretiosis, si absit grave familiæ damnum.

Dico *ultimò*. Motus sensualitatis, qui proveniunt ex causa tantùm venialiter mala, in qua prævideri potuerunt, sunt peccata. v. g. quando proveniunt ex jocosis verbis, curioso aspectu &c. isti enim motus sunt sufficienter voluntarii, ut imputentur ad culpam. Non tamen secundùm Bonac. sunt peccata mortalia. Quia ut imputentur ad culpam mortalem, requiritur majus voluntarium, quàm sit in causa venialiter mala, in qua prævideri potuerunt. sic discurrit Bonac. de matrimonio q. 4. punc. 7. & citat aliquos. Quòd si proveniunt ex causa habente aliquam honestatem, vel utilitatem, ut quando proveniunt ex auditione peccatorum in confessione non sunt ullo modo peccaminosi.

Adverte probabilem esse sententiam Cajet. oppositam Bonac. eum non peccare mortaliter, qui motus naturaliter, & sine culpa consurgentes nō reprimit, sed negativè se habet, modo non sit periculum delectationis, vel consensûs in hujusmodi motus.

Hâc Cajetani sententiâ cautè est utendum.

DISTINCTIO XXX.

De Consuetudinarijs, & in proxima occasione peccati carnis v. g. pollutionis, cogitationis venereæ &c. (& eadem ratio de alijs peccatis) constitutis.

DIco 1. Tenemur Confessario interroganti fateri consuetudinem, v. g. pollutionis, cogitationum turpium &c. & eadem ratio de alijs peccatis. sic determinat Innoc. XI. dum sequentem propositionem. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem, damnat.

Dico 2. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, si emendationis nulla spes appareat, est deneganda vel differenda absolutio, licet ore proferat se dolere, & proponere emendationem. Ita determinat Innoc. dum oppositum expresè damnat. Spes verò emendationis esse potest, quando homini ad bonum inclinato dantur remedia ad emendationem apta. Quòd si adhibuit remedia, & emendatio vix aliquando secuta, de tali non potest concipere spem emendationis Confessarius, cùm talis inefficaciter remedia adhibeat. consequenter differenda est absolutio. De eo etiam, qui vanis valdè intentus, & secundùm conscientiam libertinus, non est spes emendationis, quare si sit consuetudinarius, absolutio ei differri debet. Vide tamen dist. 11. Concl: 8. Remedia quæ consuetudinariis seu recidivis proponi solent, reperies de Sacram: de subjecto Sacramenti Pœnitentiæ.

Dico 3. Nunquam potest absolvi, qui in proxima occasione versatur, quam potest & non vult omittere, quinimmo directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. Ita Innoc: XI. dum oppositum expresè damnat. Ex quo patet occasionē proximam fugiendam, quod est verum, licet causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrat, ut expresè determinat idem Innocent. si plura de consuetudinariis & in proxima occasione cōstitutis desideras. vide Doctores vide etiam conclus: tertiam dist. 27.

Circa Septimum Præceptum.

Hoc Præcepto prohibetur iniqua acceptio & detentio rei alienæ.

DISTINCTIO XXXI.

De Furto.

NOta. Furtum est ablatio occulta rei alienæ invito domino rationabiliter. Distinguitur specie à rapina (quæ est ablatio rei alienæ publica) ut docet D. Thomas 2. 2. q *66.* a. 4. proinde circumstantia rapinæ, est necessariò in confessione aperienda, utpote speciem mutans.

Dico 1. Quænam sit gravis materia in furto, sufficiens ad peccatum mortale, vix potest dari regula certa, ut patet ex varietate sententiarum circa hoc punc. sed relinquitur judicio prudentis, qui ex circumstantiis personarum, regionum, locorum, hanc taxabit. Quare debet considerari persona, quæ patitur furtum, an minùs dives, an pauper, an in loco furti copia auri & argenti, seu aliarum rerum. Quia si consideratis his & similibus circumstantiis appareat ex quantitate furti, personam notabiliter gravari, illa quantitas respectu talis personæ sufficiens erit ad constituendum furtum mortale, nec excusabitur à mortali si in tali casu furatur quantitatem modicam. Quia aliquando pauperi medius florenus plus præstat, quando inde per diem alit suam familiam, quàm tres floreni personæ ditiori. rem clariùs explicando,

Dico 2. Materia furti sufficiens ad mortale sic potest probabiliter determinari. Qui accipit Regi vel magnati opulento aureum, mediocriter diviti, dimidium aureum, homini ordinario, ut sunt artifices &c medium imperialem, pauperi, etiam mendico, quantum sufficit pro victu diurno, seu quantum datur tempore medio inter hyemem & æstatem laboratori, peccat mortaliter Primas tres partes docet aliqui apud Philippum à S. Tr. de justitia disp. 8. circa artic:*6*. D. Th 2. 2. q. *66*. Quartam partem docet Card Lugo de just. d. 16 Sect: 2 alij talem determinationem relinquūt judicio viri prudentis, negantes assignabilem in particulari determinatam. Hîc autem accipio aureum pro sex florenis, vt quondam accipiebatur in hoc Regno. ex hoc enim quod augeatur valor auri vel argenti, nō debet augeri quantitas furti, imò spectatis circumstantijs debet minui, cùm illud augmentum ex magna proveniat regni egestate.

Circa hanc quantitatem furti possunt sæpè excusari homines ob ignorantiam, maximè, quando per furta minuta licet moraliter continuata, procedunt.

Dico 3. Maior exigitur quātitas ut furtū filii grave sit & mortale, quā extranei quia Pater minùs invitus est, & licèt ei displiceat modus accipiendi, & fortassis; usus in tali vel tali materia, non tamen semper vult obligare filium ad culpam lethalem in ea acceptione. & multominùs ad restitutionem postquam pecunia consumpta. Quæ autem quantitas in filio assignanda, non potest vltra certa regula assignari, pendet enim ex multis circumstantijs, ex statu & facultatibus parentis.

tis ex usu ad quem accipitur. ex pluralitate filiorum & eorum ætate, & genio Patris, majori vel minori affectu erga filium, & similibus quæ omnia sunt prudenter consideranda à Confessario, ne vel facilè scrupulum peccati mortalis filio injiciat, vel habenas laxet ad furandum nimiùm ex bonis paternis. Lessius docet, si filius subtraxit ex bonis paternis duos vel tres aureos parenti prædiviti, non statim putandum esse peccatum mortale, secus si parenti mæchanico vel cui res non adeo ampla.

Dico 4. Qui ab uno aut multis furatur parvam quantitatẽ animo deveniendi ad materiam gravem, in quolibet furto peccat mortaliter, propter tam perversum animum. sed si sine tali animo per parva furta deveniat ad materiam gravem, secundùm aliquos, actus quo attingitur materia gravis in virtute præcedentium est peccatum mortale, dum modò ultimum furtum præcedentibus moraliter conjungatur, nec sit notabilis interruptio inter furta. sed Nau. dicit quòd talis in ultimo furto non peccet mortaliter. sed tenetur sub peccato mortali restituere illam materiam gravem minutatim acceptam.

Dico 5. Dum aliquis accepit rem alterius tempore extremæ necessitatis, aut quia nequit aliter habere compensationem, non furatur. Qui tamen accipit rem alterius urgente tantùm necessitate gravi, à furto non excusatur, ut determinat Innoc. XI. dum propositionem 36. damnat. Sicut & famuli occultè dominis surripientes, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt, à furto non excusantur, ut determinat idem Innocentius XI. dum 37mam damnat.

DISTINCTIO XXXII.

De Emptione & venditione.

Nota. Emptio, est traditio pretii pro merce. Venditio est traditio mercis pro pretio. est autem pretium duplex. Scl. legitimum, & naturale seu vulgare, *legitimum est*, quod definitur à lege, seu principe, vel ab alio legitimo superiore, ut à Senatu &c. & hoc pretium dicitur consistere in indivisibili, ita ut si quis notabiliter excedat in pretio à lege definito peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur. Naturale seu vulgare est, quod hominum æstimatione constituitur, juxta dictamen naturalis & humanæ rationis. & hoc pretium habet latitudinem, eò quòd à pluribus taxetur, nec omnes idem omnino judicent, ad differentiam pretii legitimi, quod consistit in indivisibili, eò quòd pendeat à judicio seu decreto judicis. *Pretium naturale*, seu vulgare est triplex. Infimum seu pium, medium seu moderatum, & supremum seu rigorosum. v. g. pretium *Infimum* alicujus rei esse potest, nonaginta quinque, *medium*, centum. Supremum centum quinque, & hoc adhuc potest habere latitudinem juxta dictamen rationis naturalis. Ita describit & explicat pretium Bonac.

Dico 1. Pretium naturale cum sua latitudine crescit & decrescit pro varietate

tate temporum, multitudine & paucitate emptorum, abundantia & penuria rerū, copia & inopia pecuniæ. Diana. Non tamen crescit pretium propter dilatam solutionem ad tempus. Vnde sic vendere rem supra justum pretium rigorosum, non licet, aliter committitur usura.

Dico 2. Ex modo vendendi vltroneo decrescit pretium, vnde res potest emi multominùs, & secundùm Cajetanum tertio minûs. Tunc vltroneus, quando emptor re non eget. Quare qui emit aliquam rem triginta ducatis, & ultrò vendit, potest emi viginti ducatis. immo potest mercator vendere rem suam summo pretio, & deinde intra breve tempus eandem emere à suo emptore viliori pretio, intra latitudinem justi pretii. dummodò velit revendere, nec vlla violentia aut pactum intercesserit in prima venditione.

Dico 3. Habens debitum difficilis solutionis, ad se autem assecurandum illud vult vendere alteri, poterit emptor illud acceptare minori pretio, etiam secundùm medietatem, spectatis spectandis, ne sic conscientiam oneret. hoc est spectatis expensis, labore, industriâ & periculo. Hoc autem ipsi debitori non licet, cùm sic non emeret sed minueret debitum.

Dico 4. Quando merces Reipublicæ sunt necessariæ, non possunt emi simul & vendi separatim. Nam sic civibus infertur impedimentum, ne secundùm justum pretium emant. Quare sic facientes obligantur ad restitutionem omnium damnorum inde provenientium.

Dico 5. Monopolia sunt illicita. fit autem monopolium quando mercatores inter se conveniunt, ut certo pretio vendant vel emant. & quidem tales secundùm antiquas leges deberent omnibus suis bonis expoliari, & in exilium mitti. Quicquid tamen de antiquis legibus sit, tales graviter peccant, & ad restitutionem obligantur. Vide Corradum p. 1. quæsito 159.

Dico 6. Contractus hic est licitus. v. g. Petrus vendit Francisco agrum, Franciscus agrum acceptat insinuando Petro, quod si pecuniam Petrus reddiderit, se quoque agrum redditurum. Idem pactum potest esse ex parte vendentis, obligando emptorem, quatenus revendat agrum, vel quid simile, quod pactum retrovendendi est licitum servando conditiones, quas adducit Corradus p. 1. quæsito. 85.

Dico 7. Qui emit ut cariùs vendat, hoc solo fine ut lucretur mortaliter peccat. Alensis apud Corradum. Sed vendere cariùs quàm sit emptum negotiando, secundùm D. Th. 2. 2. q. 77. a. 4. ordinario lucro, ad aliquem finem necessarium, vel honestum, est licitum, v. g. ad sustentationem suæ domûs, vel pauperum, vel Patriæ, vel ne desint ei necessaria, vel expectando lucrum, non quasi finem, sed quasi stipendium sui laboris.

Attamen ut res sic vendatur cariùs debet pretium esse mutatum, vel ratione loci, vel ratione temporis, vel formæ, v. g. quia res meliorata, ut equus, qui crevit, vel framea expolita; immo inter mutationes formæ potest comprehendi, si res empta in quantitate magna vendatur minutatim. Item licet vendere cariùs

ratione

ratione laborum & periculorũ in transferendo ad locum, ubi pretium maius est.

Cæterùm non licet ei, qui carè emit, fuitq; in hoc propter suam ignorantiam deceptus. vendere rem pluris quàm valeat, ubi non tantùm valet. Nec excusatur, dicens: quòd tanti emerat. ipse enim sibi imputet. Nec propter hoc, quòd ipse deceptus, alium decipere licet.

Dico 8. Si do alteri rem meam, ut vendat pro sex, & vendit pro octo, non potest sibi retinere illa duo. rationem dat Sylvester, quia res non datur à Domino sic vendente, pro sex, ita ut non velit octo habere si possit, sed cum dixit pro sex vendendam, minimum pretium exprimere voluit. Excipe si ille, qui vendit soleat hoc exercere pro pretio, nec aliàs excedat pretium sui laboris. nec valorem rei venditæ. Nam si excessit, debet reddi excessus.

Dico 9. Vendens quamcunq; rem tenetur manifestare defectus, quos ignorat emens. Quòd si non manifesta, invalidus est contractus cùm emptor rationabiliter conqueri possit, se deceptũ esse potestq;, repetere pretium. nisi fortè tantùm velit illam partem pretii sibi restitui, quam dedit, & in qua fuit deceptus.

Dico 10. Dum v. g. rusticus adfert aurifabro lapidem pretiosum, petens quinq; vel sex grossos, tenetur aurifaber rusticum monere, lapidem tantùm vel tantùm valere. Quòd si rusticus jam ab aurifabro monitus lapidem dat aurifabro levi pretio, eum aurifaber tutâ conscientiâ accipere potest, nam cum pretium lapidis jam rusticus sciat, suo juri cedere videtur. attamen aurifaber minus infimo pretio dare nequit. nisi fortè rusticus, quocunq; pretio contentaretur, nec aliunde necessitate pressus, ad sic vendendum cogeretur, aliàs enim aurifaber ad recompensationem teneretur.

Dico 11, Venditor non tenetur manifestare circumstantias de futuro, quæ si adessent, facerent rem minus valere. Hinc venditor non tenetur dicere, quòd veniant multæ naves cum grano, quod si scirent ementes, expectarent, & sic res sua vilesceret. S. Th. 2. 2. q 77. a. 3. ad 4. Quia tales circumstantiæ non sunt defectus rei vendendæ, & ideò non est necessè eas manifestare. Monet tamen Salazar hoc multoties militare contra charitatem v. g si emptor in extremam vel gravem necessitatem, quæ aliàs ei non imminet, sic emendo deveniat.

Ex dicta Conclusione patet, eum non peccare mortaliter, qui sciendo futuram taxæ diminutionem, currenti pretio vendit, vel emit pecuniâ, quam scit à suo valore cras deponendam. ut docet cum multis Bonac. Qui tamen fraudulenter procedit. v. g. ideò præcisè pecuniam perpotat, quia cras est à suo valore deponenda peccat contra justitiam & ad restitutionem, tenetur ut docet idem Bonac.

DISTINCTIO XXXIII.

De Simonia.

Nota 1. Simonia sic definiri potest, scilicet est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum, Ortum habet hoc nomen

à Simone Mago, emere volente ab Apostolis virtutem Miraculorũ patrandorum, quæ tamen virtus à Spiritu Sancto immediatè datur. Hoc vitium est contra virtutem Religionis, quia res sacræ & supernaturales indignè tractantur, si pretio temporali commutentur. est etiam contra justitiam, v. g. cum venditur id, quod aliàs debebatur gratis, ut si Parochus vendat Confessionem, Item cum res venditur pluris propter consecrationem, vt calix. Illud enim plus est contra justitiã, & taliter vendens tenetur ad restitutionem.

Nota 2dò, Simonia est triplex scil: realis, conventionalis, & mentalis. *Realis est*, dum re ipsâ exhibetur vel promittitur res temporalis pro re spirituali, actu vendita & tradita. *Conventionalis est*, cùm convenitur de pretio & venditione, sed adhuc non est secutus effectus. *Mentalis est*, cùm traditur res temporalis cum intentione accipiendi spirituale pro ea, sed sine pacto aut cõventione explicita, vel è contra. Præter has simonias assignari solet confidentialis. Sed hæc juxta varias circumstantias potest esse realis, cõventionalis, vel mentalis. Committitur autem Simonia confidentialis in collationibus & resignationibus beneficiorum, cùm scil: confertur beneficium cum confidentia, vel quod sit resignandum alteri, vel collatori, vel eius fructus aut aliqua pars.

Nota 3tiò. Materia circa quam committi potest Simonia, est triplex. una purè spiritualis. altera purè corporalis. tertia mixta ex corporali & spirituali. Purè spiritualis sunt dona Spiritus Sancti & gratiæ: purè corporalis, est v. g. sepultura, hæreditas Ecclesiæ &c. Mixta tandem ex corporali & spirituali, sunt Sacramenta, Sacramentalia, calices, ornamenta benedicta & consecrata. Ex quo patet, quòd ly spirituale in definitione simoniœ positum non debeat accipi propriè & ut sonat, sed impropriè, scil: pro re sacra. seu pro re quæ à Deo ut auctore gratiæ procedit, & ad Deum ut finem gratiæ ordinatur.

Nota 4tò. Committitur simonia offerendo quamcunque rem per modum pretij pro re sacra. Vnde communiter dicitur simoniam committi per munus à manu. per munus à lingua. per munus ab obsequio. per munus à manu intelligitur pecunia, aut quodvis bonum temporale pertinens ad bona fortunæ. Per munus à lingua, intelliguntur preces, laudes, adulationes &c. quæ si accipiuntur per modum pretii, erit simonia conferre rem spiritualem pro illis. accipiuntur autem per modum pretii, si ex pacto & obligatione accipiantur. ut cum communi docet Bonac. vel si intendatur à conferente, principaliter temporale emolumentum, ut S. Thomam explicat Sotus. quod fit, si Episcopus acceptet preces intuitu emolumenti temporalis. Sic enim Episcopus est simoniacus. Per munus ab obsequio, intelligitur omne servitium temporale. item signa honoris, &c quæ si accipiantur per modum pretii, resq; spiritualis pro illis detur, committitur simonia.

Dico 1. Non sufficit ad simoniam perfectam & realem, traditio pecuniæ pro beneficio, sed debet esse traditio beneficii. Valet tamen è contra traditio beneficii, sine actuali traditione pecuniæ ad perfectam simoniam sicut enim sub spe futuræ pecuniæ tradendæ committitur usura perfecta, ita etiam simonia committi potest. Sotus & alii apud Fernandez.

Dico 2. Si aliquid titulo sustentationis, liberalis doni, gratitudinis, hoc est ad gratiam referendam vel ineundam, titulo eleemosynæ, comparandorum librorum, reverentiæ & honestatis, v g. ob reverentiam Sacramenti, titulo obligationis, legis, vel consuetudinis, qualiter excusatur, dicens accipio hoc ut solent boni Clerici. titulo fabricæ Ecclesiæ, in pœnam delicti, quando v.g excommunicatus absolvitur, titulo stipendii, ut quando litteræ expediuntur, & non per modum pretii datur, non committitur simonia, ratione cujus servus procurans affectum sui Domini, vel voluntatem Episcopi, quatenus vacante beneficio, hoc sibi detur, non cōmittit simoniam, neq; Dominus beneficium conferens simoniacus censetur, cùm totum hoc fit per modum gratitudinis & non per modum pretij, quòd si è contrario eveniret, simonia censeretur.

Dico 3. Licet Episcopo offerre pecuniam. & obsequia, ut Episcopus hâc occasione, beneficium ex gratitudine offerat. atq; occasionaliter per pecuniæ vel obsequiorum vim intendere beneficii receptionem: Nec in hoc casu secundùm Bonac, q.6. de Simonia puncto 1. & alios communiter, committi simoniam. *Adverte* in hoc casu pecuniam solùm debere dari per modum conciliationis affectûs, aliàs si daretur, etiam tantùm secundariò per modum pretii, non esset excusatio à simonia. Dices. hanc conclusionem contradicere determinationi Innoc. XI. dum sequentem damnat. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motiuum conferendi vel efficiendi spirituale Vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.* ℞. nostra conclusio non dicit pecuniam vel obsequia esse motivum conferendi beneficium, sed solùm occasionem, gratitudo autem est motivum. Determinatio autem Summi Pontificis solùm reprobat pecuniam posse esse motivum conferendi beneficium, non verò reprobat posse esse occasionem. Sicut etiam quando intendit Pontifex spirituale non posse esse gratuitam compensationem pro temporali, solùm negat posse haberi respectum rei spiritualis ad rem temporalem, non verò negat posse haberi respectum ad gratitudinem. Quòd si gratitudinem concomitatur pactum vel obligatio rigorosa, nullus excusat à simonia, & in tali casu gratitudo, solùm est ficta gratitudo. Adverte ex Lessio de Simonia dub. 10. licèt hæc vera sint in foro cōscientiæ, tamen in praxi periculosa, quia sæpè est magnum periculum simoniæ, ubi munera intercedunt.

Dico 4 Si Religiosos per abusum contigerit aliquid dare vel accipere in provisione officiorum ordinis, etsi propterea peccent vel contra constitutionem Clementis VIII. de largitione munerum, vel contra Constitutiones particulares Religionum, non tamen ideò debent censeri simoniaci, si tale munus non dant vel accipiunt in pretium talium officiorum. quia multi tituli honesti, v. g. gratitudinis &c assignari possunt, propter quos tradens vel accipiens temporale pro spirituali, à simonia excusetur. Lezana.

Dico 5. Vadens ad horas principaliter propter quotidianas distributiones simoniacus est mentaliter, imò licèt principaliter vadat ad laudandum Deum, pro

motivo tamen habeat quotidianas distributiones, adhuc simoniacus est, ut patet ex allegata Innoc: determinatione, Quod dixi de horis, applicandum est lectioni Missæ & similibus.

Dico 6. Licet exigere pretium pro labore antecedente in administratione Sacramentorum. Sotus, Toletus, & alii, labor autem antecedens administratione Sacramentorum est ille, qui ex se & ex natura rei non comitatur ipsam effectionem Sacramentorum. Qui enim comitatur actionem audiendi confessiones, baptizandi, legendi sacrum &c. talis labor vendi nequit. Iter magnum conficere ad audiendas confessiones, ad baptizandum, ad faciendum sacrum, ex se non est labor annexus tali operi.

Dico 7. Potest exigi pretiũ, pro obligatione, quâ quis se obligat certo tempore ministrare Sacramenta, vel dicere sacrum in tali loco. Cajetanus & Toletus. Quia non venditur res spiritualis, sed libertas. Potest etiam Sacerdos facere pactũ de certa quantitate sustentationis pro faciendo sacro, aut funere, quâ non datâ nolit celebrare, nec funus exequi, etiamsi Sacerdos sit dives. Ita Sotus, Fernandez & alii. nec contrariatur S. Th. 2. 2. q. 100 a. 3. ad 2. nam sanctus Doctor negat posse fieri pactum de certa quantitate conformando se juribus circa hoc, quæ tamen ex mente Soti apud Bonac. sunt per consuetudinem contrariam abrogata.

Dico 8 Non committit Simoniam Parochus, qui non vult benedicere nuptias, nisi ei dentur dona solita. Panormitanus, Sylv. & Sà esset tamen simoniacus si aliquid acciperet per modum pretii pro benedicendis nuptiis ut decernitur in Extrau. de simonia.

Dico 9 Nolenti baptizare puerum morientem sine pretio, licet offerre pecuniam non in pretium, sed pro redimenda vexatione, si non sit alius, qui sine pretio baptizet. Palud Sotus, & alii. Sicut extremè egenti licet petere mutuum sub usura, à nolente aliter mutuare, etsi usura sit intrinsecè mala. quia sic offerens pecuniam non intendit emere Sacramentum, nec cooperatur malitiæ alterius, sed redimit vexationem, quod, stante dictâ necessitate est licitum. Immo probabiliter docet Adrianus, idem licere in dicto casu, adulto morienti sine baptismo, aut sine pœnitentia. Quia, etsi iste non patiatur extremam necessitatem baptismi, aut pœnitentiæ. cùm possit conteri de peccatis. sed quia hoc est difficillimum, potest suam redimere vexationem medio offerendi pecunias. Ita etiam Ledesma & alii. Dixi probabiliter, quia oppositum est probabilius, utpote traditũ à S. Thoma 2. 2. q 100. a. 2. ad 1.

Dico 10 Non licet pecuniâ redimere vexationem in beneficio, ante jus acquisitum in beneficium. Quare si litigas cum alio pro beneficio, non potes ei dare pecuniam ut à lite desistat S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. Item si concurris cum alio pro beneficio, licet sit indignus, non potes dare pecuniam electoribus, ut te, & non illum eligant. Docet tamen Dela Cruz, si quis te impedit vi aut dolo ab obtinendo beneficio, potes hanc vexationem redimere pecuniâ. quia sic tantùm remotè per temporale paratur via ad spirituale quod non est illicitũ, sicut non est illicitũ, datâ pecuniâ addiscere necessaria ad beneficium.

Dico

Dico 11. Acquisito jure ad beneficium licitè redimitur pecuniâ vexatio ab omni impediente possessionem. nam sic non paratur via ad spirituale per temporale. cum redimens habeat totum jus ad beneficium, sed solùm tollit impedimentum juris habiti. Ita S. Thomas loco jam citato.

Dico 12. Permutatio beneficiorum facta sine licentia non est licita, patet ex varijs decretis relatis ab authoribus. non erit tamen simoniaca talis permutatio, sine licentia facta. cùm non detur temporale pro spirituali, nisi aliàs fiat cum pensionis obligatione quia daretur spirituale intuitu temporalis. Ita Sylv. Soto. & alii. pariter non est simonia commutare missam pro missa, v. g. si Petrus accipiat meam obligationem absolvendi Missam & ego Petri.

Dico 13. Vendere sepulturam, hoc est humationem corporis humani, secundùm quod quæritur à fidelibus in locis benedictis, est simonia C. non satis, de Simonia. Licet tamen accipere pecuniam pro sepultura titulo sustentationis, aut eleëmosynæ ad reparandam Ecclesiam, & alendos ministros

Dico 14. Quando Ecclesia prohibet sumi pretium pro aliqua functione propter connexionem cùm re sacra, licèt illa functio sit ex se vendibilis, potest tamen intervenire simonia. Et sic in Conc. Tridentino Sess. 24 C. 18. de reformatione, prohibetur sub peccato simoniæ ne examinatores ad beneficia aliquid accipiant pro examine.

Dico 15. Probabilius est non committi simoniam vendēdo sine licentia pensiones beneficiorum titulo temporali debitas, ut sunt quæ dantur propter bonum pacis, propter indigentiam &c. peccatur tamen vendendo eas sine licentia Papæ ut docet Communis. Dixi titulo temporali debitas. nam vendere pensiones titulo spirituali debitas, v. g. ratione coadjutoriæ, prædicationis, aut aliàs ministerii spiritualis, est sine dubio simonia. Sicut & jus decimarum vendere est simonia. est autem pensio, jus ad certam partem beneficii alterius.

Dico 16. Vendere terram necessariam ad sepulturam in Ecclesia, ex se non est simonia, cùm sit res merè temporalis, aliter dicendum est ex prohibitione Ecclesiæ, ex C. non satis, de simonia. Ista enim prohibitio facta est in ordine ad reverentiam debitam rebus sacris. & benedictioni sepulturæ. at non erit simonia accipere pretium pro sepultura in loco honoratiori, ut docet Corradus & Dela-Cruz, aut pro jure perpetuò ad sepulturā secundùm eundem Dela-Cruz. ista enim sunt tēporalia, & per accidēs unita spiritualitati sepulturæ, alias vero nō prohibita.

Dico 17. Nulla simonia inducit pœnas juris ipso facto, nisi in ingressu religionis, ordine & beneficiis, Lezana cum aliis. Vnde si quis in aliis Sacramentis (præter Ordinis) conferendis, vel accipiendis, in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus vel similibus simoniam cōmittat, quàmvis mortaliter peccet, non contrahit juris pœnas, an verò nomine beneficii etiam veniat Prælatura Religiosorum? aliqui affirmant, in quorum sententia, simoniacus in officio Religionis, incurrit excōmunicationem Papæ reservatam. aliqui negant. grandiores de hac judicent, ego de inferioribus scilicet de commendatura, & vicaria tem-

porali judico non venire nomine beneficii, cùm secundum Felinum beneficium sit quid perpetuum. Qui tamen has emeret vel venderet, simoniacus esset.

Dico 18. Pœnæ pro simoniacis in jure sunt hæ. *Prima* est privatio beneficii, & pretii pro eo accepti, & inhabilitatio ad omnia beneficia, nec fit Dominus fructûs beneficii. Ita C. si quis Episcopus, & C. Presbyterorum, & solus Papa dispensat in hoc, ut patet ex C. detestabile, de simonia.

Et cum jure naturali relinquenda res aliena, ideò beneficium & fructus debent dimitti; etiam ante sententiam judicis. Pretium pro beneficio, Ecclesiæ, vel pauperibus post sententiam judicis dari. ipsi verò danti reddi, ante sententiam judicis. *Secunda* pœna est Excommunicatio. patet in loco citato, & intelligitur in casibus in superiori conclusione expressis. *Tertia* pœna est, suspensio à functione Ordinum simoniacè susceptorum, nec habet spem ascendendi ad alios Ordines, sic ordinatus. Quòd si ministrare præsumit fit irregularis, privatus omni beneficio & ad illud inhabilis. hanc totam tertiam pœnam fulminat Sixtus V. in bulla contra malè promotos. *Quarta* pœna est infamia. patet ex C. sanè. consequenter irregularitas. non sufficit ad infamiam sive juris sive facti, rumor sparsus & creditus, sed debet esse notitia, saltem majoris partis viciniæ, loci, collegii, vel monasterii, &c. ut docet Lezana.

Dico 19. Vt Simoniacus pœnas dictas incurrat, oportet simoniam esse consummatam & perfectam. alias enim hæ pœnæ non incurrentur. sicut nec incurruntur, per simoniam mentalem licèt in aliquem actum emanaverit, ut docet Sylv. & Cajet. apud Fernandez. idem docent communiter Doctores de simonia conventionali, quæ ex neutra parte in opus emanavit. Imò licet pretium datum fuisset, si res nondum tradita ut colligo ex Ledesma, Cajet. Victoria & Soto apud Dela Cruz.

Dico 20. Simoniaci in Ordinum receptione, non possunt absolvi à Prælatis Religionnm, etiam attentis eorum privilegiis. eò quòd Clemeus VIII. in Bulla, *Romanum*, abrogaverit privilegia, ad absolvendum simoniacè ordinantes & ordinatos. Ita refert Lezana tomo 1. qq. Reg cap 18, n. 39. Quod procedit per se. nam per accidens & stãte difficili recursu ad Papam & Legatũ, potest Prælatus Regularis absolvere suum subditum ab excommunicatione contracta ex simonia, in receptione Ordinum. Sicut & Episcopus potest sæcularem in simili casu.

Docet tamen Antonius à Spir. S. in Directorio Regularium tr. 2. disp. 1. sect. 1 §. 2. posse à Prælatis Regularibus absolvi subditos à simonia commissa in receptione sacrorum ordinum. Quia licèt Sixtus V. reservaverit in sua Bulla contra Clericos malè promotos absolutionem hujus simoniæ, & omnia Regularium Privilegia ibi revocaverit. quam revocationem Clamens VIII. confirmavit. Postea idem Clem: Paulus V. Greg. XV. omnia Privilegia Regularium de novo confirmârunt ex certa scientia. Quando autem Pontifices confirmant ex certa scientia, re validant privilegia, etsi essent revocata, ut probant DD. unde conclusi: tenet Portellus & alii. quos citat & sequitur Anton. à Spir. S, l. c.

QVÆ-

QUÆSITUM.

Utrum committatur simonia, docendo pretio, Theologiam moralem, speculativam & interpretativam Scripturarum? ℟. Negativè, ex Victoria, Soto & aliis apud Bonac. contra Palud. Sylv. & alios. Quia actiones Magistri naturales sunt, & ipsa Theologia in sua Entitate etiam naturalis, ut docui in primo tractatu super 1. p. D. Th. labor etiam pretio æstimabilis.

DISTINCTIO XXXIV.

De Usura.

Nota 1. Usura est *lucrum ex mutuo proveniens*, v. g. præstitit Petrus Francisco viginti ducatos, cum pacto, quòd reddat viginti quinq;. illi quinq; superadditi sunt pretium usûs pecuniarum, & committitur usura. Nec potest dici, cùm numerata pecunia, sit pretiosior numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem, v. g. ultra viginti mutuatos, quinq; ducatos, à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. Non potest inquam dici, quia hæc instantia, est expressè ab Innoc. XI. propositione 41. damnata.

Nota 2. Mutuum ab accommodato in hoc distingui. Nam mutuum tunc est, quando unus præstat alteri aliquid ad fruendum illo, ita tamen ut in eadem specie restituat, v. g. in tritico, vino &c. & dominium dantis, transeat in dominiũ accipientis super rem datam. accommodatum tunc est, quando unus præstat aliquid alteri ad fruendum illo, ita ut transacto spatio aliquot dierum restituat, nec dominium dantis, transeat in dominium accipientis. Quod fit accommodando librum v. g. seu vestem. &c.

Nota 3. Ut contractus censeatur esse usurarius, tres debet habere conditiones. *Prima* est, ut ultra præstitum aliquid accipiatur, prout jam exemplificatum. *Secunda* est, illud, quod supra præstitum datur, sit pecunia æstimabile. nam si aliquis aleri præstaret, ad hoc ut suam iniret amicitiam non esset usura nam amicitia, est supra omnem pecuniam. *Tertia* conditio, ut id quod est supra præstitum, non detur alio titulo v. g. ratione debiti. Sic quando Joannes petit sibi præstari viginti ducatos, cui alios viginti debet, solvendo omnes quadraginta non committitur usura. cum alii viginti, alio titulo v. g. titulo debiti debeantur.

Dico 1. Potest aliquid ultra sortem accipi ratione lucri cessantis. v. g. Petrus habet ducentos ad sustentandam suam vitam, petit illos sibi præstari Franciscus. Petrus autem respondet, se ducatos pro sua parte servare. attamen si Franciscus id, quod cum prædictis ducatis lucrabitur, promittat redditurum, libenter eos præstabit. ut autem talis contractus sit licitus, quatuor debet habere conditiones. *Prima*, ut non sit alia pecunia præ manibus. *Secunda*, ut lucrum ex tali pecunia Petro proveniens, sit verum & non fictum. *tertia*, ut intimetur Francisco

lucrum

lucrum futurum, non fore proprium. posset enim evenire, si hanc conditionem sciret, pecuniam non acceptaret. *quarta*, ut non accipiatur multum ratione lucri futuri, cùm lucrum futurum non ita sit certum, sicut præsens.

Dico 2dò. Potest etiam aliquid ultra sortem accipi, ratione damni emergentis. v. g. Petrus habet centum ducatos ad emendum triticum tempore Augusti, quia tunc leviori pretio invenitur, ad hoc ut domui suæ provideat. Petit autem hanc pecuniam Petri Ioannes. Petrus verò respondet, se talem pecuniam habere ad coemendum triticum, si tamen triticum incaresceret, ac damnum inde eventurum exolvere sponderet, se ei talem summam præstiturum. est licitum pactum. oportet tamen ut hoc, Joanni intimetur. nam posset Ioannes pecuniam cum tali onere nolle,

Dico 3tiò. Si maritus & Pater Vxoris convenirent expresè, quòd mulieri, quæ nubit, darentur in dotem mille, & quòd quamdiu non traderentur mille, darentur fructus horti vel agri vel quid simile, talis contractus est justus. imò justè maritus cum Patre Vxoris pacisci potest, de certa quantitate solvenda, quàmdiu dos non fuerit soluta. Bannez, quem citat & sequitur Corradus, parte 1. casuum. quia æquum est, ut quamdiu dos non solvitur, resarciatur id, quod aliunde maritus poterat lucrifacere, cum mediocri diligentia mediantè dote, ad sublevanda onera Matrimonii. dicendum tamen est, si gener ad nihil penitus, pecuniâ egeret, sed tantùm ad cistam reponeret, prædictis gaudere non posset.

Dico 4tò. Vsura est accomodare alicui hoc fine, ut emat ex sua apotheca, vel molat in suo molendino quia hæc obligatio æstimabilis est, & simul alteri libertatem aufert, quominùs alio ire possit, cùm tamen hoc multum homines æstiment. Est etiam usura præstare triticum, v. g. tempore Augusti, ita ut solvatur, sicut curret futuro Majo. Item est usura præstare v. g. ad quatuor annos cum conditione, ut infra hoc tempus debitum non exigatur, & ratione hujus pacti, ultra sortem principalem aliquid sumere. Ita determinat Alexander VII. dum sequentem propositionem damnat. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usq; ad certum tempus.

Dico 5. Si usus pignoris sit pretio æstimabilis v. g. de equo pago &c. ex quibus fructus percipiuntur, non licet mutuanti eo pignore uti gratis. aliàs usuram committet. nisi utatur gratis de voluntate Domini, non quidem ratione mutui, sed ratione amicitiæ & gratitudinis. & fructus computandi sunt in sortem principalem. v. g. si pagum mutuator per annum habuerit, qui de fructibus habet centum, tenetur illa centum extrahere, cùm suas pecunias acceperit, de illa summa, quam ei commodaverat. aliàs usura committitur. quia ex mutuo lucrum accipitur, non solvendo pagi fructum. Ita Armilla V. usura Ioannes Corradus p. 1. casuum conscientiæ. Bonac. de rest. disp. 3 q. 10 punc. 1. Smiglecius de usura G. 13. & alii communiter constatq; expresè ex S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 6. rationem dat Corradus. quia pecunia de se non est fructifera, & pagus est fructifer, consequenter ex solo mutuo lucrum accipitur, sicq; usura committitur. Quod au-

tem

tem fructus sint computandi in sortem principalem patet, quia pagus cum Domini sit Domino fructificat. res enim Domino fructificat, ut communiter dicitur. attamen expensæ propriæ circa fructus factæ, labor specialis, industria, lucrum, quod alio modo ex pecunia haberi posset sunt computanda.

Dixi, *De voluntate Domini, non ratione mutui, sed ratione amicitiæ & gratitudinis.* Quod benè pondera. quia aliquando hæc gratitudo coacta, & in debitum deducta. hinc Innoc. XI. sequentem damnat *usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, & solùm si exigitur, tanquam ex justitia debitum.* Ex quo patet meliùs facerent nostri Domini Poloni, non accipiendo pagũ in pignus, sed emendo, cum pacto retrovendendi. Sic enim tutâ conscientiâ fructus perceptos (utpote veri Domini pagi) retinere possent.

Dico 6. Non licet petere mutuum sub usuris. à non parato sic mutuare, aut ab eo, qui aliquando hoc facit, aliquando non, quia hoc esset inducere ad peccatum. Licet tamen accipere, imò & petere mutuum sub usuris ab usurario. Cano. Bannez Cajet. quos sequitur Dela Cruz. Quia sic petens, nec sibi complacet in peccato alterius, nec inducit, nec approbat peccatum usurarii, cùm sit paratus, sed utitur ejus malitiâ in suum commodum. attamen hoc fieri non debet, nisi premat gravis necessitas. aliàs enim non excusaretur à cooperatione in alterius peccatum.

Hinc inferes. si in casu necessitatis petis à Clerico, ut tuam excipiat Confessionem, & aliàs scis eum in statu peccati mortalis esse, non peccas petendo, sed ille annuendo, & sic sibi imputet.

Dico 7. Vsurarius mentalis tenetur usuras restituere, à quo recepit, si voluntas ex utraq; parte erat iniqua. Si verò voluntas ex parte recipientis bona fuit, putando sibi datum ratione amicitiæ vel gratitudinis, non tenetur recipiens restituere, nisi postquam resciverit sibi datum ratione usuræ. Quòd si è contra succederet, hoc est, si debitor offerret aliquid ratione gratitudinis, creditor autem ratione usuræ acciperet, teneretur creditor ad restitutionem. Et ratio horum est, quia usurarius licet tantùm sit mentalis, irrogat mutuatario injuriam contra justitiam commutativam, quare non mirum, quòd obligetur ad restitutionem.

MONITIO.

Confessarius sic se gerat cum usurario. Moneat eundem, quatenus animam suam ex pessimo statu eripiat, & malè parta restituat. Qui tamen, si occultus esset; & nec dum malè parta restitueret pro una vel altera vice absolvatur. Si publicus esset, ante restitutionem, etiam pro prima vice, non absolvatur vel det firmam cautionem, etiam coram testibus de restitutione facienda Salazar.

Ludovicus Lopes de contractibus L. 1. c. 65 dicit hunc contractum licitum cum his conditionibus, scil: obligare mercatorẽ ut negotietur. 2. non multũ pro lucro petere, 3. ut mercator spõte capitale asse curet & pro sua sẽtẽtia alios refert.

Quæsitum valdè necessarium.

QVid dicendum de tutoribus pecuniam pupillorum apud mercatores deponentibus, ut quinq; vel sex, pro centum recipiant cum securitate sui capitalis? ℞. à multis hoc condemnari, nec securum esse, &c. attamen praxis hac in re sic invaluit, ut passim id etiam timoratæ conscientiæ agere videantur sine scrupulo injustitiæ. Quia & ad id quandoq; importunè à mercatoribus sollicitantur, qui rem sibi gratissimam passim ab his præstari fatentur, & lucrum quod inde, hi pecuniam deponentes faciunt, libenter solvunt, ob majus lucrum, quod ex pecunia deposita eis cedit. Ideo quidam recentiores Theologi & Canonistæ hanc praxim excusant per tres virtuales seu implicitos contractus, nempe per contractum societatis, per contractum assecurandi capitale & per venditionem lucri incerti majoris pro minori certo. Nec est necesse ut contrahentes, hos contractus expressè ineant, sed sufficit quòd implicitè eos intendant, per unicum contractum expressum. Vnde sufficere videtur, quòd quis conferat centum mercatori, ut quotannis solvat quinq;, salvâ sortè, eo modo quo licitum est. Less. l. 2. c. 25 dub. 3. Nec est necessarium, ut hi qui pecuniam sic conferunt, omnia ista perfectè intelligant; sed implicitè censentur intendere justum titulum, quia cupiunt justo modo lucrari, & non aliter. Interim etsi defacto usurarius esset contractus, si tamen bonâ fide processerint, & aliàs facturi essent justum, probabilis est opinio multorum, posse retinere lucrum, quod justo tunc contractu facturi erant.

Hinc infero. Licèt sit securiùs supra dictam consuetudinem tollere ab his qui pecuniâ suâ negotiaturi non erant, ne videatur mutuum implicitum cum usura. attamen qui bona fide fecerint, & lucrum perceperint, non puto facilè condemnandos ad restitutionem, ob dicta. vide Nau. C. 17. n. 257.

Sed dices. quòd si repetant sortem capitalem, ut securiori modo secundùm conscientiã, suam applicent pecuniã ad lucrũ, & mercatores refundere differant? ℞. hoc nõ infrequẽs esse tunc ergo cùm illi sint in mora, ratione illius moræ possunt tutò lucrum justum accipere, quia pecuniam suam vel in annuum reditum, vel per aliam justam viam, poterant lucrosè impendere? Videri etiam potest alius modus excusandi tutores vel viduas, sic pecuniam deponentes, apud Less. L. 2. C. 21. dub. 10 circa finem. Nempe putat posse excusari per censum vtrinque redimibilem. Et licet suadeam hanc consuedinem corrigendam, non tamen approbo. quòd aliqui nimis vehementer in publico invehantur in eam, sine sufficienti discretione; nam experientiâ constat, quandoq; inde non sequi fructum, sed potiùs tumultum, & conscientiarum involucrum. Vnde addo, cum aliqui bona fide id practicant, nec ex monitione speratur fructus (quod certè non est infrequens) potiùs hos in sua fide & opinione favorabili: quàmvis minùs secura, relinquendos. quia saltem ratione bonæ fidei solùm sunt in statu materialis peccati, & injustitiæ. Quòd si interrogent Confessariũ, tunc eis veritatem aperire tenetur. *Idem* judicium est de viduis, & aliis similibus qui pecuniam apud se, aliàs quiescentem deponunt inter manus mercatorum, ut sex lucrentur super centum, & capitalem summam sibi volunt repetendam, ubi eguerint. Ita Marchantius

quoad

quoad totum in suis resolutionibus pastoralibus, circa septimum Præceptum quæsito 12. & 13. Ludovicus Lopes. Omnino autem excusandus à vitio usuræ census. quia non percipitur census seu fructus ex mutuo, sed ex hoc quod jus percipiendi fructum ex re aliena frugifera, v. g. quinq; vel sex pro centum, sit emptum.

DISTINCTIO XXXV.

De Decimis.

NOta, Decima est *Fructuum jure quæsitorum pars decima, quæ ministris Ecclesiæ quotannis solvitur.* Multis de causis est instituta. 1. Vt profiteamur Deum rerum omnium habere dominium supremum. 2. Vt ministri Ecclesiæ commodè alantur. 3 ut Peregrini, advenæ & egentes subsidium habeant. 4. ut Parochi multa onera, inter quæ reparatio fabricæ, sustineant.

Dico 1. Decimas fideliter solvere secundùm consuetudinem legitimam obligantur, qui agros possident, sub mortali, eoq; sacrilego peccato, nec absolvi possunt, nisi restituant. Dixi, *secundùm consuetudinem legitimam*, quia alicubi non est consuetum solvere decimam quo ad quotam, quamvis solvatur quo ad substantiam, hoc est congruam sustentationem Sacerdotis, nam datur certa pars fructuum, aut taxatur certa summa pecuniæ.

Dico 2 Quando detentor decimarum vendit alteri agrum, potest emptor, etiam infidelis, conveniri, ut solvat omnes decimas detentas. cùm res cum suo onere transeat ad emptorem & res, non persona sit obligata. Aliqui dicunt, utrumq; posse conveniri, scilicet emptorem & venditorem.

Dico 3. Decimæ sunt solvendæ licet Parochus sit dives, vel improbus, vel male utatur. Quia ratione ministerii, & non ratione Personæ dantur.

Dico 4. Excommunicantur, non tamen excommunicatione reservatâ, Religiosi præsumentes dissuadere decimas, sive concionando, sive aliàs, sermone tamen. Item ijdem, non recipientes decimas, si requisiti à Rectoribus Ecclesiarum, vel Vicarijs, scienter prætermittunt facere conscientiam in confessione, de solutione decimarum suspenduntur ab officio prædicationis. Quòd si non præmissâ pœnitentia seu monitione (si commodè fieri potest) prædicare præsumunt, excommunicantur.

Dico 5. Monasteria & idem de aliis locis piis, tenentur solvere decimas prædiales ex bonis, quæ possident in communi, nisi aliquomodo, de quo infra, eximantur Ita in C. Nuper de decimis. Et ratio. quia res transit cum suo onere, nec Ecclesia debet privari suis proventibus. Quod si talia bona antecedenter non erant obnoxia solvendis decimis tunc transeundo ad Religiosos etiam erunt libera: rationem dat Makovius tract: 3. super Decalogũ d 2. q 4. a. 1. coroll. 3. eò quòd Religiosi sint exempti ab omni jurisdictione Episcopali, & ab alio onere juxta Canones.

Dico 6. Solis Clericis competit jus percipiendi decimas. quia est quid spi-

rituale. Fructus tamen seu decima in facto esse, potest convenire laicis quatuor modis, 1. jure em ptionis, facultate Episcopi expressâ vel tacitâ justa de causa, & ad breve tempus, v. g. ad triennium, ut insinuat Moscic. 2. per concessionem Episcopi, qui potest ex justa causa Laicis benè de Ecclesia meritis ad vitam vel ad certum tempus concedere licentiam fructus percipiendi. Sed jus nequaquam. 3. jure feudi, non tamen transeuntis ad hæredes jure perpetuo. 4. titulo consuetudinis, ita ut consuetudo immemorialis vim habeat sufficientis probationis privilegii, sive à Summo Pontifice sive ab Episcopis dari. Samuel de Lub. V. Decima. quo ad omnes partes.

Dico 7. De novalibus, hoc est de terra noviter ad culturam reducta, debentur decimæ illi Ecclesiæ, in cujus Parochia sita est. si verò non sit in certa Parochia, debentur Diœcesano, qui potest sibi retinere, vel alteri concedere, etiam sine consensu capituli. Moscic. 2. p Tyroc ex Graff.

Dico 8. Solutio Decimarum tollitur consuetudine legitimè præscripta. Est autem talis, quando longissimo tempore, cujus initii non exstat memoria, consueverunt non solvi. Lessius apud Moscic. docet sufficere quadraginta annos, etiam sine titulo. Idem docet Makovius l. c. q. 6. a. 1. coroll: 3 & addit ex Covarr & Barb. quando dubium est cui Ecclesiæ decimæ ex certis rebus sint solvendæ, sufficit decennalis consuetudo.

Dico 9. Solutio decimarum tollitur etiam præscriptione, si hæc concurrunt, scil: bona fides, determinatum tempus, v. g. si adsit titulus, quadraginta annorum, sine quo requiritur tẽpus immemorabile. Makovius l. c. coroll. 4. ex Covarr. & Gutierez. Scias præscriptionem & consuetudinem in hoc discriminari, quod hâc, communitati jus acquiratur, præscriptione, etiam privatæ personæ.

Dico 10. Valet, & licet hæc compositio inter Ecclesiasticos, scilicet ut decimæ debitæ uni Ecclesiæ, solvantur, deinde alteri Ecclesiæ, modò causa per Episcopum cognoscatur, & ipse consentiat. Aliàs remotâ authoritate Episcopi, hæc compositio tantùm valebit pro vita componentium. Barbosa Lib. 3. de jure universo c. 26. §. 4. quem sequitur Makovius.

Dico 11. Solus Summus Pontifex eximit à solutione decimarum Non ergo Episcopus. cùm decimæ fuerint assignatæ à Summo Pontifice singulis Ecclesiis, ut habent jura, inferior autem non potest eximere aliquem à lege Superioris.

Ex his intellige, solutionem decimarum cessare, consuetudine, præscriptione, compositione & exemptione seu privilegio. adde & compensatione.

DISTINCTIO XXXVI.

Notantur aliqua, pro faciliori notitia Casuum de restitutione.

Nota 1. Iustitia est Perpetua & constans voluntas jus suum unicuiq; tribuens. S. Th 2. 2. q. 58. a. 1. dividitur in legalem, distributivam, & commutativam, *legalis* est illa, quâ damus bono communi, quod suum est & sibi debitum. v. g.

v. g. inimicus facit incurſum contra civitatem, erunt omnes cives obligati ad ſuſcipienda arma propter juſtitiam legalem, reſpectu boni communis. Iuſtitia diſtributiva eſt, quâ damus vnicuiq; debitum ſecundùm merita. v. g. duo vel tres concurrunt, pro aliqua dignitate obtinenda. ratione juſtitiæ diſtributivæ oritur obligatio conferendi digniori. ſcias quod major dignitas unius præ alio, non tantùm ſumatur à ſcientia, ſed etiam ab aliis circumſtantiis, v. g. probitate morum. &c quorum notitia cuilibet homini prudenti relinquitur. Commutativa eſt, quâ damus unicuiq; ſuum, non ſecundùm merita, ſed ſecundùm æqualitatem rei ad rem, ut patet in emptione & venditione.

Nota 2. Reſtitutio eſt redditio rei alienæ Domino ſuo, ad quem ſpectat, ad hanc tenemur regulariter ſub mortali, niſi paruitas materiæ, vel alia cauſa excuſet, ut patebit ex dicendis, ex triplici capite ſecundùm Salazar & alios oritur obligatio reſtituendi. *primò*, ratione rei acceptæ. *ſecundò*, ratione injuſtæ acceptionis ſeu actionis. *tertiò*, ratione utriuſque. Obligatio ratione rei acceptæ, v. g. habeo rem alienam ad tempus, quo elapſo teneor eam reddere. ratione injuſtæ acceptionis, quando alium damnifico, nihil ſibi retinendo, v. g. dum comburo domum. ratione utriuſq;, quando rem alenam detineo damnificando. ut in furto.

Nota 3. Caſus reſtitutionis reducuntur ad ſequentes verſus.

Quis, Cui, Quod, Quantum, vel vbi. Quo tempore, Quovè.
Ordine, ſive, modo, te rogo, mente notes.

Per particulam *Quis* denotatur, obligatus ad reſtitutionem. Vbi etiam comprehenduntur cooperatores ad damnum, contenti duobus verſibus, quorum explicationem vide diſt. 21. conc. 10. reliquarum particularum explicatio patebit, ex concluſionibus, ſequenti diſtinctione ponendis.

Nota 4. Fructus rei, ſunt in triplici differentia alii ſunt merè naturales, ut partus pecorum, alii mixti, ut fructus vinearum, alii merè induſtriales, ut lucrum ludo partum ex pecunia aliena, fructus merè induſtriales non ſunt obnoxii reſtitutioni, ſed naturales & mixti, ſubtractis expenſis &c. hinc qui furatur quinquaginta ducatos, cum quibus lucratur alios quinquaginta, poteſt retinere hos quinquaginta lucro habitos. debet tamen reſtituere quinquaginta furto ablatos.

Nota 5. Triplex aſſignatur culpa ex qua oritur obligatio reſtituendi, lata, levis, & leviſſima. *lata* dicitur illa quam communiter homines ſupinè negligentes committunt. *levis eſt*, dum homo, non facit diligentiam, quam homines mediocriter diligentes faciunt. *leviſſima eſt*, dum homo non facit diligentiam, quam homines ſuis rebus benè invigilantes faciunt. latæ culpæ exemplum eſt ejus, qui in porta domus, vel extra domum, librum ſibi commodatum relinquit: levis culpæ exemplum eſt ejus, qui in cubiculo librum relinquit, ſed oſtio aperto, tandem exemplum culpæ leviſſimæ eſt, ſi relinquit librum in cubiculo clauſo, ſed non abſerato. vide Navarr. in manuali C. 17. n. 178. Dela-Cruz de reſtit c. 6.

Nota 6. Differentia legis pœnalis à præceptiva eſt hæc, quòd pœna per legem pœnalem poſita, non incurratur, uſq; dum feratur ſententia per judicem. ſe-

 cundùm

secundùm Gloſſam in C. fraternitatis. Exemplum legis præceptivæ, ſit hoc. Mandat Rex Poloniæ, ne ſal tranſvehatur in Sileſiam, niſi priùs tantùm pro tanto in teloneis exhibeatur. nihilominus aurigæ ſine taxa exhibita tranſvehunt, & ſic toties, quoties ad reſtitutionem obligantur Exemplum legis pœnalis, ſit hoc. Rex Poloniæ vult ne triticum (ſub periculo amiſſionis) Dantiſcum per Viſtulam deſcendat. qui contra hanc legem faceret, nec peccaret mortaliter, nec Regi quicquam deberet, ante ſententiam Iudicis. Secundùm Henricum de Gandavo relatum ab Armilla V, Conſtitutionum 7. & Fernandez p 4. de peccatis Mercatorum num. 3. Cæterum, qui tranſgreditur legem pœnalem, in gravioribus caſibus, quos recenſui diſt: 20. Conclus. ultimâ, non excuſatur à peccato mortali. Ita Armilla. quia facit notabiliter contra charitatem ſui ipſius V. dicenda in 4. d. 23. conc. 1.

DISTINCTIO XXXVII.

Reſolvuntur caſus circa reſtitutionem.

DIco 1. Dum pœnitens ſe accuſat præbuiſſe conſilium, vel mandâſſe, aut inſtigâſſe furem ad furandum, interroget Confeſſarius, an ratione ſui conſilii, vel mandati fur ſit furatus? qui ſi reſpondet, ſe neſcire animum furis, mandet Confeſſarius tali, quatenus interroget furem, an ſine ſuo conſilio furatus fuiſſet. qui ſi reſpondet, quod non fuiſſet furatus, obligabitur conſilium dans ad reſtitutionem. Si verò fur affirmativè reſpondet, ſcilicet, quòd ſine ſuo conſilio, furatus fuiſſet. non obligabitur conſilium dans ad reſtitutionem, quòd ſi ſub dubio fur reſpondet, videlicet, ſe neſcire, quid feciſſet, conſilium dans non obligabitur ad reſtitutionem. quia tunc melior eſt conditio poſſidentis. attamen probabiliter putans, ex ſuo conſilio damnum ſecutum tenetur ad reſtitutionem ſecundum D. Thomam relatum in ſumma Dianæ V. reſtituere n. 14.

Dico 2. Qui concurrit ad conſumendam rem furto ablatam, & hoc bonâ fide fecit, id eſt neſcivit rem furto ablatam, ad nihil tenetur, niſi in quo factus eſt ditior. hoc eſt, ſi non fuiſſet in convivio, ex malè partis parato, conſumpſiſſet domi imperialem, hunc tenetur reſtituere. Si autem malâ fide fecit, valorem partis à ſe conſumptæ reſtituere tenetur.

Dico 3. Quando multi ſimul furantur, ſi unus abſq; alio non feciſſet vel non potuiſſet, omnes in ſolidum tenentur, id eſt quilibet eorum ad totum damnum tenetur. aliàs non. Sylv. apud Corr: ratio primæ partis, quia quilibet concurrit ad totum damnum. ratio ſecundæ partis, quia durum videtur, aliquem ad reſtitutionem teneri illius rei, quam alter acceperat ſuâ ſponte, abſq; auxilio, conſilio & quocunque impulſu alieno.

Dico 4. Quando plures ſpoliant Vrbem, ſupremus dux tenetur ad totum damnum, ſi nullus reſtituat, alii officiales tenentur ad damnum per ſuos milites illatum, ſi milites non reſtituant milites pariculares, tantùm quantùm quilibet ſuſtulit

ſtulit

stulit eorum, licèt alii non restituant nam licèt unus vel alter deficeret, damnum tamen inferretur. Ita Bonac quo ad omnes partes citans alios, de restit. disp. 1. q. 2. punc. 10. Hæc ex mente Bonac. recensentis prædictos, non in totum damnum influere.

Dico 5. Videns v. g. domum proximi incendi furtivè & aliàs scit si clamaret, impediret incendium, si non est custos civitatis, non tenetur ad damni restitutionem. cùm talis solùm peccet mortaliter contra charitatem, & non contra justitiam.

Dico 6. Ratione vitæ non potest dari compensatio æqualis. cùm vita ablata, & membrum mutilatum restitui nequeat Occidens ergo, solùm ad damna obligabitur resarcienda. quomodo autem, & qualiter, judicio prudentis relinquitur, secundùm diversitatem casuum.

Adverte. pœna capitis quæ à judice imponitur pro homicidio non compensat damnum illatum vxori & filiis.. Sanchez relatus in summa Dianæ v. restituere. quia non est actus justitiæ commutativæ in satisfactionem partis, sed justitiæ legalis in satisfactionem Reipublicæ, & terrorem aliorum. hoc tamen intellige cum Lessio, si hæredes exigant talem satisfactionem, quòd honesti, non solent ut ponderat hic Author.

Dico 7. Possessor bonæ fidei, postquam resciverit dominum rei tenetur eam restituere si extat si res periit ad nihil tenetur. Item si extant fructus naturales, aut mixti tenetur restituere, sublatis expensis & laboribus. Si non extant, tenetur restituere id, in quo factus est ditior. Si non extant fructus, nec factus inde ditior, ad nihil tenetur, si nec ipsa res extat. At possessor malæ fidei tenetur rem & fructus restituere, subtractis expensis, sive extent fructus sive non extent. & præterea tenetur integrum damnum resarcire. quod ex illius injusta actione alius est passus.

Dico 8. Qui habuit equum à latrone bonâ fide, putans latronem esse verum dominum, & illum detinuit per unum annum, & lucratus est centum, postea rescivit equum fuisse raptum, non tenetur nisi equum Domino restituere. hoc tamen intellige, si consumpsit omnes fructus, & in nullo factus est ditior. Si verò extat aliqua pars fructuum, vel aliquid, quo ex illis factus est ditior, tenetur ad illam sublatis expensis &c. hæc conclusio sequitur ex præcedenti.

Hinc infertur, quòd emens bonâ fide equum, equitando bonâ fide in eo per spatium unius anni, qui si alias pedester incessisset, non tenetur ad restitutionem sumptuum, quos in utendo alio equo insumpsisset. quia in nullo factus ditior.

Dico 9. Qui bonâ fide emit rem furto ablatam, si postea resciat esse furto ablatam, & aliàs videat non posse aliter pretium recuperare, potest rescindere contractum cum latrone, etsi sciat hunc non redditurum. Sylv. Navar. & alii. nam tunc non cooperatur latroni, sed ponit rem in statu in quo invenit. Quòd si aliâ viâ potest recuperare pretium, verisimile est, quòd ex justitia teneatur eam reddere vero Domino. aliàs (ait M. Bannes) cooperatur latroni. Sed quid dicendum, si emat

si emat rem à latrone ut eam det vero Domino? respondeo, quòd possit exigere pretium pro ea. nam ex bono opere, non debet reportare damnum.

Dico 10. Fur, nō solùm tenetur reddere equū sed & pretiū eius, si mortuus (nisi eodem modo mortuus fuisset apud Dominum) & præterea tenetur resarcire damnū, quod passus est Dominus equi, & reddere fructus perceptos, sublatis expensis. sive extent sive non extent. *ex quo habes* quòd possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis. v. g. Petrus habet equum, quo frequēter lucratur florenum, & sic hâc pecuniâ se sustentat, ac agrum elaborat. qui ergo equum Petri malâ fide retineret, obligaretur ad restitutionem omnium horum.

Dico 11. Turpe lucrum non est restituendum, nisi injustè accipiatur. dicitur autem turpe lucrum, quod habetur ex actione mala. Itaq; si quis accipiat pecuniam ad occidendum hominem, & occidat, potest illam retinere, quia vendidit operam suam licèt malam. tenetur tamen ad damnum, quod sequitur ex morte occisi. tenetur etiam ante adimpletam conditionem rescindere contractum, pretio restituto, aut cum obligatione restituendi. item Iudex potest retinere pretium, pro ferenda sententia iniqua, quod accepit quia vendidit operam suam, licèt malam. tenetur tamen ad restitutionem damni illati, per sententiam iniquam. hoc totum colligitur ex Ioan. Corr. p. 1. Casuum q. 100. Cæterùm non potest Iudex retinere pretium, pro ferenda sententia justa, quia ex justitia tenebatur talem sententiam ferre. Vnde si vendat aliquis id, quod ex justitia tenetur facere, & gratis, malè vendit & sic non potest facere pretium suum, & tenetur restituere, nisi alius remittat restitutionem.

Dico 12. Depositarius restituet depositum, etiamsi pereat sine culpa mortali, vel veniali, modò pereat de lata culpa. Communis apud Dela-Cruz, qui refert D. Thomam. non tamen tenetur restituere de levi aut levissima culpa, ut probat Corrad. p. 1. in addit. ad q. 100. Cujus ratio inter alias. nam depositum accipitur in gratiam & utilitatem illius tantùm, qui deposuit, unde absurdum esset gravare depositarium, ut restituat ex levi vel levissima culpa. Vide Notan. 5. Vide etiam dicta in 4. d. 24. conc. 3.

Dico 13. Commodatarius qui accepit commodatum in suam solùm utilitatem, si pereat commodatum ex sua culpa, quàmvis levissima tenetur ad restitutionem. Cajet. Bannez, Sylv. Adrianus &c. quos sequitur Dela-Cruz nam accepit rem in suam solùm utilitatem, non tamen tenetur commodatarius restituere commodatum, si pereat casu fortuito. Michael Salonius.

Dico 14. Conductor, qui accepit rem in suam & locantis vtilitatem, si de sua levi culpa pereat, tenetur restituere, pro hac citat Dela-Cruz Cōmunem Thomistarum. nam locatio fit in utilitatem conducentis & conductoris. Sed depositarius, qui accepit rem in solam utilitatem domini, tenetur solùm de lata culpa, & commodatarius, qui accepit rem in suam solûm vtilitatem, tenetur de culpa levissima. Ergo conductor tenetur de culpa media. cùm utilitas sit communis, scilicet conducenti & conductori.

Dico

Dico 15. Dum alicui eodem die datur pecunia mutua & commodatur liber, & statim per latrones spoliatur utroque, tenetur ad restitutionem pecuniæ, non autem libri, quia pecuniæ erat dominus, non autem libri, res autem perit domino, Vide Distinct 34. Nota. secundum.

Dico 16. Dum aliquis utitur deposito vel locato ad alios fines, quàm fuerit datum à Domino, & res ea de causa pereat, tenetur ad restitutionem, quia excessit modum depositi, & locati. & similiter, si res deterioratur.

Dico 17. Pignus si pereat culpâ habentis pignus, est obligatio restituendi. Quòd si pignus injustè detineatur, & pereat quocunq; modo, erit obligatio restituendi, nisi etiam periisset, si fuisset restitutũ domino. quod sane intelligendũ,

Dico 18. Vsurarius tenetur res restituere per usuras acquisitas, proprio domino. nec satisfacit eas dando pauperibus. Idem dic de rebus aliter, quàm per usuram comparatis. non enim sufficit eas erogare in pias causas, aliàs proprius dominus damnificaretur. Et hoc docent Doctores, explicantes particulam Cui, in prædictis versibus positam: aliter dicendum, si proprius dominus non inveniatur neq; hæredes, tunc enim erogari debent in pias causas.

Dico 19. Vsurariorum complices, quod idem de complicibus latronum & furum dicendum (usurarii enim à furibus & latronibus in modo tantùm differunt) tenentur ad restitutionem, sicut & ipsi usurarii. Quantùm verò ad comedentes ex usuris, oportet distinguere. aut enim hoc bonâ vel mala fide faciunt. circa quod observanda sunt ea, quæ diximus concl. 2.

Dico 20. Hæredes usurariorum, ad restitutionem, nisi ipsimet Vsurarii restituerint, obligantur. Qui si dicant, se non posse, quia sic periculo famæ & honoris se exponunt, respondendum eis, quòd super re injustè acquisita & ad se devolutâ dominium non habeant. Vnde tenentur sub mortali quærere modum restituendi.

Dico 21. Ex defraudatione vectigalium oritur obligatio restituendi etiam in conscientia, si vectigalia sint justa, & fraudulenter non solvantur. debent autem censeri justa à subditis, nisi certò constet de eorum injustitia. Qui verò fraudat vectigalia non tenetur ad restitutionem pœnæ, nisi post sententiam judicis. Similiter ministri si permittant injustè defraudari vectigalia tenentur ad restitutionem damni domino illati, nisi fraudator restituat, non autem ad restitutionem pœnæ, quam per talem negligentiam incurrunt. Vide *Notan.* sextum.

Dico 22. Sunt etiam restituenda bona inventa, quæ habent dominum, sed ignoratur & quidem proprio domino debent restitui, qui diligenter inquiri debet, fit autem diligens inquisitio secundùm Salazar, quando per publicas plateas, vel cathedras Ecclesiarum res inventa promulgatur, quòd si præmissâ diligenti ad dominum inquirendum inquisitione, hic non inveniatur probabilis est aliquorum apud Fernandez sententia, inventorem res inventas tutò in conscientia, retinere posse. Sanctus Thomas in oppositum citatus, explicatur à De la Cruz. Si dominus rei inveniatur, potest inventor non solùm aliquid petere pro labore, &

expenſis, ſi fortè aliquæ fuerint in re inventa conſervanda, & quærendo domino exhibitæ, ſed etiam poteſt aliquid accipere, & petere in præmium, ſine violentia tamen & fraude. Adverte. Merces, ad vitam ſalvandam in mare projectæ, non poſſunt retineri, eſtque excommunicatio in Bulla Cœnæ Domini, contra eas non reſtituentes.

Dico 23. Theſaurus cujus Dominus neſcitur, ſi invenitur in proprio fundo, eſt totus inventoris, ſi in alieno fundo invenitur à caſu, medietas una erit Domini fundi, altera inventoris, ſecundùm S. Thom. 2. 2. q. *66.* a. *5.* ad *2.* Si ſtudiosè quærendo invenitur cum licentia domini donantis quia ipſe non vult quærere, totus eſt inventoris ut docet Povodovius. Si verò quæritur contra vel præter voluntatem Domini, totus erit Domini. Bonac. cum aliis. Quod ſi ſciens in fundo eſſe theſaurum fundum emat, theſaurus eſt emptoris. Bonac. cum multis aliis, & colligitur ex Matt. 13. & S. Th. citato loco. Conſuetudo, quod theſauri ſint principum, non obligat in conſcientia. quia propter metum dominorum ſervatur, nec moribus utentium fuit aliquando approbata, niſi violenter. Armilla Sylv. Sot. &c. ſecus dicendū eſt, ſi gravis Reipublicæ neceſſitas urget, vel vt docet Povodovius, ſi alicubi lex aut conſuetudo conſona, aliter præſcribit.

Dico 24. Tenemur reſtituere ſtatim ac poſſumus, D. Th. 2. 2. q. 62. a. 8. nam cum Præceptum reſtituendi ut docet D. Th. ad 1. includat iſtam negationem, non retineas alienum, obligat ſemper & pro ſemper. quod ſi non potes ſtatim reſtituere, habeas animum reſtituendi pro tempore, quo poteris. & dum habes animum contrarium, es in actuali peccato & explicabis in confeſſione notabile tempus, quo habuiſti talem animum, & quo poteras reſtituere,& nō reſtituiſti.

Dico 25. Quando aliquis tenetur ex bona fide, res determinanda eſt in favorem ejus, quantùm fieri poteſt. è contra verò, ſi tenetur ex mala fide, res determinanda eſt in favorem domini, cui debetur. v. g. fuit mihi datus equus hic Climontoviæ, quem bonâ fide poſſedi. & cum illo me tranſtuli Cracoviam. dum reſcio equum eſſe alicujus commorantis Climontoviæ, ſatis eſt ſi reſtituam eum Cracoviæ, ſcribendo ad dominum, ut ſuis expenſis mittat ad recipiendum eum. Si verò mala fide habui equum, teneor eum meis expenſis remittere Climontoviam. Quòd ſi in via periit, adhuc teneor eum reſtituere domino, ita ut ille nullum inde patiatur novum damnum, & novas expenſas. Si tamen quantitas rei tam modica eſſet, ut mittendo eam ad dominum quatuor vicibus plus per viam conſumi deberet, tunc res aliter ſecundùm prudens judicium, & attentis circumſtantiis diſponenda foret.

Dico 26. Quantùm ad ordinem debitorum. Mortuo aliquo *primò,* debent ſolvi debita exiſtentia in propria ſpecie, juſtè aut injuſtè contracta. Cajet. & ſermo eſt de rebus emptis nondum ſolutis, exiſtentibus in propria ſpecie. *ſecundò,* ſolvendæ ſunt expenſæ funeris. Sylv. Scias, legata non eſſe debitis præferenda. Dela Cruz. *Tertiò,* debita certa incertis præferenda. quæ autem inter certa priùs ſolvenda vide Dela Cruz & alios. accedit, quod hæc res ſit judicanda ſecundùm varias circumſtantias, & prudens Confeſſarii, vel alterius judicium.

Dico

Dico 27. Quando debita ſunt ejuſdem rationis, antiquiora non ſunt præferenda, ſed dividantur debitoris bona, ſingulis creditoribus ſecundùm proportionem debiti cujuſq;. & ſic debitor non debet integrè uni creditorum ſolvere, ſi non habet bona, quibus aliis ſolvat, aliàs integra ſolutio debiti unius, revocatur l. 1. & 2. ff. quæ in fraudem creditorum. Sed hoc non obſtante docet Sylv. poſſe debitorem ſecurè in conſcientia, ſolvere integrè pauperi, etſi in foro externo, talis ſolutio revocetur. Dixi. *debita eiuſdem rationis*. nam utrum debita illicitè contracta, ſint præferenda, debitis licitè contractis, & priùs ſolvenda? affirmat Medina negat Cajet.

Dico 28. Poteſt interdum aliquis excuſari à reſtitutione propter impotentiam, quia non habet niſi neceſſaria, ad ſuæ familiæ ſuſtentationem. Semper tamen habet obligationem reſtituendi, quàm primò poterit. neq;, tenetur cadere de ſuo ſtatu, niſi talem ſtatum ex furtis & injuſtis acceptionibus haberet. tenetur tamen de ſuo ſtatu tollere ſuperflua & non neceſſaria parcè vivendo, ad hoc ut debita paulatim exoluantur, alioqui non eſt tutus in conſcientia. *Secundò*, poteſt aliquis excuſari à reſtitutione propter liberam remiſſionem creditoris. *Tertiò*, propter compenſationem, quia aliundè ipſe eſt creditor (hoc eſt debetur ipſi aliquid à ſuo creditore) debet autem creditum eſſe certum, ſicut certum eſt debitum. nam ſi eſſet dubium, non poſſet ſibi compenſare, niſi pro qualitate dubii. debet autem tacita compenſatio, ſemper fieri cum cautela neceſaria, ne alibi us bis patiatur detrimentum, putans ſe eſſe debitorem poſt factam compenſationem. & regulariter hæc tacita compenſatio debet fieri, quando homo non poteſt facilè ſuum recuperare, & ad vitandas longas lites, item inimicitias & moleſtias.

Dico 29. Bona fortunæ inferioris non debent reſtitui cum damno fortunæ ſuperioris v. g. bona corporis non debent ſolvi cum notabili detrimento honoris, neq; honor cū detrimēto vitæ, hujus exēpla Vide apud Salazar de reſt. circa finē.

Adverte: dum ceſſat periculum vitæ, tenetur læſor famæ dictum adversùs alium revocare.

Dico 30. Impediens aliquem à conſecutione cujuſcunq; boni, modis licitis, ad nullam reſtitutionem tenetur. Impediens verò injuſtè eum, qui jam conſecutus, tenetur ad æquale. Si verò propè erat ut aſſequeretur, vel quia veriſimile erat ipſum aſſecuturum, tenetur compenſare ad arbitrium prudentis viri, ſecundùm quod magis vel minùs videbatur conſecuturus. Armilla quoad omnes partes. quia quilibet habet jus ne injuſtè impediatur.

DISTINCTIO XXXVIII.

De reſtitutione furtorum minutorum.

Dico 1. Qui pluribus per furta minuta furatur ad reſtitutionem ſub peccato mortali tenetur. eſt contra nonnullos qui abſolutè docent modica furta nunquam coaleſcere ad conſtituendum mortale, & inducendum onus reſtitutionis, niſi

nisi procedant ab eadem voluntate continuata pro nobis tamen stat Innoc. XI. qui sequentem damnat *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque, sit magna summa totalis.*

Dico 2. Qui nequit ijs, à quibus accepit commodè restituere, vel quòd ignorentur, vel quia executio restitutionis moraliter impossibilis, injungendum damnificatori à Confessario, ut det in pauperes vel alia pia opera. hoc enim videtur maximè consentaneum voluntati dominorum, à quibus subtractum est. Lessius & alii comm. Nomine pauperum veniunt, qui egent, necessariis ad decentem statum, item secundùm Navar. pia opera.

Dico 3. Ad peccatum mortale major quantitas requiritur, quando quis eidem magnis intervallis per pauca furta accipit, & non ex industria, sed per occasionem, quàm dum breviter, vel de industria vel simul accipit. Vndè dato quod is mortaliter peccet & ad restitutionem teneatur, qui ab eodem paupere rustico decem grossos simul accipit, vel per partes de industria, requirentur 15. vel viginti, ut quis teneatur restituere, magnis intervallis ablatos. Lessius ex Navarro. Ex quo patet, quando eidem magnis intervallis per furta minuta res aufertur, vel duplo major quantitas ad peccatum mortale requiritur, vel saltem medietatem excedens illam, quæ alias requiritur ad peccatum mortale, quando simul vel parvis intervallis accipitur.

Petes. Quandonam furta minuta coalescant in vnum moraliter, ut quis ad restitutionem teneatur? ℟. quando non notabiliter magnum intervallum intercedit, intervallum notabiliter magnum, secundùm Fillucium & Summam Dianæ, est unius mensis vel dimidii.

Dico 4. Ad peccatum mortale, major quantitas requiritur in furtis filiorum à parentibus, juxta superius dicta, quàm famulorum à Dominis, & in furtis famulorum, quam exterorum, Lessius.

Dico 5. Ad peccatum mortale major quantitas requiritur, quando quis à diversis minuta furatur, quàm quando ab uno, quia diversi illi parum læduntur. nec ita curant rerum minutarum restitutionem. Less.

Dico 6. Qui post notabilem quantitatem, per furta minuta factam, addit alia furta minuta, secundùm Bonac. & alios, nova peccata mortalia committit, quia revocat implicitè voluntatem retinendi rem alienam in notabili quantitate. Si tamen post ablatam per furta minuta notabilem quantitatem, doleret de furto, & de novo furaretur quid minutum, non peccaret mortaliter, quia furtum sequens discontinuaretur per pœnitentiam à præteritis. Bonacina.

MONITIO.

Confessarii, non facilè in furtis minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent, sed pro conditione personarum semper aliquam restitutionem imponant, quod fiat vel reddendo eandem rem, si extat. vel ejusdem speciei, vel pretium rei. vel compensando majori obsequio. vel si creditoribus

non

non possunt, conferendo pauperibus. hâc enim ratione magis terrentur, quàm aliis pœnitentiis. alioquin fiunt ad hujusmodi furtula faciliores, & ad majora gradum faciunt. Less. Lib. 2. c. 12. duc. 8.

Circa Octauum Præceptum.

HOc Præcepto prohibetur omne peccatum linguæ, ut est falsum testimonium, mendacium, detractio, contumelia, convitium, murmuratio, susurratio, derisio, maledictio. &c. prohibetur etiam cooperatio ad hæc non solùm enim peccant, qui falsum testificantur, mentiuntur, detrahunt &c. sed & qui consentiunt, complacent &c. huc reducitur judicium temerarium, suspicio &c. Item prohibentur peccata in judicio commissa, sed de his v. 4. d. 14. & seq.

DISTINCTIO XXXIX.

De falso testimonio.

NOta. Falsum testimonium est testificatio, seu assertio falsi in præjudicium proximi. includit in se mendacium, quod est assertio falsi scienter, ad decipiendum proximum. & licet dicatur verum si putatur falsum, adhuc mendacium est. dividitur in jocosum officiosum, & perniciosum. *jocosum* est ob delectationem, *officiosum* ob utilitatem, *perniciosum* in nocumentum proximi.

Dico 1. Dum quis in judicio testificatur falsum, primò peccat peccato mendacii. Secundò peccato sacrilegii, si adhibuit juramentum, tertiò peccato injustitiæ, nisi excusetur parvitate materiæ, vel alia causa. & tenetur ad restitutionem, non tamen cum majori damno quam sit illud, quod patitur proximus ex falso testimonio, ut colligo ex Less. Lib. 2. Concl. 30. d. 7. tenetur tamen cum æquali. v. g. ex falso testimonio Pauli, aliquis mittendus est ad triremes, Paulus cum periculo ejusdem pœnæ tenetur retractare, non tamen cum periculo vitæ, nisi propter testimonium Pauli alter esset in eodem periculo vitæ, ut docui cum communi tractans de homicidio. Quòd si non retractat peccat, & tenetur ad damna, quæ patitur ille in triremibus, & sua familia. Quòd si absque testimonio Pauli ad triremes fuisset, Paulus quidem peccavit, sed non tenetur ad restitutionem v. g. si fuit vltimus testis non necessarius. hoc benè pondera, ille verò nec ad restitutionem tenetur, nec cum periculo vitæ revocare, qui ex ignorantia, vel alia causa non peccavit mortaliter, ferendo falsum testimonium Less. cit. cum Cajet. tenetur tamen quantùm potest obviare malo.

Dico 2. Quando multi testes concurrunt per modum vnius, omnes tenentur ad restitutionem, etiamsi media pars sufficisset ad condemnationem, non enim major ratio unius, quàm alterius. doctrinam utriusq; conclusionis applica etiam ad testes extra judicium, tales enim præterquam quod peccent, tenentur ad restitutionem ob damna, quæ sunt consecuta.

DISTINCTIO XL.

De Detractione, murmuratione & susurratione.

NOta 1. Detractio est *denigratio famæ alterius, per verba in ejus absentia.* Differt à contumelia, quia contumeliosus per manifesta verba & in faciem removet alterius honorem. hinc contumelia est *inhonoratio alicujus per verba, aut signa denotantia malum culpæ.* ut si alicui dicatur fur, mendax, &c. differt à convitio, quia per convitium repræsentantur mala sive pœnæ sive culpæ v. g. dico alicui es cæcus, &c. est convitium. Item si dico es fur, est etiam convitium, sed non tantùm secundùm D. Th. 2. 2. q 72. a. 1. quando verò dicitur defectus minorationis seu indigentiæ, est improperium, v. g, si dicitur, ego te de fame eripui. Murmuratio est *quædam querela cum impatientia, in his, quæ homo patienter ferre deberet.* Susurratio est; *quâ quis obloquendo, amicitiam inter aliquos tollit.* his est affinis derisio, *quâ quis alterius malum vel defectum in ludum vel risum ponit ut erubescat.* potest fieri verbo, cachinno, naso &c.

Nota 2. Detractio multipliciter fieri potest, vel quia detrahens falsum imponit, vel auget peccatum, vel revelat verum occultum verbis vel scriptis vel signis, vel asserit res bonas malâ intentione factas, vel negat bonum alterius, vel malitiosè tacet, vel diminutivè fatetur. Armilla ex S. Th. qui modi detractionis sequentibus versibus exprimuntur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatq; remissè.

Dico 1. Detractiones sunt eiusdem speciei, licet sint circa diversas res. Sà. hinc non tenemur in confessione explicare circa quam rem detraximus, nisi notabiliter aggravaret. quod tunc fieri puto, quando magnæ authoritatis viri grande crimen injustè revelatur. Ratione alicujus circumstantiæ fieri potest, ut detractiones specie distinguantur. ut patet in detractione quando falsum imponitur. in detractione contra Sacerdotem, quæ habet adjunctam malitiam contra reverentiam Sacerdotibus debitam. In detractione contra patrem, quæ habet malitiam contra pietatem parentibus debitam. in detractione facta ex odio, quæ habet malitiam odii. Bonac. hæc applica ad contumeliam, convitium. &c.

Dico 2. Non est detractio, si crimen proximi est publicum. potest tamen aliquando esse contra charitatem. si dicatur ex contemptu & vilipendio proximi, & ex aliquo interno odio.

Dico 3. Qui sibi complacet in detractione alterius, peccat mortaliter contra charitatem. & idem dic de vidente, damnum secuturum ex alterius detractione, si non resistit, cùm possit. damnum commune secutum ex detractione est læsio famæ. Quòd si ad id ex officio tenetur, peccat contra justitiam non resistendo detractori, ut si sit prælatus detrahentis, vel ejus cui detrahitur. & sic restituet damna secuta, & qui inducit detrahentem, aut addit ei animum ad detrahendum, nam omnes isti sunt causæ morales talis damni. Dico

Dico 4. Narrare defectus naturales in anima aut corpore, ut esse parvi ingenii, aut esse cæcum &c. non est mortale. Item aperire defectus natalium, ut dicere aliquẽ natũ esse de adulterio, suppositâ veritate non est mortale, secundum Petrum Navarrum & alios, nisi proximus inde valde contemneretur, tandem non est mortale narrare in genere aliquem esse v. g. avarum, &c. quia hoc per se loquendo non sonat peccatum mortale, sed naturalem inclinationem, vel culpam venialem consequenter in his casibus, non est obligatio sub mortali ad restitutionem. *Adverte.* ex Bonac. si quis alteri in faciem dicat, quòd sit v. g. cæcus, ex adulterio natus &c. licèt hoc jam publicum sit, mortaliter peccat, quia graviter contumeliatur seu potius convitiatur, & restituere honorem, per ejusdem exhibitionem obligatur.

Dico 5. Si quis narrat quod audivit, asserens se nescire an ita sit, sed narrare quod audivit, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, si fides adhibeatur, & fama sit notabiliter læsa. Sotus, Bannez, & alii contra Cajet. Sylv. & alios, hæc 2. referuntur ad 2. p. conc. nam ad p. m. sufficit exponi periculo. Quòd verum est quàmvis ex levitate audientium talis procedat infamia, ut docet & probat Fernandez 1. p. c. 14. §. 4. attamen si sic narrans, non putat aliquomodo secuturam infamiam, teneo non obligandum ad restitutionem. Si tamen sine magna difficultate famam restituere posset, sub mortali teneretur.

Dico 6. Narrare crimen alicujus secretum, est peccatum mortale, & quia contra justiam oritur obligatio restituendi. quàmvis fiat Viro gravi & sub secreto. est contra Cajetanum, & alios, & ipse sic docui in primo cursu supra Decalogum d. 24. conc. 35. sic tamen tenet Soto Bannez, Philippus à Sanctissima Trinitate & est communior, quia ex hoc sequitur infamia, & fortè major quàm si aliis viris ordinariis diceretur potest tamen excusari, si hæc revelatio fiat in bonum delinquentis, vel in ordine ad bonum publicum, cum debitis circumstantiis.

Dico 7. Non est peccatum mortale, saltem contra justitiam, crimen alterius alicubi publicum, manifestare alibi, vbi nescitur. & sic nulla obligatio restituendi famam. pro hac Bonac. refert aliquos de rest. disp. 2. q. 4. puncto 6. & Diana p. 3. tract. 5. resol. 13. refert Facundez. præterea Bonac. & Diana eandem sequuntur. ratio est, quia delinquens per criminis publicitatem amisit jus in famam, consequenter manifestans crimen ejus publicum non facit illi injuriam, non peccat contra justitiam. tum quia consuetudine receptum est, ut delicta publica notentur, historiis commendentur, ubiq; promulgentur, & à quolibet perlegantur. Ergo signum est non esse peccatum contra justitiam, nec esse obligationem ad restitutionem, delictum in uno loco publicum referre alibi ubi nescitur. loquitur autem conclusio etiam de loco ad quem fama difficilè vel nunquam pervenisset, ut patet ex probatione. item loquitur conclusio de quacunq; publicitate. Pro quo sciendum, publicum dici potest dupliciter, scil: publicum publicitate juris, & publicitate facti. publicum publicitate juris est illud, de quo constat per ipsius rei confessionem in judicio, aut per testium depositionem, aut per judicis sententiam.

publicum publicitate facti eſt illud, quod in multorum præſentia eſt commiſſum, ut in foro publico, aut via publica. ad hoc reducitur famoſum, cujus fama ex ſuffi-cientibus indiciis orta innotuit majori parti viciniæ, vel oppidi &c quod autē ſci-tur à majori parte collegii vel congregationis, quæ decem v. g. Perſonis cōſtat, nō eſt abſolutè publicum, ſed ſolùm reſpectu illius congregationis, publicum enim ſimpliciter dicitur, quòd in tali loco, & cum talibus circumſtantiis factum fuit, ut facilè aliis innoteſcere potuerit. hoc ſumitur ex Fillucio apud Bonac. loco cit. ſci-as, publicum hic explicatum confundi cum notorio v. dicta in 3. d. 28.

Dixi *contra juſtitiam.* nam fieri poteſt, ut referre crimen alterius publicum, ubi neſcitur ſit mortale contra charitatem, ſi ex hac diffamatione ſequatur grave damnum, dedecus conſanguineorum &c. quia lege charitatis tenemur grave pro-ximi damnum impedire, dum poſſumus, nec cauſa adeſt permittendi illud *Ex quo patet.* Si quis perdat famam Sendomiriæ, & vadat Cracoviam, ibiq; honora-to fungatur officio, non peccat contra juſtitiam, nec eſt obligatio reſtituendi fa-mam prodendo talem, licèt propter hunc criminis detectionem removeatur ab officio. Bonac. referens alios, peccatur tamen contra charitatem.

Dico 8. Non eſt peccatum contra juſtitiam referre alicui delicta alterius propter quæ fuit aliàs infamatus, quàmvis nunc bonam famam acquiſierit bonis actionibus, modò referens non oſtendat. etiam nunc ipſum eſſe infamem quia non ſit injuria. quàmvis enim nunc bonam famam retineat, tamen ratione deli-cti aliàs perpetrati fuit infamis, & nunquam acquiſivit jus, ut dicatur probus pro eo tempore, quo fuit improbus. Bonac. cum aliis. hoc tamen ex circumſtantiis poteſt contra præceptum charitatis militare.

Dico 9. Peccatum occultè commiſſum, & injuſtâ revelatione vulgatum, eâ-que viâ publicum in uno loco, publicare magis ibidem, non eſt mortale, nec ta-liter publicantes tenentur ad reſtitutionem. Ita probabiliter Leſſ. ſecutus Magi-ſtrum Bannez relatum à Bonacina citato. quia publicitas tribuit licentiam loquen-di. oppoſitum docet Fernandez cum Bonacina & alii ab utroq; relati. Quare ſua-derem qui ſcit rem occultam injuſtâ revelatione vulgatam, à modo narradi ab-ſtineret.

Dico 10. Qui non poteſt aliter impedire detractionem, debet diſcedere, ſi commodè poteſt, vel ſermonem ad alia transferre, vel facetiam interponere, vel obſecrare ne de ea re agatur, vel vultum hilarem non præbere ſed triſtiorem, juxta illud Proverb. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam de-trahentis.* Ita Bonac. referens alios de reſtit. diſp 2. q. 4. puncto 11.

Dico 11. Dum ſolus adeſt, qui audit detrahentem, debet omnibus modis co-nari diſcedere, ſi alio modo ſcit non poſſe quicquam efficere, ne ſic manendo ſit detrahenti occaſio prolongandi detractionem à qua ceſſabit ſi auditore carebit. Dixi, *dum ſolus &c.* nam ſi plures adſunt, diſcedere non tenetur, modò non com-placeat, & ſciat alios certò permanſuros

Dico 12. Dum quis ſecundùm præcedentem concluſionem, bonâ fide audit detrahen-

detrahentem, caveat ne per hoc cui detrahitur bonum nomen apud se deterioretur, aliàs recedere obligaretur, si adhuc plura adverteret referenda à detrahente, vel ad minus, si hoc facere non potest, firmiter apud se protestetur, quòd infamatum in eadem reputatione sit conservaturus.

Dico 13 Personæ privatæ sæpiùs excusantur à mortali non obstando detractioni. Tum quia sæpè non speratur emendatio. tum quia audiens non debet in dubio præsumere de loquente malum, nisi habeat sufficientes conjecturas in contrarium, & cum ipse nesciat, an delictum quod ab alio narratur sit publicum vel occultum, & vtrum justè vel injustè narretur. fieri enim potest, ut id quod narratur sit publicum, justèq; narretur, & consequenter faciat injuriam narranti obstando, acsi corriperet de peccato, quod nescit peccatum. quod procedit si narrans non sit homo levis. Bonac. cit. Possunt adhuc personæ privatæ excusari à mortali non obstando detractioni, secundùm dicta de correctione fraterna.

Dico 14 Qui falsum crimen proximo imposuit, præter hoc, quod graviùs peccaverit quàm si tantùm verum occultum manifestasset, tenetur retractando dicere se falsum dixisse. immo jurare tenetur, si fides non adhibeatur. Nam tenetur famam proximi omni modo possibili restituere. Bannez & Soto.

Dico 15. Qui verum crimen, occultum tamen, revelavit, dicat secundùm D. Thomam 2 2. q 62. a. 2. ad 2. se malè dixisse, injustè diffamâsse. nam si impositio criminis credebatur, & retractatio est credenda, aliàs audiens à temeritate non excusaretur. vel laudet in illa materia, in qua infamavit, ut docet Mosc. cum Lessio v. g dicendo. hic homo tali virtute apud homines claret. nec mentitur, nam verè claret, cùm oppositum publicè non constet. Quòd si fama publicè læsa, dicat Prædicatoribus vel Parochis, ut suo nomine dictum retractent apud plebem secundùm Rodericum, quem citat & sequitur Fern. 1. p. c. 14. Sed quomodo honor à contumeliante & conviciante restituendus? ℞. *Primò* restitui potest amicà salutatione, ostensione majoris benevolentiæ. peculiari favore & honore. & talis modus sufficit superioribus, scilicet Prælatis, Dominis, Parentibus & Magistris, erga inferiores. Item Viro nobili & illustri erga plebeium. ℞. *Secundò* restituitur adhibendo ad mensam, dando locum honorificum. Qui modus sæpè sufficit inter eos qui sunt paris conditionis. *Tertiò* Petendo veniam, quo modo debent uti inferiores, erga superiores, & sæpè etiam æquales inter se, ut si læsus hanc satisfactionem justè exigat, nec plus ante sententiam judicis exhibendum. etiam pro summis injuriis & hoc moribus gentium præceptum esse, ait Lessius. Sciendum tamen, magis humilem veniæ petionem pro majori injuria exhibendam.

Dico 16. Qui diffamavit apud paucos, per quos postea est crimen divulgatum apud plures, si hi pauci, quibus dixit erant Viri prudentes & timorati, licèt postea ex incuria rem diuulgauerint, apud hos tantùm detractor tenetur retractare, & famam restituere. quia sequens damnum per accidens fuit secutum, & ipsi qui imprudenter divulgârunt illud tenentur ad integrum resarcire. Si verò illi

N pauci

pauci erant homines leves, tenetur retractare apud omnes. quia damnum prævisum, subsecutum fuit. Toletus apud Fernand citatum.

Dico 17. Murmuratio committitur contra Deum, quando displicet alicui, quòd v. g. non det prosperitatem, vel mittat tribulationem, vel non regat mundum modo nostro. Committitur contra homines, quando quis conqueritur de re justa, sed non debito modo, vel non apud eum, cujus interest providere. & potest esse peccatum mortale, v. g. quando murmuratio fit contra aliquod præceptum, vel propter scandalum. Armilla coincidit cum detractione. quamvis nomine murmurationis minùs significetur.

Dico 18. Susurratio ex suo genere est peccatum mortale. quia tendit ad nocumentum proximi, non qualecunque, sed graue. videlicet tollere amicitiam, quod est bonum melius honore & famâ. ideò gravius est detractione & contumelia, ex S. Th. 2. 2. q. 74 a. 4. Licet quis non intendat tollere amicitiam, si tamen incautè loquitur talia, quæ ex natura sua sufficiunt tollere amicitiam, & facilè potest advertere, quid ex talibus verbis soleat sequi nõ excusatur à mortali. Armilla.

DISTINCTIO XLI.

De Maledictione.

NOta Maledictio est, quâ quis imprecatur alicui cum desiderio aliquod malum, v. g. mortem, infamiam, infirmitatem, dæmones; morbum caducum, ut in Polonia &c.

Dico 1. Maledicere creaturas irrationales simpliciter absq; alia relatione est verbum ociosum. sed maledicere relatas ad Deum, vel ad bona hominis est peccatum mortale, perindè ac si his malediceretur. maledicere verò creaturas irrationales prout referuntur ad aliquod malum, prout Iob maledixit diei suæ, non est peccatum. aliàs pius Iob sic maledicendo peccasset, quod non est dicendũ.

Dico 2. Quando maledictiones fiunt verbo, sed non animo nocendi, vel ex animi subreptione, est peccatum veniale ex imperfectione actûs, nisi in illo parvo tempore, & in illa subita passione iræ, esset determinatus consensus, quia tunc esset mortale, quâmvis transacta irâ, nollet tale malũ. Armilla ex Cajet. in summa.

Dico 3. Maledictio morbi caduci in regno Poloniæ, plerumq; non est peccatum mortale. eò quòd vel non ex animo optetur, sed ex quadam patriæ consuetudine, vel non perpenditur gravitas morbi. quod locum habet maximè in rudibus, judico tamen, audiendo cultiores interrogãdos, an maledictio ex animo nocendi processerit. cùm hi ex vna parte, faciliùs gravitatem morbi perpendant.

Dico 4. Licet maledictiones per dæmones, in Polonia frequentes, non ex animo nocendi prolatæ, non sint peccatum mortale, talibus tamen ut hanc deformitatem videant, & eò faciliùs desistant, injungenda est aliqua devotio. v. g. vnum Ave Maria vel formatio Crucis, vel nominatio nominum IESVS MARIA, semel singulis diebus sinè obligatione tamen, ut taliter per talem parvu-

lam

lam devotionem, gratiam præservativam à tam deformi consuetudine impetrent.

Dico 5. Qui maledicit imprecando mortem, infamiam, paupertatem, &c. spectata authoritate D. Th. 2. 2. q. 76. a. 4. ad 2. item ratione Cajet. & Bannez: 2. 2. q. 35. a. 6. tenetur has maledictiones explicare. Sed quia opposita sententia ob authoritatem Bonac. Dianæ & Tamburini, suâ non caret probabilitate. ideo suaderem circa explicationem specierum maledictionis, pœnitentes non esse molestandos.

Dico 6. Licet interdum verba injuriosa contineant falsa mala, tamen non peccatur contra justitiam consideratis personis, locis & cõsuetudinib⁹ pravis. quia solent talia dici. non quia vera sint, aut judicentur ab aliis ut vera, sed ex usu neq; ex his sequitur infamia proximi. quia non datur illis fides. sed creduntur procedere ex aliquo malo animo, aut consuetudine prava. Sic sæpè excusantur à mortali, saltem contra iustiam, rustici, pueri & milites, nec tenentur ad restitutionem. sæpè tamen peccare possunt contra charitatem, juxta dispositionem animi qui si graviter attendendo motus externos, alium offendit tenetur reconciliari petendo veniam, aut ostendendo signa amicitiæ, aut quid simile. Sciendum tamen, si superiores in aliquo excesserunt, reprehendendo subditos, non tenentur petere veniam, sed alio modo reconciliari ostendendo signa benevolentiæ.

DISTINCTIO XLII.

De judicio temerario & suspicione.

NOta. Iudicium temerarium est, cùm quis absq; sufficienti fundamento judicat malum de proximo. Suspicio est, cum quis assentitur uni parti, cum incertitudine, & cum formidine alterius partis differt ab opinione. quia opinio in utramq; partem ferri potest. Suspicio verò fertur in deteriorem partem tria ad temerarium judicium concurrunt. deliberatè, sine sufficientibus indiciis, & sine formidine asserere, v. g. videtur Iuvenis in domo mulieris, vel loquens cum illa, & propter hoc tantùm judicatur peccâsse vel intendere peccare, temerariè judicatur. si detrahitur, obligatio, restituendi famam, oritur.

Dico 1. Vt Iudicium temerarium sit peccatum mortale, debet esse in gravi materia, per quam proximus graviter despicitur, & infamatur, etsi hæc nullum aut leve indicet peccatum, quare gravis materia censetur judicare de viro gravissimo esse mendacem, fatuum &c quàmvis hæc parvum, aut nullum indicent peccatum.

Dico 2. Non omne peccatum mortale est gravis materia in judicio temerario, sicut & in detractione. nam judicare de viro valde vanitati dedito quod sollicitet fœminam, aut exerceat aliud peccatum, de quo non valde curat, non est materia gravis judicii temerarii, sicut & detractionis.

Dico 3. Suspicio plenè deliberata in re gravi ex levibus indiciis, non est peccatum mortale, Armilla, Sotus & alii contra Bannez, Medinam & alios, &

colligitur ex Sancto Th: quodlibet 12. a. 34. ibi. *Suspicio est quid imperfectum in genere judicij, & ideò est imperfectus motus, & ideò non est mortale ex genere, quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale.*

Dico 4. Majora indicia requiruntur ad rectè judicandum, quàm ad suspicandum, & majora ad rectè suspicandum, quàm ad dubitandum. v. g. si vir fide dignus referat, se audiuisse à fide dignis, alium bonæ famæ furatum esse, poteris suspicari, non judicare. quia inniteris proximè tantùm fundamento probabili, quod est relatio seu testimonium. & licet sint fide digni, ex relatione aliquorum fide dignorum, tamen contra virum bonæ famæ. Quod si vir timoratus refert furtum de alio nō ita bonæ famæ, potes judicare ita esse, quia inniteris proximè, fundamento moraliter certo, quod licet sit relatio seu testimonium, tamen testis oculati viri timorati, de viro non ita bonæ famæ, quod testimonium ordinariè non solet esse suspectum de veritate. Non tamen si vir loquax referat furtum de viro timorato, potes iudicare ita esse, immo nec suspicari, addò, tantùm potest esse nomen ejus, de quo malum refertur & adeò infamis relator ut nec dubitare possis. Quod si vterq; est bonæ famæ, hoc est & narrator, & de quo narratur, attende circumstantias loci, temporis &c. ad hoc ut appareat sufficientia indiciorum, quibus attentis, si appareant æquales rationes, suspende judicium. Dela Cruz, quoad omnes partes. Tamen quantum ad ultimam partem Conclusionis judico, favendum esse possidenti suam famam, & in antiqua bona opinione habendus proximus.

Dico 5. Si pœnitens sit timoratus, non illico damnetur, si dicat se judicâsse, aut suspicatum esse. quia ordinariè in his suspicio aut judicium provenit ex indeliberatione. maximè si confitens sit melancholicus. Vnde de perfectione consensûs examinandus, attentâ priùs personæ qualitate.

Dico 6. Qui de aliquo ex levibus indicijs in re gravi deliberatè suspendit actum, non peccat mortaliter, v. g. si censebat Petrum natum esse nobilem, & quia alius paruæ auctoritatis dixit esse de gente Iudæorum, suspendit actum. quia majus est suspicari quàm dubitare, & suspendere actum. Si ergo in priori casu secundùm dicta non est mortale, suspicari, cur erit mortale suspendere actum? Oppositum docet Medina. Contra hoc præceptum etiam facit, qui legit litteras obsignatas, sicut & ille, qui revelat secretum. Quare secundùm Armillam & alios, qui aperit litteras obsignatas peccat mortaliter, ob periculum sciendi secretum. Secùs dicendum, si judicatur rationabiliter, non adesse tale periculum. peccatur tamen venialiter. Item non peccat legens Epistolam, de consensu saltem implicito mittentis, aut ejus, ad quem mittitur. tandem si timetur malum, ut vitetur.

Circa Nonum & Decimum Præceptum.

Circa hæc duo Præcepta, non multa ocurrunt. nam ea, quæ sexto & septimo quoad actum externum, nono & decimo, quoad desiderium, prohibentur. quare ex dictis circa illa, facilis notitia circa hæc, haberi potest, pro majori tamen rerum notitia.

DISTIN-

DISTINCTIO XLIII.

De Cogitatione morosa.

NOta. Cogitatio morosa tunc est, quando quis non intendit actu perpetrare peccatum v. g. carnis, seu quodvis aliud, sed contentatur illa delectatione, quæ oritur ex imaginatione obiecti illiciti. dicitur morosa, quod mora in ea, permittendo eam, trahatur. Consensus in cogitationem morosam est duplex, expressus & tacitus. expressus est, quando voluntas acceptat positive delectationem. implicitus est, quando voluntas nec consentit nec dissentit expresse, sed permittit durare cogitationem & delectationem.

Dico 1. Probabile est non esse mortale, quando insurgentibus cogitationibus seu delectationibus turpibus, voluntas se permissivè & negativè habet, non impediendo tales cogitationes, sed suspendit actum, nec consentiendo, nec dissentiendo, probabile inquam ob auctoritatem Caietani & Victoriæ, & in simili docui de motibus sensualitatis. Sed probabilior est sententia Mosicicensis, Ianguas. & aliorum, esse mortale. tum ob periculum consentiendi. cùm cogitationes sic permissæ sæpè trahant voluntatem, etiam prius reluctantem, tùm quia, qui non reprimit cogitationes ex suo obiecto mortaliter peccaminosas, virtualiter consentit; virtualis autem consensus sufficit ad mortale.

Dico 2. Probabile est in cogitatione purè morosa (hoc est ut diximus, quæ non intendit opus externum, sed tantùm delectatur circa obiectum) non esse exprimendam circumstantiam fœminæ, an fuerit Virgo, vxorata &c. debet tamen an fuerit circa masculum, bestiam &c. Item exprimendum an ille qui delectabatur fuerit Religiosus. Probabilius tamen est in cogitatione purè morosa, exprimendam circumstantiam fœminæ. nam ita communiter Doctores maximè Thomistæ. D. Anto. Caiet. Tat. Ledesma Dela-Cruz contra alios. quia delectatio morosa sumit speciem ex obiecto

Dico 3. Delectatio de obiecto turpi, quod quidem ex se non est turpe, sed est turpe, quia est prohibitum, non est peccatum. Sic, qui die veneris delectatur de esu carnium, non peccat. modò non delectetur de esu carnium, ut complendo die veneris. Sicut & delectari de obiecto ex se turpi, ratione aliquorum circumstantiarũ, quæ ex se non sunt turpes, non est peccatum mortale. quæ circumstantiæ posunt esse, v. g. industria, inventio vel alius modus.

Dico ultimo. Si absit periculum consentiendi morosè, non est prohibitum legere libros Ethnicorum, continentes res turpes. non est inquam prohibitum legere propter sermonis elegantiam, qui tamen nullá ratione debent prælegi pueris. Dixi, *Ethnicorum*. nam aliorum, qui res turpes ex professo tractant, narrant ac docent, omnino prohibentur. Ita habet septima regula Concilii Tridentini ante Indicem Librorum prohibitorum.



LIBER II.

DE SEPTEM SACRAMENTIS.

DISTINCTIO PRIMA.

De Naturâ & Institutione Sacramenti.

NOta. Multis modis nomen Sacramenti usurpatur *Primò*, pro juramento. *Secundò*, pro amicorum, regumq; secreto; *Tertiò* pro mysterio. est autem mysterium, *res Divina occulta naturalem hominis cognitionem excedens*. tandem sumitur propriè pro signo rei sacræ. De quo.

Dico *primò*. Sacramentũ est *signum rei sacræ sanctificantis homines*. S. Th. 3. p. q. 60. a. 2. explicatur. per *signum* intelligitur *signum ad placitum sacrum, secretum, practicum, permanens, sensibile, ad placitum*. id est ex institutione, & non naturale, cùm res materialis rem spiritualem supernaturalem non significet. *Sacrum*, quia ad Divinum cultum, & rem sacram significandam ordinatur, *secretum*, quia Sacramentorum cognitio solùm fidelibus est nota. *practicum*, quia causat gratiam, *sensibile*, hoc est externum, sensibusq; perceptum. *permanens*, & sic manna, ignis descendens in Discipulos non erant Sacramenta. Dicitur, *rei sacræ sanctificantis*, id est gratiæ habitualis. per quod à ratione Sacramenti excluditur Crux & multa alia. cùm hæc non ordinentur per se ad significandam gratiam, sed ad cultum Dei. Item excluduntur Sacramentalia; quæ non significant immediatè gratiam sanctificãtem, sed quædam auxilia à Deo data, quibus disponimur ad gratiam sanctificantem. Definitiones Sacramentorum in particulari, videantur suis locis.

Hæc definitio Sacramenti potest adaptari Sacramentis antiquæ legis. cùm de ratione Sacramenti ut sic, non sit causare gratiã, sed significare. S Th loco cit a. 1.

Dico 2dò. Sacramentum est signum trium rerum, nempe Passionis Christi rememorativum. gratiæ demonstrativum, vitæ æternæ prognosticon, id est prænuntiativum. S. Th. l. c. a. 3. sed principaliter significat gratiam. S. Th ad 3

Dico 3. Tria in Sacramento reperiuntur. *Sacramentum tantùm*, *res tantùm*, *res & Sacramentum simul*, v. g. in Baptismo. *Sacramentum tantùm* est exterior ablutio *res tantùm*. est gratia in Baptismo collata. *res & Sacramentum simul* est character. S. Th. 3 p. q. 63. a. 1. ad 2. est autem *Sacramentum tantùm* quod significat tantùm *res & Sacramentum*, quod significat & significatur. *res tantùm*, quod significatur tantùm.

Dico 4. Ad essentiam Sacramenti tria requiruntur. Materia, hoc est res aliqua sensibilis. Forma, hoc est verba, & intentio ministri, in Sacramento tamen Matrimonii sufficit aliquid loco verborum, ut est nutus, vel aliud signum exprimens consensum.

Dico

Dico 5. Sacramenta antiqua à novis in multis differunt. Nam Sacramenta veteris legis Christum implicitè & ut venturum significabant. Nova verò explicitè & ut præsentem significant. illa scil: antiqua non habebant determinatam verborum formam, erant difficilia, ut patet in Circumcisione. promittebant tantùm vitam æternam, cælum non aperiebant significabant & non causabant gratiam. sensu in fine dist. sextæ explicando. Vnde ad Gal. 3, infirma & egena vocantur, Ista autem sc: novæ legis, habent determinatam formam. sunt faciliora, conferunt vitam æternam, cælum aperiunt. Iesu enim baptizato aperti sunt cæli, Mat: 3, continent & causant gratiam ex opere operato, hoc est non ex sola devotione suscipientis, sed ex institutione Christi. vide Trid. Sess. 7 Can. 2. 6. 7. & 8.

Dico 6 Christus Dominus, ut Deus authoritativè, & ut causa principalis instituit Sacramenta. ut homo verò per potestatem excellentiæ & ut causa ministerialis. hanc potestatē habuit per unionē cum verbo Divino. patet ex illo Mat: 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, docete omnes gentes, baptizātes eos &c.*

Omnia Sacramenta instituit Christus Dominus. Trid. cit. Can. 1. Præcipuè propter nostram salutem. Vide Mosc: in Examine Appr: tit: 1. q. 1. Poterat tamen Apostolis vel Ecclesiæ, potestas instituendi Sacramenta communicari, sed non est communicata, ne plura sint capita.

Dico 7. Præter principalem necessitatem, quæ est justificationis & salutis nostræ, triplex assignatur à S. Th. 3 p q. 61. a. 1. necessitas instituendi Sacramēta, videlicet ut homo erudiatur humilietur, & exercitetur. sic enim loquitur. *Per Sacramentorum institutionem homo convenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia, humiliatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur, præservatur etiam à noxijs actionibus per salubria exercitia Sacramentorum.*

DISTINCTIO II.

De Necessitate Sacramentorum.

NOta 1. Status innocentiæ in hoc consistit, quòd per donum justitiæ Originalis quale habuit Adam, anima perfectè subsit & obediat Deo, & animæ corpus.

Nota 2. Per legem naturæ intelligitur totū illud tempus, quod fluxit à peccato primi parentis, usq; ad tempora Moysis, quando Deus legem in tabulis scriptam dedit populo Israel. Igitur Lex naturalis ut hic sumitur, opponitur legi scriptæ, & non legi supernaturali.

Nota 3. Lex scripta computatur ab illo tempore, quo Moysi ex Ægypto in terram promissionis properanti, in monte Sinai data fuit lex in tabulis lapideis scripta, ut eam toti populo promulgaret observandam. Rigorosè tamen loquendo Lex scripta incœpit tempore Abrahæ, cui datum est præceptū circumcisionis, ut habetur Genes. 17. & sic tempus illud medium inter Abraham & Moysen fuit quasi confinium legis naturæ & scriptæ.

Dico 1. In statu innocentiæ non fuerunt necessaria homini Sacramenta. Nam

Nam medicina non eſt neceſſaria niſi ægroto Sacramenta autem ſunt ſpirituales medicinæ, contra peccati vulnera adhibitæ. Et quàmvis homo in illo ſtatu gratiâ indigeret, non tamen ut eam per ſigna ſenſibilia conſequeretur, ſed ſpiritualiter & inviſibiliter. S. Th. loco cit. art. 2.

Dices. In ſtatu innocentiæ fuit Matrimonium, quod Apoſtolus ad Ephes. 5. vocat Sacramentum. ℞det S. Th. l. c. ad 3. Matrimonium in ſtatu innocentiæ fuiſſe inſtitutum, non ſecundùm quod eſt Sacramentum, ſed ſecundùm quod eſt officium naturæ ad propagationem generis humani. Nec Apoſtolus dicit quòd fuerit Sacramentum, ſed quod modò ſi[illegible] dicit enim, *Sacramentum hoc magnum eſt.*

Dico 2. Perſeverante ſtatu innocentiæ, n[illegible] fuiſſent Sacramenta propriè ſumpta. Nam non fuiſſent [illegible] peccati, cùm homo fuiſſet in perfecta animæ ſanctitate. neq; fuiſſent neceſſaria ad majorem animæ perfectionem, cùm juſtitia Originalis, dona ſupernaturalia, ac ſcientiæ infuſæ, ad gratiam augendam ſuffeciſſent. S. Th. l. c. Vnde oblationes & alia quæ tunc fuiſſent, non habuiſſent rationem Sacramenti, ſed gratiarum actionis ac recognitionis ſupremi dominii.

Dico 3. Si homo in puris naturalibus ſine juſtitia Originali creatus fuiſſet, tunc Sacramenta fuiſſent neceſſaria, vel ſaltem congrua & ad meliùs eſſe. primò ob majorem animæ perfectionem, ſecundò in remedium peccati, ſi homo tunc deliquiſſet.

Dico 4. In ſtatu legis naturæ fuerunt Sacramenta. Hæc autem Sacramenta fuerunt, externa proteſtatio fidei in Meſſiam futurum, & Sacrificia. illa ordinabatur ad delendum Originale, & fiebat per parentes vel per alium pro parvulis Sacrificia autem ordinabantur ad tollendum peccatum actuale Bonac: de Sacram: q. 1. puncto 3 propoſitione 2. Sed ſciendum, hæc Sacrificia aliâ ratione fuiſſe Sacrificia, aliâ ratione Sacramenta. cùm alia ſit definitio Sacrificii, alia Sacramenti. S. Th. q. 65. a. 1. ad 7: numerat etiam decimas, inter Sacram: legis Naturæ.

Dico 5. In lege Moyſaica ſeu ſcripta fuerunt Sacramenta. Nam ibi fuit morbus per Sacramenta ſanandus. Iſta autem Sacramenta fuerunt, Circumciſio Sacrificia expiatoria, Agnus paſchalis, Conſecratio Sacerdotum, Panes propoſitionum. Sed horum non aſſignant determinatum numerum DD.

Dico 6. Deus circumciſionem inſtituit Gen. 17. & Abrahamo tradidit quadringentis annis ante legẽ ſcriptam. Inſtituta fuit ad delendum peccatum Originale. fuit enim Baptiſmi figurativa, delebat etiam actuale in adultis ſaltem indirectè, cùm contulerit gratiam ſanctificantẽ in virtute tamen Paſſionis Chriſti, vnde ſi poſt Paſſionem locum haberet in cælum introducere, fiebat in generationis parte, ad carnalis concupiſcentiæ, ibi præcipuè vigentis, diminutionem.

Dico 7 Circumciſio erat neceſſaria. Ita habetur Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputij veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me & vos.* Gentiles tamen nullum præceptum obligabat ſimpliciter ad circumciſionem, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, ſi

vellent

vellent populo Dei adscribi, & Iudæorum Sacrificia participare. Ita dicitur Exod. 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam & facere phase, circumcidetur prius.* Circumcisio fieri debebat die octava, ob infantis teneritudinem, quæ est ante octavum diem poterat in casu necessitatis postponi (vnde dies illa erat de necessitate præcepti, & non Sacramenti) non autem præveniri, secundùm Hugonem Victorinum apud D. Th. 3. p q 70. a 3. ad 3.

Dico 8. Cùm fœminæ circumcidi non possent, tunc legis naturæ remedium perseverabat pro illis, sicut & pro masculis ante diem octavum morientibus, atque pro omnibus aliarum [illegible]ionum. S. Th. a. 4. ad 3.

Dico 9. Minister ci[illegible]cisionis non erat determinatus, Nam tam mares, quàm fœminæ filios circ[illegible]bant. addit Abul. supra Iosue c. 5. aliquem potuisse seipsum circumcider[e] ob ministri indeterminationem. Quod dictum de ministro, dicendum de instrumento circumcisionis. inde ait D. Th. l. c. a. 3. ad 2. *Non invenitur tale instrumentum Divino Præcepto determinatum.*

Dico 10. Sacramenta legis Evangelicæ alia sunt necessaria simpliciter, alia secundùm quid, & ad melius esse. Baptismus, Pœnitentia, & Ordo sunt necessaria simpliciter. alia quatuor, sunt ad meliùs esse, hoc est ut communiter dicitur, sunt Sacramenta voluntatis & non necessitatis. Baptismus ergo est cuilibet necessarius simpliciter. Pœnitentia supposito peccato mortali post Baptismum. Ordo Ecclesiæ. S. Th. 3. p. q 65. a. 4. Matrimonium autem ut Sacramentum ideò non est simpliciter necessarium Ecclesiæ, nam dato Matrimonio ut contractu civili tantùm, adhuc Ecclesia conservaretur.

Sed si aliquis in statu legis Evangelicæ nec venialiter peccaret, an egeret Sacramentis? ℞. quòd sic, exceptâ Pœnitentiâ & extremâ Vnctione.

Dico 11. Post Christi Passionem & Resurrectionem, ac sufficientem Evangelii promulgationem, obligare cœperunt Sacramenta, tuncq; legalia cessarunt, ad Gal. 5. *Si circumcidimini nihil vobis Christus proderit.*

DISTINCTIO III.

De Materiâ & Formâ Sacramentorum Novæ Legis.

Dico 1. Duplex est Sacramentorum Materia, remota & proxima. Remota est, inter quam & formam aliquid mediat, scilicet materia proxima. materia proxima est. inter quam & formam nihil mediat. Materia remota in Baptismo est aqua. In Confirmatione Chrisma. In Eucharistia, panis & vinum. In Pœnitentia, peccata. In extrema Vnctione, Oleum benedictum. In Ordine, res quæ traditur Ordines suscipienti. In Matrimonio. personæ contrahentes.

Materia proxima in Baptismo est ablutio. In Confirmatione & Extrema vnctione, Vnctio. In Eucharistia, species panis & vini. in Pœnitentia, actus pœnitentis. In Ordine, traditio materiæ remotæ. Tandem in Matrimonio, corporum traditio. Scias, Ecclesiam non posse materiam Sacramentorum mutare, quia à

Christo Domino est determinata. Ecclesia autem non est supra Christum.

Dico 2. Sacramentum non est validum, dum forma mutatur formaliter seu substantialiter, cùm forma sit pars essentialis Sacramenti. Validum tamen est, si mutatio sit tantùm materialis. Est autem mutatio formalis seu substantialis, quando non servatur idem sensus. Mutatatio verò materialis & accidentalis est, quando idem servatur sensus.

Dico 3. Octo modis contingere potest variari formam 1. additione ut cùm dicitur. Ego te Baptizo in Nomine Patris, qui te creavit, &c. 2. diminutione, v. g. te baptizo, omittendo ly ego. 3. transpositione. v. g. ego te baptizo in Nomine Filii & Patris &c. 4. interpellatione, v. g. dicendo, ego te baptizo, & casu interponendo, aqua hæc est frigida, &c. 5. corruptione, v. g. ego te baptizo in Nomine Patria, &c. 6. per verba æquivoca. 7. per verba synonima 8. per idiomatis mutationem. In his mutationibus verum conficitur Sacramentum, dummodò servetur formalis verborum significatio, & minister per talem variationem non intendat novum ritum inducere ab Ecclesia non receptum.

Dico 4. In omni idiomate potest confici Sacramentum, minister tamen graviter peccat suæ Ecclesiæ non servans usum. Immo Cajet. docet, idiomatum mixtionem in eadem forma factam non facere Sacramentum invalidum, modò voces conjunctæ eundem servent sensum.

Dico 5. Tota forma debet ab uno & eodem ministro proferri, aliàs falsus redderetur formæ sensus. v. g. Si quis diceret *ego te baptizo*, & alter subjungeret, *in Nomine Patris &c.* falsum diceret, cùm realiter non baptizaret. Henriquez tamen, Sacramentum extremæ unctionis excipit, cùm per modum orationis conficiatur, & oratio possit à pluribus continuari.

Dico 6. Dum quis prætermittit aliquod verbum, putans illud esse de essentia Sacramenti, cùm verè non sit, & vice versa addit verbum putans esse de essentia, cùm verè non sit, verum conficit Sacramentum, modò habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Sic enim in tali casu adest debita materia, forma & intentio.

Dico 7. Vtens in conficiendis Sacramentis materiâ & formâ dubiâ, mortaliter peccat seclusâ necessitate. Cùm se exponat periculo efficiendi Sacramentum invalidum, & pertinet tale peccatum ad sacrilegium.

Dico 8. Minister dubitãs de valore Sacramenti, potest sub cõditione iterare, si dubium sit rationabile aliàs Sacramenti iteratio sine causa facta irrisoria est.

Dico 9. In Sacramentis loco verborum formæ, nequeunt adhiberi, scriptura, signa, nutus. cùm hæc à Christo Domino non sint instituta. Excipe Sacramentum Matrimonii, quod cùm sit quidam contractus, potest celebrari nutibus signisque, quibus contrahentium animus manifestatur.

Dico 10. Sacramenta possunt sub conditione administrari, si conditio sit de præterito, vel de præsenti, cùm talis conditio Sacramenti effectum non suspendat. Non possunt tamen Sacramenta administrari sub conditione de futuro. Non enim

enim Sacramentum tunc est validum, dum administratur, cùm minister tunc non intendat ipsum conficere. nec etiam validum est tempore adimpletæ conditionis, quia materia & forma tunc non existunt DD. communiter quoad omnes partes.

DISTINCTIO IV.

De Ministro Sacramentorum.

NOta. Triplex est intentio. Habitualis, actualis & virtualis. Habitualis est proclivitas ad faciendum aliquid, ex frequenti usu acquisita. hæc reperitur etiam in dormientibus & amentibus. Actualis est præsens animi applicatio circa opus quod agitur. quæ hic & nunc consistit in eo, ut quis attendat ad verba & verborum sensum. Virtualis, quam S. Th q. 64. a 8 ad 3 Vocat habitualem, quâ quis ex virtute intentionis actualis non retractatæ, perficit opus.

Dico 1. Minister Sacramentorum novæ legis est Sacerdos, excepto Sacramento Baptismi in necessitate, & Sacramento Matrimonii absolutè, quod ipsi cōtrahentes ministrant. Angeli nequeunt ministrare Sacramenta, nisi Deus in hoc dispenset. vnde si Angelus, utpote veritatis nuncius, Sacramantum aliquod conficeret, pro valido habendum esset. Contrarium de Dæmone, utpote patre mendacii, dicendum.

Dico 2. Ministri intentio necessariò requiritur ad Sacramenti valorem, saltem virtualis. S. Th. l. c. qui nomine habitualis virtualem intelligit, ut patet ex textu. Habitualis propriè accepta non sufficit. aliàs Sacramentum posset confici à dormiente.

Sufficit ut minister habeat generalem intentionem faciendi, quod instituit Christus, vel quod facit Ecclesia Catholica, quæcunq; illa sit. quod additur propter Hæreticos Ecclesiæ Romanæ non credentes, & tamen verè baptizantes. si in materia & forma non deficiant.

Habitâ ergo intentione, licèt per risum Sacramentum conficiatur, est validum, ut patet de Baptismo D. Athanasij adhuc pueruli, joco alios puerulos baptizantis, quem baptismum pro valido judicavit Alexander Alexandrinus tunc Patriarcha. Item, licet Sacramentum ob malum finem v. g. ob homicidium conficiatur, validum est, ex Can. non illud d. 4. de Cons: si cum materia & forma, intentio adsit:

Ex quo patet, si minister intentionem non habeat, invalidum esse Sacramentum. cùm intentio sit de necessitate Sacramenti. Nonnulli dicunt si minister intentionem non habeat supplet Christus, ut in Baptismo puerorum, vel fides & devotio, ut in adultis, qui intendunt Sacramentum percipere. Sed hoc reprobat. D. Th. l. c. ad 2.

Dico 3. Non requiritur simpliciter fides in ministro ad valorem Sacramenti. Vnde si Sacerdos hæreticus proferret verba consecratoria super materiam debitam, etiamsi dubitaret fieri consecrationem, tamen verè consecraret, dummodo inten-

do intenderet facere id quod facit Ecclesia: De hoc habetur exemplum in Baptiſmo. legitur enim in vita S. Geneſij, quòd cùm in deriſionem Chriſtianæ fidei in publico theatro coram Imperatore baptizari ad inſtar Chriſtianorum voluiſſet, & mimus eum baptizans facere quod facit Eccleſia Chriſtianorum intendiſſet, licèt ſine fide, immo in deriſum, verum confectum eſt Sacramentum, & converſio ſancti Geneſij ſecuta.

Dico 4. Miniſtri probitas requiritur ad Sacramentorum adminiſtrationem, non quidem validam, ſed licitam. Cùm graviter peccet exiſtens in mortali quodcunq; Sacramentum ex officio conficiens non præmiſsâ contritione quæ ſufficit, excepto Euchariſtiæ Sacramento, ad quod præmitti, debet confeſſio, ut decernit Trid. Seſſ: 13 Cap. 7.

Docent nonnulli, quòd exiſtens in peccato mortali, & Subdiaconatum & forſan Diaconatum exercens, res ſacras tangens. Epiſcopus primam tonſuram conferens, ſacras veſtes, vaſa benedicens, Chriſma, Oleum infirmorum conficiens, Eccleſiam conſecrans. Concionator concionem ad populum habens, aquam benedicens, Baptiſmum in neceſſitate miniſtrans. Parochus Matrimonio aſſiſtens. è terra Euchariſtiam elevans, ab uno altari ad aliud transferens, immo forſan aliquem communicans, non peccet mortaliter, cùm tales functiones non ſanctificent immediatè. Ita etiam Dela-Cruz de Sac: in genere q. 4 d. 3

Sed hoc non videtur quo ad omnia ſubſiſtere. cùm S. Th. in 4. d. 24. q. 1. ar. 1. q. 5 dicat *Quicunq; autem cum peccato mortali aliquod ſacrum Officium pertractat, non eſt dubium quin indignè illud faciat: inde patet, quòd mortaliter peccet.* Quod intellige, niſi parvitas materiæ excuſet. Et l. c. in reſp. ad 4. ſic habet *Quando tangunt res ſacras quaſi ſuo officio utentes peccant mortaliter. Secus autem eſſet ſi in aliqua neceſſitate aliquid ſacrum contingeret vel exequeretur, in illo caſu in quo etiam laicis liceret ſicut, ſi baptizaret in articulo neceſſitatis, vel ſi corpus Chriſti in terra projectum colligeret.*

Ex quo colliges hos à mortali non excuſandos. Scilicet Subdiaconum & Diaconum in mortali ſuum officium exercentes. Epiſcopum chriſma & oleum infirmorum conficientem, Euchariſtiam transferentem, & eandem diſtribuentem. Gonet in manuali de Sacram: in genere C. 7. p. 3.

Dico 5. Licet à malis miniſtris Sacramenta recipere, ſi ſint ab Eccleſia tolerati, non verò ſi ſint nominatim excommunicati, & publici Clericorum percuſſores S. Th. q. 64. a. 6 ad 2. Licet etiam malos miniſtros inducere ad Sacramenta miniſtranda, ſed in gravi neceſſitate aut magna exigente utilitate, ſi non adſit alius miniſter. Ledeſma & comm. apud Dela-Cruz de Sac. in gen. q. 4

Similiter excommunicatus occultus poteſt Sacramenta conficere ante abſolutionem ab excommunicatione, ſi contritionem habeat & probabiliter credat infamandum niſi celebret; nec ſit commoditas petendi abſolutionem.

DISTIN-

DISTINCTIO V.

De Sacramentorum subjecto.

DIco primò. Subjectum Sacramentorum est tantùm homo Viator. cùm tantùm ad ejus salutem peccatiq; remedium Sacramenta sint ordinata. Angeli, utpote spirituales, non sunt capaces Sacramentorum. mus v. g. hostiam consecratam comedens, materialiter tantùm & non Sacramentaliter recipit Sacramentum.

Non tamen omnes homines sunt capaces omnium Sacramentorum. Nam quidam Matrimonii sunt incapaces v. g. propter defectum ætatis &c. alii Ordinis, ut fœminæ. alii extremæ unctionis, ut sunt usu rationis carentes, &c.

Dico 2. Sacramenta non sunt administranda etiam occultè, peccatori publico indignè petenti. Cùm non sint mittendæ margaritæ ante porcos. Sed peccatori occulto indignè petenti debent ministrari Sacramenta si publicè petat, exemplo Christi D. qui Iudæ proditori Eucharistiam non negavit.

Ex priori conclusionis parte sequitur, publicum peccatorem, v. g. usurarium, vel concubinarium notorium, sicut & histrionem comœdias turpes publicè repræsentantem repellendum esse à Sacramentorum receptione.

Dico 3. Peccatori publicè petenti Eucharistiam, non potest Sacerdos hostiam non consecratam præbere, ad petentis sacrilegium, necnon aliorum scandalum vitandum. Quia sic idololatriæ occasionem præberet. populo talem hostiam adorandam proponens S Th q. 80 a. 6. ad 2.

Dico 4. Requiritur intentio in Sacramenta suscipiente, sed diversimodè Nam in adulto præter dispositionem requiritur formalis & propria intentio, quâ in Sacramentum consentiat. In parvulis rationis usu carentibus sufficit intentio æquivalenter, ut Ecclesiæ.

Dico 5. Recipiens Eucharistiam ad famem pellendam, vel aliud Sacramentum invitè, vel in amentia (modò antea nunquam petierit) vel recipiens Sacramentum cum intentione neutrali, non recipit Sacramentum Sacramentaliter, cùm intentio necessaria, quâ talis caret.

DISTINCTIO VI.

De Primario Sacramentorum effectu sc. gratiâ.

NOta. Sacramenta habent suam virtutem & efficaciam ex passione Christi, vnde Glossa super illud ad Rom 5. *In similitudinem prævaricationis Adæ &c. ait ex latere Christi dormientis in Cruce fluxerunt Sacramenta, per quæ salvata est Ecclesia.*

Nota 2. Dupliciter potest causari gratia in anima, vno modo ex opere operato; altero ex opere operantis. Gratia causatur ex opere operato, quando ex virtute Sacramenti, ut à Christo instituti gratia confertur. E contra verò dicitur cōferri ex opere operantis, quando ex vi & efficacia operis ministri aut suscipientis communicatur gratia.

Dico 1. Omnia novæ legis Sacramenta conferunt gratiam non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, instrumentaliter tamen, cùm solus Deus principaliter causet gratiam. Trid. Seff. 7. Can. 8. Si ponitur obex, id est si recipiens propter peccatum mortale sit indispositus, non conferunt gratiam, quam tamen postea conferunt recedente obice seu fictione. S. Th. q. 69 a. 9. & 10. Sciendum, recedente fictione seu impedimento conferri gratiam non solùm correspondentem devotioni suscipientis, sed etiam correspondentem præterito Sacramento.

Hæc gratia quam causant Sacramenta est duplex. Communis & propria Cõmunis omnibus Sacramentis, est gratia habitualis, aliàs dicta, justificans. Propria alias dicta Sacramentalis, est exigentia auxiliorum Divinorum, quæ conducunt ad consequendum uniuscujusq; Sacramenti effectum. Gratia omnibus Sacramentis communis, alia est prima, alia secunda. prima dicitur, quæ primùm infunditur subjecto, nondum habenti gratiam sanctificantem, atq; adeo existenti in peccato mortali, vel Originali peccatum enim veniale est compossibile cum gratia. Ea verò appellatur secunda gratia, quæ advenit subjecto jam grato & sanctificato, atque adeò in gratia existenti

Sed explicanda est gratia cuilibet Sacramento propria in particulari. Dico ergo, in baptismo confertur jus & exigentia ad auxilia Divina, quibus homo juvatur ad rectè suscipienda alia Sacramenta, & Christianè vivendum. in confirmatione confertur jus ad auxilia, quibus homo juvatur ad fidei coram Tyranno professionem. In Sacramento Eucharistiæ confertur jus ad auxilia necessaria ad actus charitatis & devotionis, quibus anima spiritualiter nutritur. in Pœnitentia confertur jus ad auxilia ad satisfaciendum Deo pro peccatis præteritis, & ad evitanda futura. In Sacramento extremæ unctionis confertur jus ad auxilia, quibus reliquiæ peccatorum tolluntur, ut sunt proclivitas ad malum, languor & debilitas ad bonum, & quibus vincuntur tentationes. In Sacramento Ordinis confertur jus ad auxilia, pro bono usu officii suscepti necessaria. Tandem in Sacramento Matrimonii confertur jus ad auxilia ad frenandam carnis libidinem, fidelitatem conjugalem servandam, curam prolis habẽdam; & alios effectus, de quibus alibi.

Adverte, hoc jus & exigentia auxiliorum Dei, non est aliquid realiter distinctum à gratia omnibus Sacramentis communi, sed est quædam connotatio seu respectus transcendentalis ad auxilia Dei conducentia ad supradictos effectus. Quæ connotatio seu respectus diversimode explicatur in gratia Sacramentis communi, secundùm quod à diversis Sacramentis causatur.

Dico 2. Baptismus & Pœnitentia conferunt primam gratiam. vnde cum inveniant hominem per peccatum mortuum, dicuntur Sacramenta mortuorum. Ab aliis verè Sacramentis confertur secunda gratia, hoc est augmentum gratiæ, & siccum in suscipiente gratiam supponant, dicuntur Sacramenta vivorum. Cæterum sicut baptismus & pœnitentia per se primam gratiam causant, per accidens verò secundam, ut patet in accedente ad pœnitentiam cum contritione, ita cætera Sa-

Sacramenta per se secundam gratiam causant, per accidens autem primam, ut patet de recipiente in peccato mortali, sed bonâ fide, Euchariſtiam, hoc eſt putando ſe non eſſe in mortali. Quod alia Sacramenta per accidens cauſent primam gratiam, docet Philippus à SS. Trinit: de Sacr: in genere d. 4. ar. 4, dicens eſſe aliorum Thomiſtarum mentem.

Dico 3. Suſcipientes idem Sacramentum æqualem recipiunt gratiam, loquendo de pueris rationis uſu carentibus, ac de adultis cum æquali diſpoſitione accedentibus, ſecus de adultis inæqualiter diſpoſitis. Quia agens æqualiter operatur, in ſubjecto æqualiter diſpoſito, & inæqualiter, ſi non eſt æqualiter diſpoſitũ.

Dico 4. Sacramentum recipiens à meliori miniſtro, non ideo recipit majorem gratiam, quàm ſi ab improbo recipiat, cùm gratia ob Chriſti, & non miniſtri meritum conferatur. Aliquando tamen melior miniſter impetrat auxilia à Deo, quibus recipiens melius diſponatur & majorem gratiam conſequatur. Quod eſt meliorem miniſtrum tantum quandoque ad majorem gratiam conducere, ſed mediatè.

Dico 5. Sacramenta producunt gratiam non ſolùm moraliter, hoc eſt movendo Deum ut intuitu eorundem conferat gratiam, ſed etiam phyſicè, hoc eſt verè influendo. Nam Sacramenta verè cauſant in anima gratiam ut docent omnes Theologi, ergo cauſant phyſicè. Cùm cauſalitas moralis ſit tantùm methaphorica & non propria cauſalitas. Non tamen cauſant principaliter ſed inſtrumentaliter, Principaliter enim producere gratiam Soli Deo convenit. Cauſant autem Sacramenta gratiam, quando ſunt in eſſe completo, in inſtanti videlicet, quando materia & forma ſunt ſimul.

QVÆSITVM.

An veteris legis Sacramenta habuerint in ſe vim producendi gratiam?

℟. NOn habuiſſe vim phyſicam, ideoq; ab Apoſtolo ad Galat. 4. *vocari elementa infirma & egena.* Habuiſſe tamen vim quandam moralem, excitantem Deum ad dandam gratiam ritè ea ſuſcipientibus, erant enim ſigna & figuræ paſſionis Chriſti futuræ, cuius intuitu Deus gratiam in antiqua lege conferebat. à ratione autem ſigni vis excitandi moraliter inſeparabilis eſt. Ex quo intelliges veteris legis Sacramenta non cauſâſſe gratiam ex opere operato activè, ſicut Sacramenta novæ legis (carebant enim virtute productivâ gratiæ per influxum phyſicum) cauſâſſe tamen gratiam ex opere operato paſſivè, reddendo ſubjectum dignum gratiâ Gonet in manuali Thom. de Bap. c. 1.

Adverte in uſu Sacramentorum veteris legis duo requirebantur ad conſecutionem gratiæ, videlicet fides in Chriſtum venturum, nam per fidem paſſionis Chriſti juſtificabantur antiqui Patres ſicut & nos quod debet intelligi de fide implicita, explicitè enim tantùm tenebantur credere in Salvatorem futurum. De-

inde

inde requirebantur sacræ cæremoniæ, quas vocamus Sacramenta, quibus antiqui Patres protestabantur hanc fidem. Philipp. à SS. Trinit: de Sacram: in Gen. d. 5. d. 6. ex S. Th.

Ex dictis colliges, hanc etiam posse inter Sacramenta novæ & veteris legis differentiā assignari, quod illa physicè, hæc moraliter tantùm cōferebant gratiam.

Dices. Eugenius IV. in literis unionis hanc ponit differentiam inter antiquæ & novæ legis Sacramenta, quòd illa tantùm significabant gratiam, hæc etiam causant, quam significant ergo Sacramenta antiquæ legis non causabant gratiam ex opere operato, etiamsi moraliter tantùm. ℞. Nego Consequentiam & dico Pontificem, tantùm excludere à Sacramentis veteris legis veram productionem gratiæ, non verò impropriā, qualis est moralis, quo sensu dicenda sunt signa practica.

DISTINCTIO VII.

De secundariò Sacramentorum effectu, scilicet charactere.

NOta Character ex græco, latinè idem sonat ac figura, nota, seu signum, quo quis ab alio distinguitur, & ad aliquid Divinum deputatur, definitur à S. Th: q. 63. a. 4. *Signaculum quoddam spirituale animæ indelebiliter impressum, ad suscipiendum vel alijs tradendum ea, quæ sunt Divini cultûs.* Est triplex Baptismi per quem homo baptizatus ab infideli secernitur, & ad suscipienda alia Sacramenta redditur capax. Confirmationis, quo confirmatus a non confirmato distinguitur, & ad eliciendos actus fidei roboratur. Ordinis, per quem Ordinatus à laicis segregatur, & ad exercenda munera, cuiq; Ordini propria adaptatur.

Ex quo intelliges tria esse Sacramenta characterem imprimentia, & consequenter non esse iterabilia, cùm character semper duret, nec per peccatum, degradationem, hæresim vel mortem deleatur. Trid. Sess: 7. can. 9. ratio est, quia non habet contrarium, ut probant Theologi Speculativi, incorruptibile autem est, quod caret contrario, ut patet in Angelis. Et sic mortuus, antea baptizatus, confirmatus ac Ordinatus, & ad vitam revocatus, non est rebaptizandus, reconfirmandus; aut reordinandus.

Dico primò. Iterantes Sacramenta non iterabilia mortaliter peccant tam conferentes, quàm scienter recipientes, sed non fiunt irregulares nisi iterantes baptismum, cùm in jure hoc solùm inveniatur. ut autem propter aliquem casum incurratur irregularitas, debet in jure exprimi. Armilla v. irreg. n 84. & alij.

Dico 2. Præfati tres characteres differunt inter se specie. cùm ad diversos actus ordinentur. Ordinum verò characteres, etiam specie, sed incompletâ, inter se differunt, sicut & ipsi Ordines specie incompletâ inter se differunt, ex quibus coalescit unum specie completa Sacramentum Ordinis. Labat de Sac: Ordinis d 1. §. 3.

Dico 3. Inter characterem Baptismi, Confirmationis. & Ordinis est connexio. Nam Baptismi necessariò ab aliis præsupponitur: Confirmatio enim & Ordo non

do non

do non baptizato invalidè conferuntur; Sed character Ordinis cum chraractere Confirmationis non tantam habet connexionem, cùm Ordo, non confirmato collatus, valeat. Ordinum etiam characteres non habent omnimodam inter se connexionem. Nam si Ordines per saltum conferuntur, valent, vnde tales non reordinantur, sed ad omissos Ordines coguntur.

Dico 4. Character subjectatur immediatè in intellectu S. Th. q 63. a. 4. Nam cum character per se primò ad actus Divini cultus, quibus fit protestatio fidei, ordinetur, debet habere pro subjecto immediato illam potentiam in qua immediatè subjectatur habitus fidei. Sed habitus fidei immediatè subjectatur in intellectu. ergo & character.

Dico 5. In Christo D. non datur character Sacramentalis. Nam seipso ab aliis distinguitur, ac per unionem hypostaticam omnia ad Divinum cultum spectantia præstare potest. Characteris effectus patet ex definitione.

DISTINCTIO VIII.

De Numero Sacramentorum.

DIco 1 Septem sunt novæ legis Sacramenta, his versibus comprehensa

Ordinat & jungit, baptizat, chrismat & vngit,
Peccatum plangit, & in altari sacra tangit.

Multæ solent assignari causæ, quòd sint septem nec plura nec pauciora Sacramenta. Prima ex similitudine vitæ spiritualis ad corporalem Nam sicut in vita corporali homo, *primò* nascitur, *secundò* augetur & roboratur, *tertiò* cibo nutritur. *quartò* ab infirmitate curatur, *quintò* contra infirmitatis reliquias per exercitium & similia juvatur, *sextò* propagationi ad conservationem speciei inservit, *7mò* in dignitate ad gubernandos homines instituitur. Sic in vita spirituali homo per baptismum spiritualiter renascitur per confirmationem in fide roboratur, per Eucharistiam nutritur, per pœnitentiam à peccati morbo curatur, per extremam unctionem, contra peccatorum reliquias, mortisque prælium juvatur, propagationi per Matrimonium Christianè intendit, per Ordinem in statu honoris Ecclesiastici constituitur. S. Th. q 65. a. 1. aliam causam recitat. S. Th. loco cit. alias alij DD.

Et hæc septem Sacramenta differunt inter se, materiâ, formâ, necessitate, iterabilitate, ac dignitate.

DISTINCTIO IX.

De ritu Sacramentorum.

NOta. Ritus est duplex essentialis, in materia, forma, & intentione, consistens, estque de necessitate Sacramenti, & accidentalis, consistens in cæremonijs Sacramentalibus, videlicet, in actionibus religiosis quibus decenter Sacramenta ministrantur, estq; de necessitate præcepti, nisi parvitas materiæ excuset,

Dico 1. Ritus accidentales à Summo Pontifice præſcripti, non poſſunt ab Epiſcopo mutari, cùm inferior Superioris legem nequeat abrogare; poteſt tamen, quantum ad ſuæ Eccleſiæ gubernationem pertinet, moderari.

Dico 2. Propter varias cauſas ritus accidentales Eccleſia inſtituit. Propter ornatum & decorem, ut in veſtibus Sacerdotalibus patet. Item, ut per tales cæremonias populorum fides augeatur. Tandem. nam rationabile eſt populum Chriſtianum in modo colendi Deum convenire & concordare.

DISTINCTIO X.

De Sacramentalibus.

NOta, Sacramentalia ſunt actiones ſacræ Sacrificio vel Sacramentis adjunctæ vel ad hæc ordinatæ, extra eſſentiam & integritatem horum exiſtentes. Et ſic non omnes cæremoniæ ſacræ ſunt Sacramentalia, ſed potius quædam obſervantiæ, quibus cultores Dei utuntur, ut ad cultum Dei ſe diſponant, quales ſunt genuflexiones, jeiunia, & alia huiuſmodi, ſecundùm alios. Sacrameutalia ſunt actiones, vel etiam res ſacræ, ad colendum Deum authoritate publicâ inſtitutæ.

Dico 1. Sacramentalia communiter numerantur ſex hoc verſu contenta.

Orans, tinctus, edens, confeſſio, dans, benedicens.

Per verbum *Orans*, intelligitur Oratio dominica, quæ inter omnes preces primatum tenet, unde in celebratione Miſſæ adhibetur. Item intelligitur Oratio, quæ fit in Eccleſia conſecrata. per verbum *tinctus*, intelligitur benedictio aquæ luſtralis, vel etiam ipſamet aqua luſtralis. per verbum *edens*, intelligitur manducatio panis benedicti, qui diſtribuebatur diebus dominicis. per verbum *confeſſio*, intelligitur confeſſio peccatorum, quæ fit extra Sacramentum pœnitentiæ, & eſt ſignum illius, ad quam reducitur tunſio pectoris. per verbum *dans*, intelligitur eleëmoſyna, vel alia opera miſericordiæ corporalia vel ſpiritualia hæc enim reducuntur ad pœnitentiam. Per verbum *benedicens*, deſignatur benedictio, quam Epiſcopus, vel alius juriſdictionem habens, impendit.

Huc revocãtur multæ actiones ſacræ, ut exorciſmi, Inſufflationes, benedictio fontis baptiſmalis, & veſtium Sacerdotalium, prima tonſura, conſecratio Chriſmatis Olei infirmorum, templorum, calicum &c. admixtio aquæ vino conſecrando, &c.

Scias numerum Sacramentalium ab Eccleſia poſſe augeri. Immo poſſunt Epiſcopi aliqua in ſuis Eccleſijs inſtituere, dummodò intacta maneant alia univerſaliter recepta, vel niſi à Summo Pontifice vel Concilio prohibeantur. Philippus à SS. Trinit: de Sac. in genere diſp. 10. dub 4.

Dico 2. Sacramentalia non cauſant immediatè ex opere operato gratiam gratum facientem, aliàs non differrent à Sacramentis. Cauſant tamen auxilia Divinæ gratiæ, hoc eſt auxilia benè operandi, moraliter tantùm, per modum impetrationis, ratione precum Eccleſiæ quæ ordinariè exauditur.

Benè

Benè autem dicuntur Sacramentalia causare auxilia Divinæ gratiæ ex opere operato, licèt interveniant preces Ecclesiæ, nam causant ultra meritum ministrantis vel recipientis Sacramentalia. Sed an omnia Sacramentalia aliquid causent? ℞. ex S. Th. q. 71. ar 3 ad vltim: quòd non.

Ex quo sequitur hanc causalitatem, non esse omnino infallibilem, quia non fundatur in aliqua promissione facta ex parte Dei, sed tantùm fundatur in impetratione Ecclesiæ quæ non semper impletur.

Causant etiam beneficia corporalia v. g. sanitatem &c. Item remissionem peccati venialis, & pœnæ ipsi debitæ, sicut & expulsionem dæmonum, & fugam eorum ne noceant. ex opere operato quidem, sed moraliter tantùm, movendo Deum, ut ad præsentiam Sacramentalium intuitu precum Ecclesiæ, causet prædictos effectus.

Sacramentalia tamen non causant immediatè remissionem venialis sed mediate tantùm, quatenùs ex orationibus Ecclesiæ, à Deo obtinent, auxilia quædam supernaturalia ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displicent & retractantur.

DISTINCTIO XI.

De Baptismi institutione & necessitate.

NOta. Baptismus ex græco latinè ablutionem significat. Triplex assignatur, fluminis, flaminis & sanguinis. Baptismum fluminis definit S. Th. q. 66. a. 1. ex M. Sent: in 4. d. 3 scilicet, *est ablutio corporis exterior, sub præscripta verborũ forma.* subintellige, *à Christo D. instituta, ad regenerationem spiritualem.* Flaminis consistit in actu contritionis, vel charitatis, cum desiderio saltem implicito suscipiendi aquæ baptismum. Sanguinis, est martyrium. Martyrium autem, est passio, seu lethalis cruciatus pro Christi fide, aut pro vera virtute susceptus. Solus baptismus fluminis est Sacramentum, alii verò dicuntur baptismi, in quantum vices baptismi fluminis supplent.

Nota 2. Dupliciter potest aliquid esse necessarium, simpliciter ad consequendam vitam æternam, nempe necessitate præcepti, & necessitate medii. Illud est necessarium necessitate præcepti tantùm ad vitam æternam, quod si culpabiliter & per negligentiam omittatur, impedit consecutionem vitæ æternæ. Si verò inculpabiliter omittatur, hoc est vel per ignorantiã vel per impotentiã, non impedit consecutionẽ vitæ æternæ. Cæterùm illud est necessariũ necessitate medii, ad vitã æternã, quod licèt inculpabiliter omittatur, impedit consecutionem vitæ æternæ.

Dico 1. Baptismus institutus fuit ante Christi D. passionẽ, quando Matt: 13. Christus D. in Iordane à Ioanne Bap. S. Th. q. 66. a. 2. Tum quia baptismus tunc virtutem producendi suum effectum suscepit, dicente D. Aug. Serm. 1. Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ. Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Tum quia eo tempore indicata fuit materia baptismi, scilicet

 aqua,

aqua, & forma, ſc: Sſſmæ Trinitatis invocatio, in columbæ enim ſpecie Spiritus S. viſus eſt. paterna vox audita eſt, *tu es Filius meus dilectus.* Cæli aperti ſunt, ad baptiſmi effectum prænuntiandum.

Dico 2. Sacramentum baptiſmi eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem æternam. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. Ioan. 3.* Hinc omnes obligantur ad baptiſmi ſuſceptionem, etiam in vtero gratiâ ſanctificante donati. S. Th. q. 68. a. 1. ad 3. Nam per hoc non recipiunt characterem. Quare B. V. Maria à Chriſto D. baptizata. Euthimius in C. 3. Ioan. Deinde Ioannes Baptiſta. S. Th. 3. p q. 38. a. 6. ad 3.

Poſtea Petrus. Niceph. L. 2. Hiſt. C. 3. à Petro Baptizatus Ioan. Evangeliſta, Iacobus eius frater & Andreas, ab his deinde reliqui Apoſtoli. Ita refert Cinius in Cælo Stellato, à Petro & Ioan. ſeptuaginta Chriſti diſcipuli. Idem Cinius, idque ante Chriſti paſſionem, nam non eſt verò ſimile Chriſtum Apoſtolis nondum baptizatis Euchariſtiam dediſſe. Cæterum Chriſtum D. omnes Apoſtolos Baptizâſſe conforme eſt menti S. Th. q. 84. a. 7. ad 4. referentis S. Aug.

Dico 3. Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum non incœpit ante Chriſti mortem, cùm lex vetus, uſq; tunc duraverit & obligaverit. Nec obligavit ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed poſtquam lex nova innotuit. Cùm Chriſtus D. juxta Imperatorum morem ſe geſſerit, non ſtatim factâ à precone legis promulgatione obligantium, ſed elapſo certo tempore.

Quæritur, quando fuit ſufficiens novæ legis promulgatio? Aliqui putant factam fuiſſe die Pentecoſtes, quando Apoſtoli variis linguis omni nationi quæ ſub cælo eſt prædicarunt. Alii verò putant univerſalem Evangelii promulgationem incœpiſſe poſt excidium Hieroſolymitanum à Tito & Veſpaſiano anno poſt Chriſti paſſionem 40. peractum.

Dico 4. In articulo mortis, ac imminente alia neceſſitate, omnes ſtatim tenentur baptizari, extra neceſſitatem verò quantociùs, parvuli quidem quando commodè ad Eccleſiam deferri poſſunt, nempe octavo ſaltem die, vel juxta aliam laudabilem conſuetudinem. Adulti verò poſt perfectam in fide inſtructionem. Sicut Philippus Eunuchum act: 8. & Petrus Cornelium, act. 10. ſtatim baptizârunt. quia apparebant ſufficienter inſtructi, ut habet S. Th. q. 68. a. 3.

Dico 5. Baptiſmus ultra debitum tempus non eſt differendus, aliàs peccatur mortaliter. Opatovius de baptiſmo d. 3. q. 1. & alii. Excipe ſi ſit caſus neceſſitatis. Prælatorum licentia. Singularis erga Baptiſmum reverentia, ut de S. Martino octo annis catechumeno legitur. Illa duo baptizandi tempora, Paſchatis & Pentecoſtes, ab Eccleſia ſtatuta fuêre, pro adultis tantùm, & non pro parvulis. S. Th. l. c. ad 1.

DISTINCTIO XII.
De Materia remota Baptiſmi.

DIco

DIco 1. Materia remota Baptismi, est aqua naturalis, elementalis, pura & simplex. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Ioan. 3.* Quod intelligitur, sive de aqua terrestri, v. g. Maris, fluminis, stagni, fontis, sive cælesti qualis est pluvialis. Sive resoluta ex glacie, nive, pruina grandine. Ideo autem baptismus potius in aqua, quàm in alio institutus, quia aqua est materia cõmunior, & ad usum facilior.

Dico 2. Baptismus nequit conferri lacrymis, sudore, sputo, urinâ, aquâ ex vite profluente, aquâ rosaceâ, aquis alchimicis, herbarum succis, & aliis liquoribus artificialibus. Sylvester & communis. Cùm hæc & similia differant specie ab aqua naturali.

Dico 3. In glacie, nive nequit conferri baptismus, cùm hæc non abluant, nisi priùs resolvantur. pariter in ptisana id est aqua hordeacea, & similibus potabilibus liquoribus, non conficitur baptismus, cùm sint alienæ speciei ab aqua naturali. Vnde voto adstricti, pane & aquâ jeiunare, frangunt jeiunium tali potu utentes, ait Cinius.

Dico 4. In brodio, lixivio, aqua sulphurea, aqua è luto saleq; extracta conficitur baptismus. Cùm gaudeant eâdem specie aquæ. Si autem tanta esset corporum elixatorum, & cinerum resolutio, ut brodium & lixivium plus de aliena quàm de aquæ substantia haberet, (quod ex spissitudine perspici posset) baptismus non conficeretur. Sicut, nec in aqua, ita mixta cum alio corpore & liquore, ut ad abluendum tanquam aqua sit inepta. V. S. Th. q. 66. a. 14.

Dico 5. Vtens brodio, immo aquâ naturali alteratâ & fœdâ, quamvis specie non variata, peccat peccato sacrilegij, ob Sacramenti irreverentiam, si id sine necessitate fiat: Immo non licet ministro seclusâ necessitate, quamlibet aquam naturalem, puram & veram adhibere, sed benedictã, aliàs peccatur mortaliter. Cùm consuetudinem & præcepta servare sit necesse. Multominus minister uti poterit materiâ baptismi dubia, ob periculum, nullum conficiendi Sacramentum. absente tamen materiâ certâ potest. Sed tunc si baptizatus supervivat rebaptizandus sub conditione.

DISTINCTIO XIII.

De Máteria proxima baptismi.

DIco 1. Materia proxima baptismi est exterior aquæ ablutio. cùm baptismus in usu materiæ consistat, secundùm illud, *Baptizantes eos &c. Matth. 29.* id est abluentes. Huiusmodi ablutio est successivus contactus, quo aqua successivè corpus contingit. Hinc ad Baptismum non sufficit una gutta aquæ tam modica, quæ per corpus non fluit. Cùm hoc sit tantùm tangere & non abluere. Communis contra Vasquez. Per hoc tamen non intendo, requiri determinatam aquæ portionem, sed sit quæcunq; modò successivè corpori applicetur.

Dico 2. Si aqua vestes tantùm, pileum, vel quid simile extra carnem tangit, baptismus non est validus, quia nequit dici vera ablutio. Sed si panno, vel

pelle porosâ ſit obvolutus, ut aqua penetrans carnem contingat, valet baptiſmus, cùm verè dicatur ablutus. Sylv. V. Baptiſmus. Valet etiam baptiſmus collatus infanti ſub pelle ſecundina, quando non poteſt commodè ipsâ exui, nam tunc ad infantem pertinet, veluti eius pars. Samuel de Lublino v. Bapt: ex Sylv. multi tamen negant

Dico 3. Si pes vel manus tantùm abluatur, non eſt tutò baptizatus. cùm dubiè verificetur ablutus, quamvis in articulo mortis, ſi aliter fieri nequeat, in talibus partibus ſit ſub conditione baptizandus, quod ſi ſupervivat ſub conditione rebaptizandus. Armilla v. Bapt & alii. Quod à fortiori currit ſi digitus tantùm abluatur. Dubium etiam eſt, ſi capillos tantùm tangat. Nam Sotus in 4. d. 3. q. unicâ a. 7. affirmat. cùm capilli ſint capitis partes, vivant & creſcant. Bonac: q. 2. de Bapt: puncto 3 negat. Nam capilli non ſunt hominis partes, ſed ſuperfluitas & excrementum. Vnde miniſtri baptiſmi ſint cauti in aquæ infuſione, ut eam in ea copia faciant, quæ pertingat ad carnem & ſic diſputandi locus non erit, monet Opatovius diſp. 1. de Bap. q. 3 Nec tamen totum, vel medium corpus abluendum, ſed ſufficit caput, pectus, ſcapulas, vel aliam partem, modò verificetur ſubjectum ſimpliciter ablutum. Qui tamen extra neceſſitatem, relicto capite, aliam partem ablueret, peccaret mortaliter, quia in re gravi contra communem Eccleſiæ conſuetudinem faceret.

Dico 4. Deficiente aquâ terreſtri ac vaſe, poteſt infans ſubmitti aquæ v. g. ex tecto defluenti, eritq; baptizatus. Bonac. l. c. Cùm ſic ſit verè ablutus. Sed ſecurius eſt ſumere manu aquam & per ſe ipſum abluere. Sed dubitatur, ſi puer in articulo mortis conſtituatur, nullaq; exiſtat copia aquæ, niſi ex rapido flumine, vel profundo puteo, nec ſit vas ad hauriendam aquam, quid agendum? ℞. ex Arm: pannus funiculo in aquam dimittatur indeq; ſuper puerum cum baptiſmi forma, aqua exprimatur. Quod ſi pannus vel aliquid ſimile non habeatur, tunc baptizans puerum in caniſtro poſitum cum fune in aquam dimittendo immergat & ſic baptizet. cùm non ſit opus baptizantem & baptizatum ſe immediatè tangere. Sotus l. c. a. 8. Tabiena v. Bapt. Negotio tandem ad has anguſtias redacto, ut nec funis, nec vas habeatur, puerq; jam jam moriatur, non debet proijci in flumen ut baptizetur. nam non ſunt facienda mala ut eveniant bona, ad Rom. 6. Si tamen proijciatur (modo contingat aquam) Opatovius l. c. ex Soto docet eſſe baptizatum.

Dico 5. Baptiſmus tribus modis poteſt confici, ſc: immerſione, infuſione, & aſperſione: ſed ſervandus ſub p. m. in baptiſmo ſolemni propriæ Eccleſiæ ritus, niſi rationabilis cauſa excuſet. Vbi extat conſuetudo mergendo baptizare, non requiritur neceſſariò neceſſitate Sacramenti trina immerſio. peccaret tamen graviter propriæ Eccleſiæ morē nō ſervans, extra caſū neceſſitatis S. Th q. 66. a. 8.

Dico 6. Si Sacerdos trinâ immerſione baptizare intendens, unam vel alteram omittat, hoc eſt vel ipſe, vel baptizandus, nondum completâ ſecundâ vel tertiâ immerſione moriatur, erit verus baptiſmus. ſi in prima vel ſecunda merſione forma

ne forma

ne forma prolata. Cajet: supra q 66. a. 8um. Nisi fortè trinæ immersioni suam intentionem minister alliget, ita ut si non sequatur trina immersio, non intendat baptizare. ratio conclusionis. nam trina immersio non est de essentia, sed de congruentia Sicq; explicantur SS. Patres asserentes trinam immersionem esse necessariam, scilicet necessitate præcepti non Sacramenti Concilium autem Tolet. 4. Can. 5. Statuens unicam tantùm immersionem, explicatur etiam, dicendo, id statuisse. propter errorem rebaptizantium S. Th. l. c.

Dico 7. Si ex immersione puero mors immineret vel acceleraretur, deberet differri baptismus, vel si est periculum mortis, tenuibus guttis caput aspergatur, ne mors acceleretur. Soto l. c a. 8.

DISTINCTIO XIV.

De Forma Baptismi.

DIco 1. Forma Baptismi est ista. *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S amen Matt: vltimò euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* Baptizati debet exprimi persona, dicendo, baptizo te, vel istum, vel Petrum &c. Persona verò baptizantis non necessariò debet exprimi Tum quia ly. *Ego* includitur in ly baptizo, & tantùm ad majorem intentionis expressionem ponitur. Tum quia Græci validè baptizant, nec tamen personam baptizantis exprimunt, baptizant enim sic. *Baptizetur servus Christi N in nomine Patris &c.* id faciunt ad evitandum antiquorum errorem, attribuentium virtutem baptismi ministris, dicebant enim ego sum Pauli, ego Cephæ &c. actio tamen debet exprimi per verbum baptizo vel abluo, vel aliud æquivalens significans ablationem peccati per modum ablutionis.

Dico 2. Divinæ Essentiæ unitas & Personarum Trinitas necessariò sunt exprimenda. unde in forma baptismi dicitur, *in nomine* quod Essentiæ unitatem significat, dicitur, *Patris & Filij & Spiritus S.* quod Personarum Trinitatem denotat. Hinc dicens, ego te baptizo in nominibus Patris &c. non baptizat. Neq; secundùm quosdam si dicat in nomine Patris, in nomine Filii &c quia multa singularia æquipollent uni plurali. Sed Sotus satis probabiliter docet valere hanc formam, ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii &c. cum *ly Nomen* solùm multiplicetur propter majorem expressionem. Item non valet si baptizans dicat in virtute Patris & Filii &c. cùm *ly Nomine* plura comprehendat quàm virtus, nimirùm fidem, virtutem, authoritatem ex Innocentio C. 1. de Bapt.

Dico 3. Baptismus in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel trium Personarum, vel Dei, vel sanctæ Crucis collatus non valet, cùm distinctè non exprimantur S. Trinitatis Personæ, aliàs necessariò exprimendæ Quia cùm baptismus sit Sacramentum fidei, Deus voluit cum professione & confessione distincta obiecti principalis fidei administrari.

Dico 4. Baptismus in nomine Christi collatus, non tenet. S. Th. q 66. a 6. & alii.

& alii. Et licèt Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizaverint, id fecerunt ex speciali Dei dispensatione, ut IESU Christi nomen Iudæis & Gentilibus odiosum, honorabile redderetur. Notat tamen *Soto l. c. a. 6.* nunquam Apostolos in nomine Christi tantùm baptizasse, sed loco Filij posuisse, dicendo, *ego te baptizo in Nomine Patris & Iesu Christi & Spiritus Sancti, Amen.*

Dico 5. Dicendo, ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii sapientis & Spiritus S. clementis valet baptismus. Item, ego te baptizo in nomine Patris &c. & B. M. V. seu Sanctorum, modo non intendat sic baptizare, sicut in nomine Patris &c. aliás non baptizaret. Item, ego baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritua Sancta, ut temporibus Zachariæ Papæ quidam illiteratus baptizavit, quem baptismum decrevit Pontifex esse validum, quia licèt Patria non significet Patrem sed locum nativitatis, ut tamen est pars orationis corruptæ prolata ad intentionem Ecclesiæ, patrem significat. Item valet baptismus dicendo, ego te baptizo in nomine Filii & Patris &c. modò non intendat Filium esse principium Patris.

Sed an valeret baptismus datus, in nomine Genitoris & Geniti, & Procedentis ab utroque? affirmat Cajet. 3. p. q. 66. a. 5. Negandum tamen, quia expresse negat S. D. in 4. ad Annib. d. 3. q. unicâ a. 2. ad 4. Quia hæc nomina non sunt synonima. nam Pater, Filius &c. significant Personam ut hypostasim, Genitor verò ut actum notionalem.

Valet etiam baptismus, si loco baptizo dicatur lavo &c. non verò si dicatur mitto in aquam vel in balneum, vel intendo te baptizare. Item, si loco *ego* ponatur *nos* honoris causâ, valet. vel si baptizandus est nobilissimus, & dicatur baptizo vos. Richardus in 4. d. 3. a. 2. Tandem si ly *in* vel ly *&* omittatur, cûm adhuc sensus verborum subsistat. Opatovius de Bapt. d. 1. q. 4. Quod etiam procedit si utraq; particula simul omittatur.

Dico 6. Forma baptismi proferenda est cum aquæ ablutione, si non physicè & punctualiter, ut utraq; simul incipiat, simulq; terminetur, saltem moraliter, hoc est, ut verborum prolatio incipiat antequam ablutio finiatur, vel è contra ablutio incipiat, antequam verba finiantur. Erit tamen verus baptismus, si jam effusâ aquâ statim forma proferatur. *Sylv. & summa Sacerd. v. Bapt.*

Dico 7. Si, antequam forma compleatur, infans moriatur. v. g. dicitur, ego te baptizo in nomine Patris, & infans mox moritur. piè credendum est, summum Sacerdotem supplere defectum. consequenter, talis in loco sacro sepeliendus. Arm. v. Bapt. referens S. Thomam, & Samuel de Lub. dicit esse communem. Si ita baptizaretur adultus, saltem baptismo flaminis, salvaretur.

DISTINCTIO XV.

De Ministro Baptismi.

NOta, duplicem esse ministrum, scilicet, solemnitatis seu ex officio & necessitatis.

Dico

Dico 1. Minister Solemnitatis in baptismo est Sacerdos, ut definitur in Conc: Florentino in decreto Eugenij. Qui sit proprius Parochus. Per quod non excluditur Episcopus. cùm quod potest inferior possit superior. potest committi Diacono ut solemniter baptizet. Bonac: d. 7. de Cẽsuris q. 3. punc: 7. ex Cajet. & Soto.

Dico 2. Minister necessitatis est omnis homo Viator, quia cùm baptismus sit maximæ necessitatis, minister eius debet esse communis. Et sic in casu necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare possunt. Flor. cit. Non tamen baptizare potest Angelus bonus vel malus, vel anima separata *ex C. dedit.* Cùm non sint homo, nec valeant formam proferre vitaliter.

Dico 3. Dum in necessitate confertur baptismus servandus est Ordo. Quare infidelis non baptizet præsente fideli. nec mulier præsente viro. nec laicus præsente Clerico, &c. Sacerdos tamen potest, præsente Episcopo, cùm hoc sit munus eius. Et quidem hic ordo quandoq; sub mortali servandus. Quare non Sacerdos baptizans in præsentia Sacerdotis peccat mortaliter. Et non Diaconus in præsentia Diaconi, secundùm aliquos, cùm Diaconus ex vi suæ Ordinationis possit ex commissione solemniter baptizare. Item peccat mortaliter infidelis aut excommunicatus baptizando præsente fideli, aut non excommunicato. Sed inter alios non servare ordinem solùm est veniale. Dela-Cruz de Bap. q. 2. dub. 1. immo nullum, si inferior meliùs novit modum baptizandi ut obstetrix, quæ proinde examinanda à Parocho, teneturq; sub mortali scire formam baptismi. D. Antonius relatus in summa Dianæ v. Baptismi minister & alii. Sed Suarez in 3. p. tomo 3. disp. 21. Sec. 5. negat.

Dico 4. Non licet Sacerdoti infantem alterius Parochiæ solemniter baptizare, absq; necessitate, vel proprii Parochi, vel Episcopi licentia, licet factum teneat, aliàs graviter peccaret, vsurpando jus alterius. Non tamen excommunicationem vel irregularitatem incurreret, cùm hoc non sit in jure expræssum. D. Antoninus 3. p. tit. 14 C. 13. §. 4. Bonac. cum aliis de Bap. q. 2. punc. 5.

Dico 5. Si proprius Sacerdos sit aliquâ censurâ irretitus, debet baptismus ab alio recipi. Nam adultus recipiens baptismum extra casum necessitatis à notorie excommunicato peccat mortaliter & idem de cooperante ad recipiendum baptismum.

Dico 6. Dum proprius Parochus, non vult absq; pecunia baptizare, non licet ab eo baptismum recipere, ne simonia committatur. Licet tamen in tali casu, aquam etiam benedictam (cùm non ematur ut benedicta, sed ut aqua) à Sacerdote emere, si aliàs non possit haberi. Cinius in Cælo stellato, de baptismi ministro, referens Sotum.

Quod si ferens puerum ad baptismum, nesciat baptizare, nec habeat alium, & periculum sit, ne puer moriatur, Sacerdosque nolit baptizare, nisi dato pretio, tunc potest dari pretium, non pro baptismo sed ad evitandam pueri damnationem. Samuel de Lub. v. Bap. cum Caiet.

Si verò Miniſter ſit ita peruerſus, ut baptizare nolit, priùs quàm parens ju- ret, ſe dare pecuniam non ad redimendam vexationem, ſed ad emendã gratiam Sa- cramentalem, non licebit dare pecuniam, ne faciat hocquod Simon Magus cum S. Petro tentavit. Sot: cit: pecuniam tamen ſponte oblatam, licet recipere, immo & petere maximè vbi conſuetudo, & abeſt voluntas vendendi Sacramentum.

Dico 7. In nullo caſu licet ſeipſum baptizare Tum quia mutaretur ſubſtan- tialiter forma, dicendo, ego me baptizo Tum quia ſicut nemo poteſt ſeipſum generare, ita nec regenerare, Nec obſtat, quòd Innoc: 3. in quadam decretali dicat de Iudæo ſeipſum baptizante. Si deceſſiſſet abſq; alio baptiſmo ad patriam evolâſſet. Nam ad patriam evolaſſet, non propter baptiſmũ fluminis, ſed flaminis.

Dico 8. Vnus poteſt plures in caſu neceſſitatis baptizare, dicendo, ego vos baptizo &c. cùm forma non mutetur ſubſtantialiter. *Vos* enim ſignificat *Te* & *Te*, & ſic factum tempore Apoſtolorum, ob maximam baptizandorum multitudi- nem. S. Th. q. 66. a. 5. ad 4.

Dico 9. Duo non poſſunt baptizare unum, dicendo, nos te baptizamus, S. Th. q. 67. a. 6. oppoſitum habet Palud. & Durandus apud Cinium in Cælo Stella- to. Quia miniſter debet eſſe unus, cum in Chriſti Perſona, qui eſt unus, baptizet. Si verò uterque diceret, ego te baptizo &c. uterque ſuam exprimens intentionem, quaſi ipſe ſingulariter baptizaret, ut in caſu in quo uterq; contentiosè baptizare co- naretur, tunc verba priùs proferens baptizaret, alter verò nihil efficeret, ſed poti- us tanquam rebaptizatór, puniendus eſſet. Si autem ſimul verba proferrent, & ſimul immergerent aut aſpergerent, verè baptizarent, puniendi tamen eſſent ob in- ordinatum modum S. Th. quoad omnes partes l. c.

Dico 10. Puero in mortis articulo conſtituto, ſi adſint duo, quorum unus ſit mutus aquam fundens, alter verò ſit manibus truncus formam proferens, non valet baptiſmus. nam forma non verificaretur.

Dico 11. Validus eſt baptiſmus collatus ei, quem miniſter cœcus credit eſſe Petrum, vel maſculum, & eſt, Ioannes vel fœmina, modò non baptizet cum ex- cluſione cuiuſcunque, excepto Petro. Quamvis enim miniſter erret ſpeculativè, non tamen errat practicè, cùm intentionem dirigat in perſonam præſentem. ſi- cut valida eſt abſolutio impertita viro, qui putabatur fœmina. Victoria de Bap. q. 34. Vivaldus C. 5. n. 22. Hinc malè egerunt in Luſitania, quendam rebaptizantes; cui poſt multum temporis apparuerunt virilia. tantùm enim nomen fœmininum commutandum erat per Epiſcopum vel per alium in defectu, in maſculinum. Sotus in 4. d. 2. q. 5. a. 8, Adverte, licèt nomen in baptiſmo datum, poſſit quis propriâ authoritate mutare, cùm hoc non ſit prohibitum in jure, modò abſit fraus, tuti- ùs tamen ut id fiat authoritate Epiſcopi vel Principis, propter vitandam fraudis ſuſpicionem.

Dico 12. Apud Hæreticos ſervantes eſſentialia baptiſmi, baptizato, denuo non exhibendus baptiſmus. Trid Seſſ: 7. Can. 4. ſub anathemate talem bapti- ſmum eſſe validum definiens. Si autem ob aliquam cauſam probabile eſſet ba-

ptiſmum

ptismum non valere, sub conditione (quam mentaliter proferre sufficit) conferatur.

DISTINCTIO XVI
De Pueris Fidelium baptizandis.

NOta. Omnis homo viator est subiectum baptismi, juxta illud *Matth. 28. Baptizate omnes gentes*. Vnde nec Angelus nec anima potest baptizari, cùm non sit homo, nec mortuus, cùm homo mortuus non sit verè homo, nec beatus, cùm non sit viator. nec ex bruto & fœmina genitus. Quia non censetur verus homo.

Dico 1. Puer in utero matris existens nequit baptizari, etiam imminente mortis periculo. Can. si ad matris de Cons. d. 4 Vnde D. Aug. Epist. 57 ad Dardanum *Nemo renascitur, nisi priùs nascatur*, ita etiam S. Th. q 68. a 11. & omnes. quia talis puer nequit ablui. Si tamen aqua intra uterum posset fundi & infans ablui, valere baptismum, ait Vict. de Bapt. n. 32 & alii.

Cajetanus supra locum cit. D. Thomæ docet, parvulos in maternis uteris periclitantes posse salvari per Sacramentum baptismi, non in re sed in voto parentum, susceptum cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione parvuli ad Deum cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis. Sed hoc communiter reprobatur. cùm tantùm sit unus modus salvandi parvulos extra baptismum sc. per martyrium.

Infantes ergo sine baptismo decedentes ad lymbum puerorum descendunt, non quidem pœnâ sensûs v. g. calore, frigore &c. cruciandi, cùm peccato personali careant, sed pœnâ damni sc: privatione visionis beatæ.

Dico 2. Licet mulier infidelis habens in utero puerum, imminente periculo baptizetur, non per hoc etiam puer baptizatur. S. Th. q. 68. a. 11. ad 2. Nam puer in ventre non est aliquid matris per continuationem, sed per colligationem, sicq; à matre per ordinem ad baptismum omnino distinctus.

Dices. Si baptismus matris puero non suffragatur, ergo nec martyrium, quod est contra omnes. ℞. Disparem esse rationem, quia ad puerum tunc aquæ effusio non pertingit, estq; Ecclesiæ militanti ignotus. benè verò potest ad eum pertingere mors, estq; Deo notus, qui eum baptismo sanguinis mundat.

Dico 3. Non licet matrem incidere, ut puer, imminente periculo baptizetur. S. Th. l. c ad 3. nam non sunt facienda mala ut eveniant bona. & hoc verum, licet ex consilio Medicorum in partu moritura, vel ad mortem condemnata. Sed tunc differri debet judicium donec pariat. *L. negat ff. de statu hominum*. at matre mortuâ & puero adhuc in ventre vivente, debet quantociùs Mater aperiri, ut puer baptizetur. Ne verò suffocetur, os matris aliquo instrumẽto apertũ teneatur.

Dico 4. Infans ex utero matris extractus, & domi sine solemnitatibus baptizatus, & deinde mortuus, in loco sacro est sepeliendus, cùm charactere Christi sit insignitus, & sit Christianus. Quòd si absq; baptismo decedat extra Ecclesiam vel cœmeterium sepeliendus, modò non sit in matris utero, tunc enim cum ea tumulan-

tumulandus. Sylv. v. Sepultura. Et sepeliens huiusmodi, extra casum dictum, in loco sacro, peccat mortaliter. Sylv. & alii.

Dico 5. Si baptizans, parens, & susceptor, sint infideles, verè tamen baptizatur infans, cum Ecclesiæ intentio sufficiat. ait enim D. Aug. epist. 25. ad Bonif: tomo 2. *Offeruntur parvuli ad suscipiendam spiritualem gratiam, non ut ab eis, quorum gestantur manibus, quàm ab universa Societate Sanctorum, atq; fidelium.*

DISTINCTIO XVII.

De Pueris infidelium baptizandis.

Dico 1. Pueri infidelium rationis usu carentes validè baptizantur invitis parentibus. S. Th. q. 68. ar. 10. & alii contra Palud. Sylv. & Dur. Quia positâ causâ sufficienti, ut accidit in casu allato materiâ & formâ & Ecclesiæ intentione, ponitur effectus. Non licet tamen baptizare filios infidelium, qui politicè tantùm & civiliter subsunt Ecclesiæ, seu principibus Christianis vel Ecclesiasticis invitis eorum parentibus. S. Th. q. 68. a. 10. *Dixi qui politicè tantùm & civiliter subsunt.* Nam filios indefilium, qui sunt vera Christianorum mancipia, invitis parentibus baptizare licet. Gonet in manuali Thom: de Bap. C. 6. Opatovius disp. 3. de Bap. q. 3. Nam tali Domino licet, servus vendere, donare, & quo voluerit mittere, ergo etiam eorum filios à parentibus separare. Quâ separatione licitè contra voluntatem parentum factâ, cur non licebit eos baptizare? Idem, & quidem à fortiori currit de Apostatarum filiis. Sicut enim ipsimet Apostatæ, censuris & pœnis corporalibus cogi possunt ad fidem servandam, ita eorum filii, ijs invitis baptizari possunt.

Dico 2. Si Pater ad fidem conversus in filii baptismum consentiat, matre infideli reclamante, vel è contra, baptizandus est infans. Sic Greg. IX. C. ex literis, tit. de conversione infidelium. Sicq; filius dari debet parenti ad fidem converso. cùm melior conditio parentis Christiani. Multò magis filius ex uno parente jam Christiano natus, præsertim patre, est baptizandus. Quia pater est præcipua causa filii. Id etiam verum, si filius ex matre tantùm Christiana natus. cùm partus sequatur ventrem. Id etiam sequitur ex authoritate Greg. IX. allegata.

Dico 3. Infidelium filii jam jam morituri debent invitis parentibus baptizari. Quia subveniendum est maximè indigenti. nec tunc adest periculum subversionis, & reditûs ad suam fidem. Sotus apud Opatov. l. c.

Dico 4. Si puer rationis usum habet & petit, baptizandus est invitis parentibus, consequenter ab illis separandus. Quia quantum ad ea, quæ sunt juris Divini vel naturalis, est suæ potestatis. S. Th. q. 68. a. 10. In dubio autem usus rationis, sufficit esse septem annorum, nam sic censetur habere usum rationis. Bonac. de Bap. q. 2. punc. 6. n. 11. & alii. Quod si ante septennium dubitatur an puer habeat usum rationis, est ne invitis parentibus baptizandus, si petit baptismum? Bonac. l. c. negat. Sed affirmativam partem colligo ex Soto à Bonac. relato, qui absolutè

absolutè docet in dubio de usu rationis baptizandum esse, si petit, ratio etiam, quòd in dubio declinandum sit in favorem fidei, tam ante quàm post septennium, militat. Adverte non posse certum tempus usus rationis determinari. cùm juxta complexionem possit prolongari vel accelerari.

Dico 5. Infidelem non licet ad baptismum cogere. Quia non licet ad fidem cogere. quæ prærequiritur ad baptismum. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit Matth. ultimo* Quod autem non liceat infideles ad fidem cogere, docet S. Th. 2. 2. q. 10. a. 8.

DISTINCTIO XVIII.

Examinantur reliqua de subiecto Baptismi.

DIco 1. Si quis coactè coactione accidentali, v. g. timore pœnæ, potius eligat baptizari quàm cruciari, modò interiùs consentiat, recipit baptismum saltem quoad characterem. Quia omnia requisita concurrunt. Quare ut validè baptismus recipiatur, requiritur intentio. ut licitè, fides, item contritio, vel saltem attritio ex motivo supernaturali.

Dico 2. Amentibus à nativitate nulloq; lucido intervallo gaudentibus, conferendus est baptismus in fide Ecclesiæ, sicut pueris rationis usu carentibus. Si autem lucida intervalla habent, etiam baptizari debent in amentia, si tempore lucidi intervalli voluntatem habuerunt, modò periculum mortis timeatur, aliàs rationis lumen expectandum. Quòd si tempore lucidi intervalli intentio non appareat, non baptizentur. Lapsis ex sana mente in amentiam, si antea baptismũ petierunt, debet conferri baptismus in amentia, licèt tempore amentiæ renuant. aliter dicendum, si antea baptismum non petierunt. S. Th. quoad omnes partes q 68. a. 12. de furiosis idem. Idem etiam de dormientibus, si antea petierunt. cùm sufficiat intentio habitualis in recipiente tales tamen non baptizandi nisi imminente mortis periculo. S. Th. l. c. ad 3. Vnde S. Aug. L. 4 Confess. C. 4. narrat de quodam amico suo, qui ob mortis periculum nesciens est baptizatus.

Dico 3. Maniaci, qui scilicet habent sufficientem usum rationis ad judicandum de sua salute, & sciunt virtutem baptismi, etsi circa alia careant usu rationis, possunt baptizari, si volunt. S. Th l. c.

Dico 4. Peccator debet baptizari. loquendo de peccatore ob peccatum præteritum, vel originale, vel etiam actuale, ut in adulto Non verò loquendo de peccatore habente animum in peccato persistendi Nam per baptismum homines Christo incorporantur ad Gal. 3. *Quicunq; baptizati estis, Christum induistis.* Nemo autem in peccato persistens potest Christo incorporari. S. Th. l. c. a. 4. Ex quo patet, si dormientes, amentes &c. dum sana mente gaudebant, baptizari volebant, sed morali certitudine ex aliquibus signis colligitur habuisse intentionem in mortali perseverandi, immediatè ante amentiam &c. ut est in concubinarijs & similibus, non sunt baptizandi

Dico 5. Baptizati, exiſtentes in actuali affectu ad peccatum mortale, recipiunt baptiſmum quoad characterem, non quoad gratiam, recedente tamen fictione ſeu impedimento, baptiſmus ſortitur ſuum effectum, hoc eſt peccata ante baptiſmum commiſſa quoad culpam & pœnam delet. S. Aug. apud S. Th. q. 69. a. 10. ait enim *tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit.*

Quæritur, per quid tollatur fictio impediens fructum baptiſmi? ℞. Fictio poſt baptiſmum continuata, tollitur, non per baptiſmum, ſed per pœnitentiam. cùm ſit peccatum hominis baptizati pertinens ad claves Eccleſiæ. & de hac fictione loquitur D. Th. l. c. ad 2. & 3. Secus ſit de fictione ſolùm comitante baptiſmum, ut cùm quis baptizatur ſine attritione. Nam iſta fictio, ſicut & peccata antecedentia & concomitantia baptiſmum, tollitur per veram attritionem habitam antequam homo de novo peccet mortaliter, cum baptiſmo præcedente. Dela-Cruz de Bapt. q. 4. d. 4. Et ratio quoad peccata concomitantia. Nam non major diſpoſitio exigitur ad hoc ut baptiſmus antea collatus communicet ſuum effectum, quàm tunc quando actu confertur. Hic caſus de peccato baptiſmum concomitante eſſe poteſt, ſi quis in media verborum prolatione retractet affectum peccati, & quia res citò agitur, ante terminum prolationis formæ non atteratur, vel etiam ignoret id eſſe neceſſarium.

Ex hoc habes peccata, tantùm baptiſmũ concomitantia, nõ eſſe materiam cõfeſſionis.

Dico 6. Adulti in mortali exiſtentes & ad baptiſmum accedentes non tenentur confiteri, cùm ante baptiſmum, uſus clavium Eccleſiæ, locum non habeat, ſed ſufficit attritio ex motivo ſupernaturali. Quòd ſi ex devotione petant confeſſionem audiantur, non ad dandam abſolutionem vel ſatisfactionem, ſed inſtructionem. S. Th. quoad omnes partes, q. 78 a. 6.

Dico 7. Si quis ex aliquo caſu non fuit verè baptizatus, & hoc ignorans moritur, ſi ſine mortali decedit, ſalvatur baptiſmo flaminis. Quòd ſi fiat Sacerdos piè credendum eſt facta per eum tenere, & Eccleſiam, defectum ſupplere. refertur pro hoc B. Albertus M. per Sylv. de Bap. & ſumma Angelica. Si tamen error deprehendatur, actiones per talẽ factæ repetãtur. Quia tunc Eccleſia ceſſat ſupplere.

Occaſione huius Conclus. Quæritur. An expoſiti infantes, qui reperiuntur ad portas Eccleſiæ vel Hoſpitalis ſine ſcripto, & ſint ita tenelli, ut judicentur paucorum dierum, baptizari debeant?

℞. Quòd ſic. ſed ſub conditione. eſt enim magna præſumptio quòd non ſint baptizati, quia impudicæ mulieres totæ ſunt tegendo ſceleri, & de ſalute ſpirituali infantis nihil curant. Quod etiam faciendum, ſi puer videretur unius menſis. quia quandoq; infantes adeo magni naſcuntur, ut ante menſem nati videantur.

Sed quid dicendum ſi infans ſchedulam baptiſmi collo appenſam habeat? Adhuc ſub conditione baptizandum eſſe docet Marchantius tr. 2. de Bap. C. 2. q. 4 Quia teſtimonium ſchedulæ non eſt certum, & in dubio inclinandum eſt in favorem infantis, nec ſit injuria Sacramento, cùm apponatur conditio. Adde

quòd

quòd ſchedula ſignificat baptiſmum collatum à muliercula, quæ præcipuè in tenebris & ſolicitatione, prudenter creditur errorem in eſſentialibus commiſiſſe. Sed contrarium alii tenent. nam cùm ſchedula adſit, moraliter certum eſt, baptizatum eſſe.

Dico 8. Dum adultus, actu baptizatus nihil de baptiſmo cogitat, recipit Sacramentum, cum ſufficiat intentio virtualis, imò habitualis, in ſuſcipiente enim non requiritur tam perfecta intentio, ac in miniſtro. hinc amens in articulo mortis baptizandus eſt, ſi antea aliquando baptiſmum petiit, credendo eandem volūtatem perſeverare. V. N. Labat de Sac. d. 1. d. 7. §. 2. colliges hoc intercedere.

Dico 9. Monſtrum quod capite & pectore formam beſtialem refert, non eſt baptizandum Quia non cenſetur homo. Quod ſi caput tantùm ſit ferinum, ſecundùm Comitolū baptizetur, ſecundùm alios expectetur, donec certiùs cognoſcatur, niſi immineat mors, tunc enim, ſed ſub cōditione, baptiſmus cōferendus.

Dico 10. Monſtrum maris & fœminæ formam repræſentans eſt baptizandum. cùm ſit homo, animâ rationali & corpore conſtans.

Sed quomodo baptizandum, quando cum duobus capitibus vel alio modo apparet? ℞. hanc eſſe regulam. Quando eſt unum individuū, vnâ formâ eſt baptizandum, vbi verò ſunt duo individua duplicandus baptiſmus. Tunc autem ſunt duo individua, quando ſunt duæ animæ rationales, & tunc ſunt duæ animæ, quando ſunt duo capita & duo pectora diviſa, quod ex operationibus, cognoſcitur, ſi v. g. uno vigilante alterum dormiat &c. & tunc bis baptizandum, vel ſaltem unico actu (abluendo tamen utrumque) ſi urgeat mortis neceſſitas, dicendo, ego vos baptizo &c.

Si verò non appareat clarè duplici animâ conſtare, v. g. ſi habeat duo capita ſub uno pectore, vel viceversâ, vtatur miniſter duplici baptiſmo, uno abſoluto ubi perfectius caput vel pectus viget, alio conditionato in parte minus perfecta. Sylv. v. Bapt. & alii.

Dico 11. Si in monſtro ſit unum caput, & inde ex umbilico alter homuncio ab humeris integer pendeat, tunc tale monſtrum ut unum ſuppoſitum baptizandum, poteſt tamen ille pendulus homuncio, ſub conditione baptizari, ſecundùm Soto in 4. d. 3. q. 1. a. 9. & Bartholomæum ab Angelo, cuius ætate tale monſtrum natum.

DISTINCTIO XIX.

De effectibus Báptiſmi.

Dico 1. Multi ſunt effectus baptiſmi, ut patet ex Tertulliano L. de Bap. C. 3. è quibus ſex numerat. Pater Gonet in Manuali Thom: de Bapt. C. 8. Primus & præcipuus eſt remiſſio peccati originalis & omnium actualium baptiſmum præcedentium. per baptiſmum enim Chriſtianus fit novus homo, creatus in Chriſto Ieſu, proinde nihil in eo remanet de vetuſtate peccati. ex S. Th q. 69. a. 1. Se-

a. 1. Secundus baptiſmi effectus eſt totius pœnæ peccato debitæ plenâ remiſſio, abſq; ſatisfactione. ex S. Th. q. 68. a. 5 & 6. proinde patefactio aditus in regnum cælorum abſq; dilatione, ſi quis poſt baptiſmum ſine novo peccato moriatur, ex S. Th. q. 69. a. 7. Tertius baptiſmi effect⁹ eſt infuſio gratiæ juſtificantis, & virtutũ ac donorum eam concomitantium ex S. Th. q. 69. a. 4. & 6. Quartus effectus baptiſmi eſt jus ad auxilia fini eius proportionata, nempè ad ſanctè & Chriſtianè vivendum, ut decet filios Dei adoptivos. ex S. Th. q. 62. a. 2. Quintus eſt unio moralis cum Chriſto ut capite ad participanda ipſius merita. ex S. Th. q. 69. a. 5. Sextus baptiſmi effectus eſt character. de quo S. Th. q. 63. a. 1. & ſequentibus. Præter hos effectus qui ſunt ex inſtitutione Chriſti, eſt alius ex determinatione Eccleſiæ, ſc: ablatio irregularitatis, de qua in 3. & 6. concluſione. & cognatio ſpiritualis de qua in ſequenti.

Dico 2. Baptiſmus omnibus baptizatis confert æqualem effectum, loquendo de effectu ad quem, eſt per ſe inſtitutus, qui eſt gratia, virtus, peccatorum remiſſio &c. ne dum pueris ad baptiſmum æqualiter ſe habentibus, verum & adultis æqualiter diſpoſitis; ſecus, ſi cum majori vel minori diſpoſitione accedant, ſi ſermo ſit de effectibus magis & minùs ſuſcipientibus.

Dixi, *ad quem eſt per ſe inſtitutus.* Nam loquendo de effectu accidentario, ad quem baptiſmus non eſt inſtitutus, ſed Divina virtus miraculosè operatur, ut lex v. g. peccati, quæ in membris noſtris regnat, extinguatur, non æqualem confert effectum, etiamſi ſit æqualis diſpoſitio, ſed juxta divinæ providentiæ ordinem pueris & adultis diſpenſatur. S. Th. q. 69. a. 8.

Dico 3. Baptiſmus tollit omnem irregularitatem provenientem ex delicto, Panorm. in cap. Gaudemus de divor. Arm. v. irreg. Provenientem ex homicidio non peccaminoſo. Arm. ex C. Si quis Viduam d. 50. Non autem provenientem ex bigamia. Cap. Acutius d. 26. Nec irregularitatem ex defectu natalium ortam. Sylv. de Bap. Arm. v. irreg. unde ſpurius infidelis & deinde baptizatus, nequit ad ordines, dignitateſq; promoveri abſq; diſpenſatione.

Dico 4. Licèt baptiſmus præſentis vitæ pœnalitates auferre poſſit, non tamen eas ante reſurrectionem tollit. ut homines in ſpirituali pugna victoriam reportent, item ne propter præſentis, ſed potius futuræ gloriæ commoda, ad baptiſmum accedant S. Th. l. c. a. 3.

Dico 5 Baptiſmus non liberat à pœnis in foro externo debitis, v. g. propter homicidium, furtum &c. & ſic baptiſmus non tollit à fure ſuſpendium. cùm homines debeant ædificari ex pœna, ſicut ſcandalizati fuerunt ex culpa. unde poteſt quis in judicio accuſari de perpetratis ante baptiſmum. Piè tamen talibus princeps poſſet indulgere. S. Th. l. c. a. 2 ad 3.

Dico 6. Baptiſmus nullum liberat à ſervitute. cùm hoc non ſit in jure expreſſum. Barthol: ab Angelo & alii. Nec liberat à reſtitutione; cùm retinere alienum, ſit lædere proximum. S. Th. q. 68. a. 5. ad 3 Liberat tamen ab infamia ſequente peccatum in ratione peccati. Gloſſa in C. ſine pœnitentia, de conſc: d 4.

DISTIN-

DISTINCTIO XX.

De ritu Baptiſmi.

NOta. Tres præcipuè ſunt ritus baptiſmi. Catechiſmus. exorciſmus, & Patrinus. Catechiſmus ex græco ſignificat credendorum inſtructionem, hinc catechumeni dicuntur, qui ante ſuſceptionem baptiſmi de fide inſtruuntur. Exorciſmus ex græco ſignificat adjurationem per res ſacras, quâ dæmones ab hominibus pelluntur, ne eis noceant. Tandem Patrinus eſt, qui baptizandum offert & tenet & pro eo fidem profitetur. per quod oſtendit, ſe infantem in ſuam curam recipere, & ſic obligatur ipſum de fide & aliis ad ſalutem æternam neceſſariis inſtruere.

Quoad Primum.

DIco 1. Licèt pueri non ſint inſtructionis capaces, congruè tamen utitur Eccleſia catechiſmo in baptiſmo eorum, quia baptiſmus eſt Sacramentum fidei, fides autem non habetur niſi per inſtructionem, dicente Apoſt: ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante?* Vnde ſicut Eccleſia pueris baptizandis aliorum pedes accommodat ut ad baptiſmum veniant &c. ita aliorum aures ut catechiſmum audiant, & intellectum ut inſtruantur, præbet. S. Th. q. 71. a. 1. ad 2. debet autem baptiſmum præcedere catechiſmus. Rabanus apud S. Th. l. c. ubi ſcias, Sacerdotis eſſe munus catechizare, ex Nicolao Papa, apud S. Th. l. c. a. 4.

Dico 2. Catechiſmus eſt inſtitutus, propter fidei ſuſceptionem, profeſſionem, & obſervationem. Scrutinium Sacerdotale de Catechiſmo. Obſerva, fidei ſuſceptionem, profeſſionem & obſervationis curam, per ſe ipſum ab adulto requiri & promitti, à puero verò per Patrinum dicentem. Credo &c.

Quoad Secundum.

DIco 1. Eccleſia utitur exorciſmo ad pellendos dæmones à baptizandis, aliquam poteſtatem ſuper eos habentes ob peccatum originale, vel etiam actuale, ut in adultis. Debet baptiſmum præcedere, ne hominis ſalus impediatur. Pertinet autem ad Sacerdotem exorcizare tanquam ad cauſam principalem, ad Lectorem & Exorciſtam tanquam ad cauſam inſtrumentalem, ſicut & catechizare. S. Th. q. 71. a. 4. ad 1. & 2.

Dico 2. Ea quæ fiunt in exorciſmo, duo efficiunt. ſcilicet excludunt baptiſmi impedimentum extrinſecum & intrinſecum, extrinſecum, hoc eſt dæmonem, ne baptiſmum & alia bona impediat, intrinſecum, in quantum ſenſus ad percipienda ſalutis myſteria præcluſi aperiuntur. S. Th. l. c. a. 3.

Quoad Tertium.

DIco 1. Præter baptizantem requiritur Patrinus in baptiſmo ſolemni Quamvis adultorum. Huius officium eſt, vt eius quem de ſacro fonte ſuſcepit curam gerat in his, quæ ad fidem & ſalutem æternam ſpectant Hæc obligatio eſt

ſub mortali, quia in facie Eccleſiæ ſe obſtrinxit. Opat. de Bap. diſp. 2. q. 4. Sed D. Th. q. 67. a. 8. excuſat ab hac cura Patrinos, quando vident à ſe ſuſceptos inter Catholicos converſari. nec in hoc contrariatur citatus Doctor.

Ex quo colliges hæreticos non poſſe pro Patrinis admitti. Nonnulli dicunt poſſe ob gravem cauſam. Catholici tamen ob rationabilē cauſam poſſunt infantē hæretici baptizante prædicante ſuſcipere, ſaltem ubi hæreſes impunè graſſantur.

Dixi à principio concluſionis, *in baptiſmo ſolemni*. Nam in baptiſmo privato & neceſſitatis, Patrinus non eſt neceſſarius. Quòd ſi adhibeatur non contrahit cognationē ſpiritualē, ut docui in Supp. Moſc. tit. 5. q. 17. ex Led. & Dela-Cruz.

Dico 2. Non Baptizatus nequit admitti ad officium Patrini, & factum non tenet ſi admittatur. quia non poteſt eſſe pater ſpiritualis, qui nondum ſpiritualiter natus. Pueri etiam & qui non habent uſum rationis, officium Patrini non poſſunt ſuſcipere. Propterea Spirituale Pariſienſe Cap. de adminiſtratione baptiſmi jubet, ut maſculi annorum tredecim, fœminæ infra duodecimum ad officium Patrinorum admittantur. Panormitanus relatus ab Opatovio diſp. 1. de Bap. q. 4. Vult eſſe annorum octodecim. ut tamen hi contrahant cognationem ſpiritualem non requiritur determinata ætas, ſed ſufficit uſus rationis. Item mutus ab hoc munere excluditur. Idem ſtatuitur de Abbatibus cum ſuis Monachis, niſi de Abbatibus conſuetudo oppoſitum ſuadeat. De Religioſis Mendicantibus eſt diverſitas opinionum. Quod ſi Monachi Patrinum agant, factum quidem tenet, ſed peccant, non tamen mortaliter ſecundùm Cinium contra Sotum. Nec parentibus carnalibus conceditur fungi actu Patrini. nam ex hoc ſequitur cognatio ſpiritualis, unde non eſſet illis liber uſus matrimonii, niſi Epiſcopus diſpenſaret. conceditur tamen parentibus exercitium Patrini in defectu aliorum. S. Th. q. 67. a. 8. ad 2. Sed inde etiam oriri cognationem ſpiritualem, & impediri vſum Matrimonii docet Bonacina cum aliis q. 4. de m. punc. 2. non enim ad hoc etiam in defectu aliorum parentes coguntur, cùm ſuſceptio infantis non ſit de neceſſitate baptiſmi. Sed non impediri uſum Matrimonii in tali caſu docet Opatov. de Bap. diſp. 2. q. 4. & alii apud Bonac. l. c. Immo Konich diſp. 34. de Sac. d. 8. ex Durando & aliis docet cognationem ſpiritualem Matrimonio etiam culpabiliter ſupervenientem non impedire uſum matrimonii. cùm hoc in jure non ſit expreſſum. Sed à ſentētia D. Th. in 4. d. 42. q. 1. a. 1. S. Bon. ibid. a. 1. q. 1. & aliorum non eſt recedendum, qui id ex jure deducunt.

Dico 3. Ex Opatov. l. c. ad contrahendam ex uſu Patrini cognationem ſpiritualem quatuor requiruntur conditiones. Prima ut baptizandus in baptiſmo ſolemni offeratur & teneatur. Vnde ſi contingat puerum privatim ob periculum mortis baptizari, & poſtea in Eccleſia ſuppleri ſolemnitates, illi qui eum tenent non contrahunt cognationem ſpiritualem, licèt etiam in privato baptiſmo tenuiſſent. cùm ad contrahendam cognationem ſpiritualem ſit neceſſarius tunc contactus, quando infans actualiter ſolemniter baptizatur ut colligitur ex quadam declaratione Card. cujus memini in Supplem. tit. 5. q. 7. quæ loquitur de baptiſmo

ſmo ſolemni, quia loquitur de baptiſmo de quo Tridentinum, Tridentinum autem loquitur de ſolemni, dum ait, quòd Parochus interroget, qui ſint Patrini.

Sed dubitatur primò, an contrahatur cognatio ſpiritualis dum baptiſmus ſub conditione confertur? affirmat Opatov. l. c. Sed ſi cognatio ſpiritualis ſub odioſis comprehenditur, non eſt extendenda niſi ad caſus in jure expreſſos, vel inde per communem ſententiam deductos.

Dubitatur 2. an baptizans in extrema neceſſitate contrahat impedimentum dirimens, ita ut matrem baptizati in coniugem habere nequeat? Reſpondeo ſententiam affirmativam eſſe communem.

Secunda conditio, ut Patrini contrahant cognationem ſpiritualem eſt, ut non ſit error perſonæ, niſi adeſſet intentio ſuſcipiendi, quicunq; ille ſit.

Tertia, ut ſuſcipiens ſit baptizatus, quia non baptizatus non ſubjicitur Eccleſiæ, ex cujus diſpoſitione oritur cognatio hæc & eadem ratio de parente infantis. Quare qui baptizavit infantem mulieris infidelis, ſi convertatur, poteſt duci in Vxorem, quia cognatio non reſultat ex illius converſione ait Opat. l. c.

Quarta, ut à parentibus vel ſaltem à Parocho deſignentur, unde ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, ſpiritualem cognationem nullo modo contrahunt. ait Trid. Seſſ. 24. Cap 2.

Dico 4. Sufficit unus Patrinus vel una Matrina, vel ad ſummũ unus & una, ex Trid. Seſſ. 24. C. 2. Si plures, committitur mortale. Bonac. de Matr. q. 3. puncto 5. §. 2. & alii contra Sanchez. Quia violatur præceptum Eccleſiæ in re gravi. Non poſſunt aſſumi duo viri, ut unus ſuppleat vices mulieris, ex declaratione S. Cong. apud Fernandez de Patrinis, factum tamen tenere puto, ſicut dum plures aſſumuntur ad officium Patrinorum quàm duo, contrahunt cognationem ſpiritualem ut communiter docetur contra Suarez.

Quare Parochus diligenter inquirat, quem velint parentes ad hoc officium. Horum nomina deinde conſcribat & doceat, quam ſpiritualem cognationem cõtrahant. Si Parochus plures, quàm duos permittat, ab Ordinario loci puniatur, ut habet Trid cit. immo ſi Parochus contra voluntatem parentum aliquem admittat, non contrahit cognationem ſpiritualem, quia cenſetur non eſſe aſſignatus, deſignare enim non pertinet ad Parochum, niſi in defectu. Bonac. l. c. ſicut & ille non contrahit cognationem ſpiritualem, qui ex juſta cauſa reprobatur, à Parocho v. g. quia eſt hæretic⁹, ita enim ſe habet acſi non eſſet deſignatus Bon. l. c. Plura de cõtractione cognationis ſpiritualis. V. in Sup. Moſ. l. c. & apud alios.

DISTINCTIO XXI.

Examinantur reliqua de ritu Baptiſmi.

DIctum eſt ſupra tres præcipuè eſſe ritus baptiſmi. nam abſolutè loquendo ſunt plures, quorum determinatus numerus deſumendus ex Agenda cuiuſq; Eccleſiæ. Ex his alii antecedunt, alii concomitantur, alii conſequuntur baptiſmum.

Propter tres præcipuè causas huiusmodi ritus instituti. Primò ad excitandam fidelium devotionem, & reverentiam erga baptismum, ne à simplicioribus per modum simplicis ablutionis apprehendatur. 2dò. ad fidelium instructionem, simplices enim literis carentes oportet per signa sensibilia erudire. 3tiò. per hujusmodi ritus vis dæmonis cohibetur. Non tamen sunt de necessitate Sacramenti sed præcepti tantùm, unde omittens sine causa vrgênti mortaliter peccat, ut docet S. Th. q. 71. à. 3; ad 3.

Dico 1. Ritus baptismum antecedentes sunt. 1. Interrogatio quid petatur. 2. exsufflatio. 3. Crux in fronte & pectore baptizandi. 4. impositio manus super caput. 5. immissio salis in os infantis. 6. exorcismus. 7. signum Crucis in fronte infantis. 8. impositio manus super caput eiusdem. 9. impositio extremitatis stolæ super eundé & introductio in Ecclesiam. 10. exorcismus antequam accedatur ad baptisterium. 11. tanguntur aures & nares salivâ Sacerdotis. 12. fit abrenunciatio Sathanæ. 13. Oleo Catechumenorum ungitur in pectore & inter scapulas in modum Crucis. 14. Interrogatur an credat. 15. an velit baptizari.

Dico 2. Ritus baptismum concomitantes sunt. 1. Quòd conferatur in loco sancto ad id deputato, nisi causa rationabilis aliter suadeat, ut fit dum filii Catholicorũ in locis hæreticis baptizantur. Sciendum tamen, cum nobilibus quoad hoc in multis locis conniveri. 2. quòd conferatur in aqua ad hoc pridie Paschæ aut Pentecostes per infusionem chrismatis & aliàs cæremonias consecrata. *Adverte,* si hæc non habeatur, alia pro casu necessitatis ex tempore consecretur, per formulam brevem in nonnullis Agendis habitam. Si hæc etiam desit, accipiatur aqua benedicta communis. 3. Patrini tenent puerum. 4. imponitur nomen infanti.

Dico 3. Ritus baptismum consequentes sunt. 1. Vngitur chrismate in summitate capitis in modùm Crucis. 2. datur vestis candida. 3. candela accensa puero vel Patrino traditur.

Hæ cæremoniæ in baptismo privato prohibentur per Clementinam unicam. Patrinus tamen solet adhiberi, sed non necessariò. sine scrupulo etiam nomen imponeretur, & aqua benedicta communis adhiberetur. dato etiam quòd in loco sancto, ob proximam commoditatem fieret, sub prædicta prohibitione contineri non censeretur.

QVÆSITVM
Quid significent hi ritus?

℞. EXsufflatio, & idem de exorcismo, significat diaboli expulsionem & Spiritûs Sancti introductionem. Quid crux, in fronte & pectore, mox patebit. Benedictio cum manûs impositione, designat præclusam diabolo viam ne redeat. Positio salis benedicti in os pueri significat fidelium sermonem debere esse discretionis sale conditum. Impositio extremitatis stolæ super infantem, denotat partem cum Christo in vita æterna. Aurium & narium cum sputo linitio, ut aperiantur

tur aures ad audienda Dei mandata, & nares ad percipiendum Dei notitiæ odorem. Inunctio oleo facta in pectore & inter ſcapulas, hominem fieri pugnatorem contra diabolum. In vertice capitis chriſmate per modum crucis unctio, hominem vexillum militiæ Chriſti in ſupremitate capitis præſeferre, & deinceps Chriſtianum à Chriſto dici. Candidæ veſtis receptio ſignificat novitatem vitæ. Tandem cerei accenſi in manum baptizati traditio, ſignificat lumen fidei, cuius Sacramentum eſt baptiſmus, vel morum claritatē, vel etiam doctrinæ veritatem,

Dico 4. Solemnitates baptiſmi ob neceſſitatem vel aliam gravem cauſam omiſſæ, deinde ſupplendæ ut eò faciliùs effectus, quem tales ſolemnitates præſtant, habeatur, S. Th. q. 71. a. 3. ad 3 Hoc tamen in hæreticis ad fidem converſis non practicatur, ne plebs putet eorum baptiſmum fuiſſe nullum,

Sed dubitatur, an ſi poſt peractas cæremonias, comperiatur puerum non fuiſſe baptizatum, repetendæ ſint hujuſmodi cæremoniæ? affirmat Vict: de Bap. negat Fernandez cum Vivaldo, argumento ducto à cæremonijs matrimonii, poſtquas ſi ob impedimentū deprehendatur matrimonium eſſe nullum, domi eſt ſecretò celebrandum propter vitandum ſcandalum, amoto tamen priùs impedimento per diſpenſationem. Quod idem videtur dicendum de baptiſmo nulliter facto in publico.

DISTINCTIO XXII.

De natura, inſtitutione & neceſſitate Sacramenti Confirmationis.

NOta. Confirmatio appellatur manûs impoſitio, ex modo dandi eam: *tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum Sanctum.* act. 8. item appellatur aliis nominibus, quæ videantur apud DD. Congruè autem dicitur Confirmatio ratione effectûs, cùm homo per illam confirmetur & roboretur, ad Chriſti nomen audacter confitendum. Nomine Confirmationis ante mille ducentos annos & ultra, uſus eſt Melchiades Papa, in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, dicens. *Confirmatio armat & inſtruit ad agonem vitæ mundi huius.*

Dico 1. Confirmatio ſic poteſt definiri. *Eſt unctio chriſmatis ab Epiſcopo facta, in fronte hominis baptizati, ſub præſcripta verborum forma, ad perfectam vitæ ſpiritualis ætatem & Chriſti nomen audacter confitendum ordinata.* ex S. Th. q. 72.

Dico 2. Chriſtus D. in nocte Cœnæ inſtituit hoc Sacramentum inchoativè. Patet ex D. Fabiano Papa & Martyre ante annos mille quadringentos in Epiſt. 2. C. 1. ad Epiſc. Orientales, ubi ſic ait. *In illa die Dominus* IESUS *poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis. & lavit pedes eorum ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſq; reliquerunt, Chriſma conficere docuit.* & hæc eſt ratio, cur Eccleſia ſingulis annis, vetere combuſto novum Chriſma conſecrāt in die Cœnæ.

Poſtea verò intra eandem noctem inſtitutum completivè, non quidem exhibendo, ſed promittendo, S. Th. q. 72. a. 4. ad 1. ex illo Ioan. 16. *Si autem abiero*

mittam eum ad vos. Ideo autem hoc Sacramentum institutum est promittendo & non exhibendo, quia in hoc Sacramento datur Spiritus S. plenitudo, quæ non erat tribuenda ante Christi resurrectionem, ex illo Ioan. 7. *nondum erat Spiritus datus, quia* Iesus *nondum erat glorificatus.*

Ex dictis intellige, hoc Sacramentum non fuisse institutum quando Christus D. super pueros manus imponebat. cùm pueri illi nondum erant baptizati. Nec quando Ioan. 20. in Apostolos insufflavit, quia tantùm, tradidit Spiritum S. ad remittenda peccata. Nec dum ibidē dixit, *sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos.* Nam tunc præbuit Apostolis potestatem hoc Sacramentum conferendi. Nec tandem ipso die Pentecostes, cùm potiùs contulerit huius Sacramenti effectum.

Dico 3. Sacramentum Confirmationis non est simpliciter necessarium ad salutem. sed ad bénè esse, utpote perfectionem salutis operans. Hinc sponte & non ex contemptu illud omittens venialiter tantùm peccat, S. Th. q. 72. a. 8. ad 4. Nec favet Paludano, Durando & Richardo, Canon omnes fideles d 5 de Consec. quia tantùm consilium continet. Tunc autem ex contemptu hoc Sacramentum omittitur, quando omittitur quasi non esset Sacramentum, nulliusq; meriti.

DISTINCTIO XXIII.

De Materia Sacramenti Confirmationis.

DIco 1. Materia remota Confirmationis est Chrisma, seu vnguentum ex oleo olivarum & balsamo confectum, ab Episcopo consecrato benedictum Non potest chrisma confici ex oleo nucum amigdalorum & similium, cùm solum olivarum sit simpliciter oleum.

Dico 2. Balsamum est de necessitate Sacramenti confirmationis. Quia Concilium Florentinum in decreto Eugenii determinat materiam Confirmationis esse Chrisma, & quia aliàs simplex oleum olivarum est materia Extremæ vnctionis.

Debet autem Chrisma esse necessariò ab Episcopo consecratum, ut patet ex perpetuo Ecclesiæ usu. immo Concilium Romanum sub Sylvestro & alia Concilia prohibent simplici Sacerdoti, & præcipiunt Episcopo Chrisma consecrare.

Dices, Sacerdos potest Eucharistiam consecrare. ergo & Chrisma cùm hoc sit minus, & aliàs qui potest maius potest & minus ℞. N. Cons: ad prob dico. hoc dictum solùm valere in rebus sibi subordinatis non in rebus diversi generis & ordinis. Hinc valet, qui potest matrimonium celebrare. potest & sponsalia. non verò valet, qui potest Eucharistiam consecrare, potest & Virgines, vel minores conferre, licèt hoc sit minus illo. Probabile tamen est, ex commissione Papæ, simplicem Sacerdotem posse Chrisma consecrare. Dela-Cruz de Conf: dub. 2. ex Cejet: sicut ex eadem commissione potest illud ministrare.

Dico 3. Materia proxima Sacramenti Confirmationis est unctio in fronte per modum Crucis facta. Cùm hoc Sacramentum in usu consistat. Dixi, *in fronte,* ut neq; propter erubescentiam, neq; propter timorem nomen Christi confi-

teri

teri prætermittamus. Dixi etiam, *per modum Crucis.* aliàs forma Confirmationis non verificaretur.

Dico 4. Probabilius est hanc unctionem non posse fieri aliquo instrumento. v. g. penicillo tempore pestis, sed est facienda digito quocunq; & quacunq; manu, ex præcepto tamen Ecclesiæ, pollice dexteræ. Observa frontem confirmati debere vittâ ligari, quousq; Chrisma sit deficcatū nec usq; tunc caput debet lavari.

Dico 5. Tanta Chrismatis quantitas requiritur ad hanc vnctionem quâ quis possit digito in fronte inungi. ad conficiendum verò Chrisma, tanta balsami quãtitas requiritur, ut suas qualitates præsertim odorem possit oleo communicare.

Quæritur, quid significent oleum & balsamum? ℞. Oleum significat conscientiæ nitorem, balsamum bonæ famæ odorem.

DISTINCTIO XXIV.

De Forma Sacramenti Confirmationis.

Dico 1. Forma Confirmationis est hæc. *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate Salutis, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. amen.* Concilium Florent. in institutione Armenorum. Adverte. Sacramentorum materias & formas Antistitum curâ ad hæc tempora conservatas, sed in Conc: Flor. sub Eugenio IV. Orientali & Occidentali Ecclesia ibi congregata, ampliùs explicatas.

Dico 2. Sanctissimæ Trinitatis expressio est de essentia huius Sacramenti, cùm hoc Sacramentum ordinetur ad profitendam fidem. sunt etiam essentialia illa verba, *signo & confirmo.* quia actio Sacramentalis necessariò debet exprimi & quidem vtrumq; debet exprimi, quia non æquipollet, aliud enim est signare. aliud confirmare. Probabiliùs etiam est necessariam esse illam particulam, *signo Crucis*, quia signare habet generaliorem significationem, vnde debet per prædictam determinari particulam. Necessarium item est addere. *Chrismate salutis vel sanctificationis.* quia hæc non veniunt per verbum *Confirmo*, sicut per verbum baptizo veniunt materia & effectus baptismi. Tandem exprimi debet subjectum per particulam. *Te vel* æquivalentem.

Dico 3. Forma Confirmationis tantùm accidentaliter mutatur, si pro *Chrismate* dicatur *vnguento*, pro *confirmo*, *corroboro*, pro particula *salutis*, *sanctificationis* immo dicens *confirmetur servus Christi &c.* valet Confirmatio, sed sic confirmans à gravi peccato non excusatur. Sed si dicatur, *signet te Deus sigillo fidei suæ*, ut S. Sylvester fertur Constantinum confirmâsse, an valeat Confirmatio? negat Labat de Sacram: Conf: dubio 1. §. 1. dicens vel vnctionem non fuisse Sacramentalem, vel non omnia verba relata.

Dico 4. Alia formâ utuntur Græci, nempe hâc *Signaculum Doni Spiritûs Sancti &c.* ut constat ex omnibus Græcorum Eucholijs. Vnde cùm hæc specie differat ab ea, quâ utuntur Latini, dicendum est Christum D. non determinâsse formam huius Sacramenti quoad speciem, sed solùm quoad genus, & instituisse solum

lum quòd celebraretur per aliqua verba quæ eius effectum significarent, ac reliquisse potestati Ecclesiæ verba illa determinare. Ita Gonet in Manuali Thom. de Conf: §. 2. Huc etiam addo, nonnullos apud Ginium docere, à Christo D. non fuisse præscriptam formam conficiendi Chrisma, sed tantùm in genere faciendam esse eius consecrationem per invocationem Spiritûs Sancti.

DISTINCTIO XXV.

De Ministro Confirmationis.

DIco 1. Solus Episcopus est minister ordinarius Sacramenti Confirmationis, ex Trid. Seff: 7. Can. 3. de Conf: sub anathemate id determinante. Quod deducitur ex act. 8. & 19. ubi Soli Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, confirmabant ab aliis baptizatos.

Episcopus excommunicatus, degradatus, hæreticus, potest confirmare, non quidem licitè, sed validè, cùm characterem, in quo fundatur potestas confirmandi non amiserit. Sicut & Ordines validè confert. Item, licèt ipse non sit confirmatus, confirmat tamen, cùm polleat Ordinis Episcopalis charactere, seu potius characteris Sacerdotalis extensione ad hoc officium. Peccat tamen venialiter non confirmatus confirmans. Diana p. 9. tr. 6. res. 47. Episcopus electus & non consecratus non confirmat, cùm prædicta characteris Sacerdotalis ad hoc officium extensione careat. Nugnus. 3. p. q. 72. a. 11.

Dico 2. Summus Pontifex ex plenitudine potestatis committere potest simplici Sacerdoti Confirmationis collationem S. Th. q. 72. a. 11. ad 1. ubi refert Gregorium Papam id concessisse. Ita etiam fecit Greg. XIII. qui in novo orbe quibusdam Sacerdotibus commisit administrationem huius Sacramẽti, & Adrianus IV. per eandem potestatem, quibusdam Franciscanis idem concessit. utrumq; refert Opatov. l. c. disp. vnicâ de Conf: q. 8.

Dico 3. Episcopus in sua diœcesi potest licitè subditum alterius diœcesis confirmare. cùm præsumi possit, Episcopum proprium id ratum & gratum habere. Non potest autem licitè in aliena diœcesi, etiam proprium subditum confirmare, cùm non possit præsumi Diœcesanum id gratum habere. est enim falcem in alienam messem in re gravi mittere.

DISTINCTIO XXVI.

De Subiecto Confirmationis, & effectu ei collato.

DIco 1. Confirmationis subjectum, est omnis & solus homo baptizatus Viator, Monstruosis & hermaphroditis debet conferri Confirmatio. quia sunt homines, & ut suppono, baptizati. Infirmis etiam & statim morituris potest conferri, quia illis pugna contra dæmones imminet. item amentibus lucida intervalla habentibus, cùm expectetur, ut possint pro fide pugnare. Immo & perpetuò amentibus, sicut & pueris rationis usu carentibus, secundùm S. Th. q. 72. a. 8. ad 2.

Nam

Nam saltem eis prodest, ut in die resurrectionis perfecti appareant, & hic majorem gratiam habeant. Convenientius tamen, ut rationis usus exspectetur.

Dico 2. Peccatori in peccato duranti non est exhibendum Confirmationis Sacramentum. Qui sine sua culpa imperfectè contritus accedit, consequitur remissionem. S. Th. q 72. a. 7. ad 2. Licèt autem existens in mortali, ante Confirmationem teneatur præmittere contritioné, non tamen confessionem, & idem de recipientibus alia Sacramenta vivorum, excipe ex mente Tridentini Eucharistiam, ad quam necessariò præmittenda confessio.

Brevius dicendo, subjectum Confirmationis, est homo baptizatus, sine mortali, & usum rationis habens, quod ultimum tantûm est de congruentia.

Dico 3. Recipiens Ordines ante Confirmationem non peccat mortaliter, nec fit irregularis. Soto in Summa Dianæ relatus V. Ordinis subjectum. nam non est tam stricta intentio Tridentini, sed solùm consulit Episcopis, ut non Confirmatos non promoveant.

Dico 4. Confirmatio confert gratiæ habitualis augmentum, ac quædam Divina auxilia ad confitendum Christi fidem audacter, ad hoc enim in hoc Sacramento Spiritus S. datur. Secundò contrahitur spiritualis cognatio ut in baptismo, non solùm impediens, sed etiam dirimens matrimonium, ex Trid. Sess. 24. C 2. Tertiò confertur character, per quem baptizato traditur potestas agendi spectantia ad pugnam spiritualem contra fidei hostes, sicut per baptismum confertur potestas agendi pertinentia ad propriam salutem.

DISTINCTIO XXVII.

De Ritu Confirmationis.

Dico 1. Octo sunt ritus servandi in collatione huius Sacramenti. Primus, est tempus quo conferri debeat. antea deputatum fuit Pascha & festum Pentecostes. Secundus, est locus, qui debet esse sacer, nimirum Ecclesia. Tertius, ut Episcopus sit indutus vestibus sacris. Quartus, sunt orationes, quas Episcopus fundit, & ante & post peractam Confirmationem. Quintus, ut locus unctionis lineà vittà ligetur donec Chrisma abstersum fuerit ex fronte. Sextus, est Patrinus. Septimus, maxillam seu genam confirmati percutit Episcopus, ut eum admoneat ad persecutiones pro fide sustinendas, & ut recordetur se esse confirmatum. Octavus, Episcopus nomine Ecclesiæ dat osculum confirmato. Ita refert Opatov. de Conf. q. 9.

Dico 2. Nunc usus obtinuit quovis tempore posse conferri Cõfirmationem Immo tempore interdicti, sicut & baptismus celebrari, & Chrisma confici potest, ex C. cùm ex eo, de Sent. excomm. item, extra Ecclesiam conferri potest modò locus sit decens. Chrisma tamen conficiendum in Ecclesia præcipuè Cathedrali: Missâ etiam ab Episcopo celebratâ, nisi justa de causa impediatur. Singulis autem annis secundùm Ecclesiæ præceptum, triduo ante pascha, novum Chrisma confi-

ci debet, vetere combusto. Hinc quilibet Presbyter quolibet anno Chrisma debet accipere, vel per se, vel per Diaconum. Et sciendum Chrisma non posse accipi, nisi à proprio Episcopo; ex C. Presbyteri de Cons. dist. 4. unde aliunde accipientes, etiam Abbates, nisi sint privilegiati peccant. ut dicit Glossa, ibidem.

Dico 3. In Confirmatione necessarius est necessitate præcepti Patrinus, qui Confirmandum teneat. Cuius officium instruere Confirmatum in his, quæ ad pugnam spiritualem spectant, præsertim si alii desint qui informare possint, Opat: de Conf: q. 7. alii hanc obligationem à Patrino tollunt. cùm non reperiatur in jure Patrinus Confirmandi debet esse Confirmatus, aliqui tamen, si oppositum faciat, eum non damnant peccati mortalis. Sed contrahit cognationem spiritualem, ut docui in Supp. Mosc. tit. 5. q. 17. ex Sylv. contra nonnullos.

Dico 4. Nec Pater vel Mater filium vel filiam. Nec Vir Vxorem vel è contra tenere debet, aliàs contrahitur cognatio spiritualis & amittitur jus petendi vel etiam reddendi debitum conjugale, si utriusq; culpa interveniat. Item Abbas, Monachus, prohibentur tenere nisi confirmandus sit Monachus.

Dico 5. Patrinus Cõfirmationis debet esse alius à Patrino baptismi. Sylv. & comm: secus faciens non peccat mortaliter secundùm Barth. ab Angelo.

Dico 6. Mulier potest tenere virum, sed oppositum magis congruit. utrùm vero plures eundem tenere possint? Idem dicendum ac de baptismo.

DISTINCTIO XXVIII.

De Quidditate, Necessitate & institutione, SS. Eucharistiæ Sacramenti.

NOta. Eucharistia ex græco sonat idem quod bona gratia, vel etiam gratiarum actio. Dicitur etiam sacrificium incruentum (quamvis alia ratio Sacramenti alia sacrificii) quatenus sacrificii cruenti, hoc est passionis, est commemoratio & repræsentatio, in quantum tempore confectionis huius Sacramenti, Christus immolatur & repræsentatione occiditur. Item dicitur hostia seu oblatio, hostia inquam pura, sancta & Immaculata. Quatenus Christus D. qui est hostia salutaris ad Eph. 5. in hoc Sacramento continetur, & modo incruento pro peccatorum expiatione offertur. Item dicitur synaxis vel societas seu Communio, id est communis unio, prout significat præsentis Ecclesiæ aggregationẽ & vnitatem. Item, Viaticum quia eo in huius vitæ peregrinatione sustentamur, ut arduum ad cœlum iter peragamus. Item Cœna, sed Catholicis hoc nomine prudenter utendum ex Conc. Coloniensi Trac. de Euchar. quia eo hæretici abutuntur ad suos errores, contra Missæ Sacrificium. Vocatur etiam per antonomasiam & propter excellentiam Sacramentum. est enim Sacramentũ non solùm in nobis sanctitatem causans, quod est commune omnibus sacramentis, sed etiam authorem sanctitatis in se continens, plura, si placent, vide apud alios.

Dico 1. Sacramentum Eucharistiæ, ut Sacramentum est, seu signum sensibile

bile gratiæ ſanctificantis, conſiſtit eſſentialiter in ſpeciebus conſecratis, connotando tamen & importando corpus & ſanguinem Chriſti per continentiam. Ita Thomiſtæ ex S. Th. q. 73. a. 1. ad 2. De ſpeciebus enim ſic conſideratis verificatur quicquid eſt de ratione Sacramenti. nempe eſſe ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis. Sunt enim de ſe ſenſibiles, ut conſtat ratione verò corporis & ſanguinis Chriſti, quæ connotãt & continent, habent vim ſanctificandi & cauſandi gratiam, animam cibantem ac reficientem. Gonet in Man. de Euch. C. 1. §. 1.

Dices Sancti Patres dicunt Euchariſtiam eſſe carnem Chriſti, eamq; eſſe ſpiritualem animæ cibum. Sed hæc verificari nequeunt niſi hoc Sacramentum conſtet corpore Chriſti tamquam parte eſſentiali. ergo corpus Chriſti D. eſt pars eſſentialis huius Sacramenti, & non tantùm contentum & connotatum. ℞. Falſam eſſe minorem. Euchariſtia enim à Sanctis Patribus corpus Chriſti appellatur per metonymiam, tribuendo contento nomen continentis, qui eſt frequentiſſimus modus loquendi. Similiter dicitur ſpiritualis animæ cibus, quia ſignificat & cauſat gratiam animam cibantem, quod non ſolùm convenit corpori Chriſti, ſed etiam ſpeciebus conſecratis ut elevatis ad cauſandam gratiam, ratione cuius elevationis ſunt cibus animæ, quo ſpiritualiter nutritur. Quia tamen corpus Chriſti, utpote inſtrumentum Divinitati conjunctum, ad hanc nutritionem nobiliori modo concurrit, animæ cibus ſimpliciter & communiter dicitur.

Dico 1. Sacramentum Euchariſtiæ eſt adroandum adoratione latriæ ex Trid. Seſſ; 13. C. 5. & Can. 6. Species autem conſecratæ non ſunt adorandæ tali cultu, & ſic ſpecies conſecratæ non conſtituunt eſſentialiter Sacramentum Euchariſtiæ. ℞. Non ſolùm Chriſtus D. contentus ſub ſpeciebus conſecratis, ſed etiam ſpecies conſecratæ ſunt àdorandæ cultu latriæ, ſed propter Chriſtum, quod nullum Concilinm negat. immo multò magis quàm Crux & imago Chriſti, hæc enim duo tantùm repræſentant Chriſtum objectiuè præſentem, ſpecies verò conſecratæ repræſentant ipſum verè, realiter & phyſicè præſentem, Philippus à SS. Trin. diſp. 1 de Euch. dub. 6.

Dico 2. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re permanenti. Sequitur ex concluſione præcedenti, cùm conſiſtat in ſpeciebus conſecratis. Et ſic Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in conſecratione. cùm potius in hac conſiſtat ſacrificium Miſſæ. Neq; in ſumptione, ut patet ex immemorabili conſuetudine Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ Euchariſtiam aſſervantis, eamque ante ſnmptionem adorantis.

Nec obſtat Concilium Toletanum primum Can. 74. mandans Euchariſtiæ acceptæ ſumptionem. Vnde conſuetudo fuit particulas poſt communionem remanentes infantibus innocentibus diſtribuẽdi, ex Evagrio L. 3. Hiſtoriæ Eccl. C. 26.

Non obſtat inquam, ſolùm enim Concilium intendit ne Euchariſtia in templo accepta domum deportetur, & conſervetur.

Dico 3 In Euchariſtia ſpecies conſecratæ continentes corpus & ſanguinem Chriſti ſunt Sacramentum tantùm, corpus autem & ſanguis Chriſti ſub illis contenta,

tenta, ſunt res Sacramenti & Sacramentum ſimul, ut etiam in C. Marthæ, de celeb. Miſſ: inſinuatur. gratia verò ſanctificans res Sacramenti tantùm. Ratio, Quia ſpecies conſecratæ ſignificant tantùm & non ſignificãtur. Corpus & ſanguis Chriſti ſignificantur ipſis ſpeciebus & ſignificant gratiam. Gratia verò ſanctificans, quæ eſt per modum alimenti ſpiritualis, ſignificatur tantùm nec ſignificat aliquid quod ſit proprius huius Sacramenti effectus, licèt ſignificet gloriam, quæ eſt ſignificatum commune omnibus Sacramentis,

Dico 4. Sacramentum Euchariſtiæ phyſicè acceptum, nihil aliud eſt, quàm ſpecies panis & vini conſecratæ ſub præſcripta verborum forma, ut realiter continent Chriſtum ad cauſandam gratiam cibantem animam. Metaphyſicè conſideratum eſt Sacramentum novæ legis ſignificans Chriſtum, ut realiter contentum ſub ipſis ſpeciebus, & gratiam animam cibantem.

Dico 5. Euchariſtia eſt plura Sacramenta materialiter & in eſſe cuiuſdam rei. cum hoc Sacramentum in quantum conſiſtit in ſpeciebus panis, ſit per modũ cibi, in quantum verò conſiſtit in ſpeciebus vini ſit per modum potus. S. Th. q. 73. a. 3. formaliter tamen & in ratione Sacramenti eſt unum unitate ſpecificâ athomâ ſeu infimâ non minùs ac duo homines ſunt unius & eiuſdem ſpeciei Hoc dictũ colligitur ex Catechiſmo Romano p. 2. C. 4 ibi. *Licet duo ſint elementa panis, ſcilicet & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura, ſed unum tantùm Euchariſtiæ Sacramentum, Eccleſiæ authoritate ducti, confitemur.* hanc autem unitatem ſpecificam S. Th. l. c. ex unitate finis deſumit, qui eſt, una refectio ſpiritualis.

Dico 6. Tota eſſentia ſpecifica Sacramenti Euchariſtiæ reperitur in qualibet ſpecie hoc eſt vel panis vel vini, tamen neutra ſpecies ſeorſim ſumpta eſt integrum & perfectum Sacramentum. Nam Euchariſtia ſignificat Chriſti paſſionem, in qua Chriſtus non ſolùm mortuus eſt, ſed eius ſanguis effuſus, quorum utrumq; ſignificatur explicitè ambabus ſpeciebus panis & vini. Et licèt iſta explicita ſignificatio non pertineat ſimpliciter ad eſſentiam Euchariſtiæ, benè verò ad eius complementum & integritatem. Hæc doctrina deſumpta eſt ex Dela. Cruz de Euch. ad initium. & de Sacrificio Miſſæ q. 1. dub. 2. eam etiam quoad ſecundam partem expreſsè tradit Catechiſmus Rom. l. c.

Dico 7. Sacramentum Euchariſtiæ in re ſuſceptum non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. nam parvuli per ſolum baptiſmum ſine perceptione huius Sacramenti ſalvantur. Propter eandem rationem votum ſeu deſiderium explicitum recipiendi hoc Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. implicitum tamen Euchariſtiæ votum in baptiſmo, pœnitentia incluſum, eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Ita Thomiſtæ ex S. Th. hic q. 73. a. 3. & alii. Probat P. Gonet. Baptiſmus & Pœnitentia ſunt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii. Sed in baptiſmo, & pœnitentia &c. includitur implicitè votum Euchariſtiæ. Ergo Sacramentum Euchariſtiæ in voto ſaltem implicito eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Major eſt certa, minor probatur. In volitione medii

ne medii includitur implicitè saltem intentio finis. Sed Sacramentũ Eucharistiæ est finis baptismi, pœnitentiæ sicut & aliorum Sacramentorum ut docet S. Th. q. 65. a 5. ergo in baptismo, & pœnitentia &c. includitur implicitè votum Eucharistiæ.

Ex quo intelliges, licet realis & Sacramentalis Eucharistiæ perceptio non sit de necessitate salutis, necessitate medii, benè tamen mystica & spiritualis; quæ consistit in unione & incorporatione cum Christo, ad quam omnia Sacramenta ut ad finem ordinantur, præsertim baptismus. cum sit vitæ spiritualis initium. Vnde D. Aug. verba illa Christi D. Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis. & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* extendit ad parvulos L. 1. de peccatorum meritis C. 20 non secundùm participationem realem, sed mysticam quæ consistit in unione & incorporatione cum Christo.

Diligenter ergo observandum est Eucharistiam duobus modis posse considerari, primò ut est particulare aliquod Sacramentum. Secundò ut est causa vniuersalis aliorum Sacramentorum, quæ ad illam ut ad finem ordinantur, quatenus habet nos incorporare Christo, illique perfectè unire, qui est finis omnium Sacramentorum. vnde si primò modo consideretur, votum eius non est de necessitate salutis, benè tamen si altero modo consideretur, quia nemo potest salutem consequi, nisi Christo uniatur & incorporetur.

Dico 8. Christus D. hoc Sacramentum instituit, in ultima Cœna, primâ die azymorum, nocte quâ tradebatur. Quo tempore panis fermentatus in omnibus finibus Israël non reperiebatur. Illis autem verbis Ioan. 6. *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*, fuit promissum. Illis *nisi manducaveritis carnem Filij hominis &c.* præceptum est latum, & non institutum.

Dico 9. Propter hos fines Sacramentum Eucharistiæ institutum; 1. ut in medio populi Christiani Christus sit realiter, licèt latenter, præsens. 2. vt fideles habeant refectionem spiritualem. 3. ut detur Sacrificium in Ecclesia. 4. ut detur signum infiniti amoris, quo Christus dilexit nos 5. ut esset memoriale passionis. tandem ut detur pignus æternæ hæreditatis.

DISTINCTIO XXIX.

De Materia consecratinis Corporis Christi:

DIco 1. Materia consecrationis Corporis Christi D. est panis triticeus, ex communi sensu Ecclesiæ. Panis tamen ex siligine potest validè confici. cùm hæc ex grano tritici in malis terris seminato nascatur. S. Th. q. 74. a. 3. Idem dicendum si tritico grana hordei, lolii, vel millij admiscentur, modò secundùm prudentum æstimationem censeatur adhuc panis triticeus simpliciter. Panis tamen hordeaceus, nequit validè consecrari. quia hordeum non est tritici species, nec talis panis censetur simpliciter panis, sed cum addito scil: hordeaceus, nec nisi in defectu, usualis, nec panis ex avena, ob eandem rationem. Nec panis de amylo, contra Palud. cùm amylum censeatur speciem farinæ amisisse. Nec pasta ex tritico con-

fecta. nam sive differat à pane sive non, non est panis usualis. Nec panis in furno, vel sub cinere coctus, sed deinde elixatus. cùm non dicatur panis simpliciter, sed cum addito, scil: elixatus. Nec panis triticeus sed corruptus, vel ex grano corrupto confectus. si tanta est corrruptio, ut speciem panis vel tritici tollat. Nec panis ex aqua artificiali. v. g. ro acea confectus, contra Durandum, ita tamen S. Th. q. 79. a. 7. ad 3. quia non est verus panis, saltem usualis.

Dico 2. Græcus in Græcorum Ecclesia in azymo consecrans, & Latinus in Latinorum Ecclesia in fermentato consecrans, licèt validè consecret. peccati tamen mortaliter, ut pote propriæ Ecclesiæ ritum in gravi materia pervertens. Et hoc licet fiat ob magnam necessitatem. v. g. ad communieandum infirmum, ut docet communis apud Dela Cruz q. 1. de Euch.

Adverte ex Labat, de Euch d. 4. §. 1. quod Sacerdos Græcus degens in Ecclesia Latina vel Latinus in Ecclesia Græca possit se conformare consuetudini illius Ecclesiæ in qua degit, ut infertur ex Can. ille, dist 12. & ex D. Aug. epist. 118 dicente *in omnibus Ecclesiasticis consuetudinibus, quæ sunt de jure positivo, posse quemlibet se conformare consuetudini illius Ecclesiæ in qua degit.* Secus tamen esset si Sacerdos Græcus figeret sedem apud Latinos vel è contra nec adesset Ecclesia proprii ritus, cui censeretur subjectus. Tunc enim ut incola teneretur conformari. Ita Philippus à SS. Trin. de Euch. disp. 2. dub 3. Scias prima pars advertendi procedit, ubi non est templū, in quo servatur ritus nationis Sylvius, in 3 p. q. 74. a. 4.

Quæritur. Qui ex his duobus ritibus rationabilior ? ℞. Latinorum ut probat S. Th. q 74 a. 4. Quia hoc Sacramentum institutum primâ die azymorum. Matth 26. quâ die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, ut habetur Exod. 12.

Dico 3. Ad valorem consecrationis non est necessarium ut materia sit determinatæ quantitatis. Nam quælibet magna quantitas, ut panis totius civitatis Sacerdoti præsens, potest validè, non tamen licitè consecrari. Et etiam quælibet parva quantitas, licet naturaliter non sit sensibilis, potest validè consecrari ab eo, cuius oculus ad eam intuendam per Dei potentiam elevaretur, quia tunc posset designari per particulam Hoc. Nugnus q. 74. a 2.

Dico 4. Talis præsentia panis requiritur, qualis more usuq; hominum præsentia censetur, ut verificetur particula Hoc. Hinc hostia sub aliis hostijs, vel sub corporali; vel sub mappa, vel in pixide clausa, vel in missali latens, sicut & vinum in calice coopertum, vel dolio inclusum validè consecrantur. cûm demonstrari possint per particulam Hoc vel Hic. Sed hostia à tergo, vel post parietem vel in tabernaculo clauso posita, non validè consecratur, quia non reputatur moraliter & humano modo præsens, & sic non verificatur particula Hoc. Sufficit autem præsentiam panis aliquo sensu percipere. Immo Sacerdos cœcus relatione tantùm certior factus verè consecrat. vtrùm verò materia panis viginti passibus distans possit consecrari ? aliqui affirmant, cum adhuc censeatur moraliter præsens, aliqui negant.

DISTIN-

DISTINCTIO XXX.

De Materia conſecrationis Sanguinis Chriſti.

DIco 1. Omne vinum, modò ſit verè vinum eſt materia cōſecrationis ſanguinis Chriſti. Vnde in Græco, Muſcatello, Malvaſia, Vernaccia verè conſecratur. cùm ſint propriè vinum. Sed vini rubri convenientior uſus. Item vinum album mixtum nigro. item vinum aromate mixtum, eſt valida materia conſecrationis, ſi ita levis ſit mutatio, ut vini ſubſtantia maneat. Item vinum congellatum, modò liquefactum ſervet ſpeciem vini, ſed ſic conſecrans graviter peccat. Item muſtū ſeu vinum ex uva in calice expreſſum, quia eſt verè vinum, licet non perfectè purgatum. non licet tamen tale conſecrare, ſub p. mortali. niſi neceſſitas excuſet, vel devotio populi, ut fit in aliquib⁹ provincijs. Item ſuccûs ex uvis paſſis expreſſus (in quo fama eſt conſecrare Ægyptios) quia talis ſuccus eſt vinum de vite, eoque perfectius, quo ab aqueo humore purgatiùs. Gonet in Manuali Thomiſtarum de Euch. C. 2. Tandem vinum per miraculum factum, ut fuit in Cana Galilææ, quia eſt verè vinum. Quod autem decretum Eugenii IV. requirat vinum de vite ſolum attendit potentiam ordinariam, non abſolutā, & caſum extraordinariū.

Dico 2. Lora non eſt materia conſecrationis ſanguinis Chriſti. cùm non ſit vinum, ſed tantùm vini acumine gaudeat. eſt autem lora ſuccus ex uvis jam expreſſis, aquâ madefactis, & denuo prælo ſubiectis, expreſſus. Item acetum. cùm non ſit vinum, ſed ex corruptione vini factum. Secus vinum acetoſum, & in via ad corruptionem, Sacerdos tamen graviter peccat. Hic adverte, ſi vinum conſecratum in acetum convertatur, deſinit eſſe Sacramentum, ſecus ſi tantùm ſit via ad aceſcendum. Item agreſta, id eſt ſuccus ex uvis immaturis expreſſus, non eſt materia calicis. cùm non ſit vinum, ſed in tendentia ad vinum. Item vinum ex uvis ſylveſtribus expreſſum. quia non eſt verum vinū, ait Opat. diſp. 2. de Euch. q. 3. Item liquor ex uvis acidis expreſſus, quia hæ uvæ ſunt ſubſtantialiter corruptæ, ait idem Doctor l. c. Item uva, quamvis matura. cùm non ſit vinum ſub forma potabili. uva enim tantùm manducatur. Canon autem, *Didicimus*, de Conſ. d. 2. referens conſuetudinem conſecrandi uvas in altari, intelligitur de benedictione facta à Sacerdote in gratiarum actionem. Item ob prædictam rationem, vinum in offa panis incluſum. Idem dic de ſuccu malogranatorum &c. aqua è vite fluente. cùm non ſint vinum. etiam ex diſpenſatione Papæ.

DISTINCTIO XXXI.

De aqua Vino miſcenda.

DIco 1. Vinum in calice conſecrandum eſt aquâ miſcendum. & hoc ob ſanguinis & aquæ è latere Chriſti fluentium repræſentationem. Item ad ſignificandam populi cum Chriſto unionem. aqua enim populos, Apoc. 20. Vinum autem Chriſtum, *ego ſum vitis vera.* Ioan. 15. ſignificant. Tandem quia Chriſtus D. dilutum

dilutum calicem consecravit, ut probat S. Th. q. 74. a. 6. Quamvis autem vino jam imposita sit aqua in amphora, adhuc ponenda est in calice, quia aliàs significatio ab Ecclesia intenta non compleretur.

Ex quo intelliges, si Sacerdos aquam nō apponat, quòd graviter peccet, item officio & beneficio privatur, ex C. literas de Celeb. Miss. si autem ex oblivione, idq; ante consecrationem advertat, statim apponat, cùm adhuc Ecclesiæ præceptū possit adimpleri. Secus si jam peracta consecratio, cùm non extet præceptum in tali casu miscendam esse aquam. Est etiam mortale, si aqua artificialis, v. g. rosacea loco elementalis ponatur. Arm. v. Euch. & alii. Conficitur tamen Sacramentum, sicut si nulla apponatur. Quia hæc mixtio tantùm est de necessitate præcepti & non Sacramenti.

Dico 2. Vna vel altera gutta aquæ est infundenda calici. Dicit enim Conc. Florent. in decreto unionis Armenorum, miscendam esse aquam modicissimam, in quo corrigit Concilium Triburiense Provinciale, quod docuit tertiam partem aquæ esse miscendam. Ratio nostræ conclusionis, quia ut sentit Innoc. III. C. cùm Marthæ, de Celeb. Miss. & communiter Theologi, aqua non transit in sanguinem, nisi priùs transeat in vinum. Sacerdos tamen non sit adeo scrupulosus, ne dum parum vult infundere deluso sensu nihil infundat. Colligo ex nonnullis posse misceri decimam vel octavam partem aquæ quorum ratio opposita nostræ, scilicet, ut aqua transeat in sanguinem, non esse necessarium ut priùs transeat in vinum. cui sententiæ, propter multos & graves, eam tenentes DD. non est deneganda probabilitas.

DISTINCTIO XXXII.

De Forma consecrationis.

DIco 1. Forma consecrationis Corporis Christi, est hæc. *Hoc est corpus meum.* Cùm his verbis Christus D. consecraverit, ijsq; panis in Christi Corpus transubstantiatio significetur & efficiatur. Non audiendi qui docent ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum; necessariò necessitate Sacramenti præmittenda esse verba Canonis. *Qui pridie quàm pateretur &c.* Nam illis omissis, sufficienter significatur transubstantiatio panis in corpus Christi. & hac ratione; possunt aliæ sententiæ confutari. Dum verò dicitur, illis omissis, non significat Sacerdos se loqui in Persona Christi, falsum est, attentâ institutione Christi, & intentione Sacerdotis.

Dico 2. Non est valida consacratio Corporis Christi D. dicendo hoc est corpus Christi. Nec. hic panis est corpus meum. Nec hoc fit corpus Christi, vel meum. Nec. hoc fit corpus meum. Nec, hoc est corpus. Nec, hoc esse Corpus meū. Quia istæ mutationes sunt substantiales. Valida tamen hæc. hic cibus &c. vel hæc res est corpus meum, vel hæc est caro mea. ex S. Cyrillo. Serm. 1. in Cœna.

Dico 3. Forma cōsecrationis sanguinis Christi, est hæc *Hic est Calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti. Mysterium fidei. Qui pro vobis, & pro multis effundetur*

fundetur in remissionem peccatorum, Dela Cruz q. 2. de Euch sola verba hæc dicit esse de essentia scilicet, *hic est calix sanguinis mei*, vel his æquivalentia, ut si dicas, *hic est sanguis meus*. Nam solùm hæc verba significant conversionem vini in sanguinem Christi. Verba verò quæ sequuntur, scilicet, *novi & æterni &c.* solùm sunt de integritate formæ, hæc enim verba solùm important expressiorem significationem eius, quod continetur implicitè in verbis essentialibus, utpote passionem Christi per sanguinis effusionem, & virtutem talis effusionis. Idem sentiunt multi ex Thomistis. alii verò ex Thomistis, inter quos Philippus à SS Trin disp. 5. de Euch. dub. 4 dicunt omnia esse de essentia formæ. hæc quidem vel æquivalentia, *hic est calix sanguinis mei, novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, expreſsè prolata, hæc verò, *æterni, mysterium fidei*, implicitè contenta in aliis. Sed hæc ad Scholasticos, tu intende quod intendit Ecclesia, & totam formam proferas, ne ut sacrilegus judiceris. Particula *enim* secundùm omnes, non est essentialiter requisita, immo omissio eius, secundùm multos non inducit mortale.

Dico 4. Non mutatur substantialiter prædicta forma, si quacunque linguâ proferatur. Sed Latinus aliâ linguâ consecrans à mortali non excusatur. Si etiam Sacerdos, *hic est calis &c.* S pro X. utendo, inadvertentiâ vel impedimento linguæ diceret, conficeret Sacramentum, quia salvaretur significatio substantialis, Quamvis enim vox *calis* habeat alian significationem à voce calix, tamen ex ipso actu & forma consecrationis significat calicem. Eadem ratione solet doceri validum esse baptismum collatum in nomine Patria, &c.

Dico 5 Forma Corporis & Sanguinis non se mutuò expectant in producendo suum effectum. cùm quælibet habeat propriam virtutem, completam significationem, ac propriam determinatam materiam. Hinc validè prius consecratur calix, sed committitur sacrilegium. eò quòd recedatur à Christi exemplo, & universalis Ecclesiæ ritu, Samuel de Lub. v. Euch.

Dico 6. Quanquam nonnulli dicant probabile esse, quòd SūmusPontifex xe causa possit cum Sacerdote dispensare, ut in una specie consecret, sed verius & tutius est quod non possit. Est communis Probatur, Nam integritas in utraq; specie consecrandi est de jure Divino ut definit Tridentinum Sess. 12. Can. 2. Summus autem Pontifex non potest dispensare in jure Divino, ut docet D. Th. 22. q. 89. a. 9 ad 1 & consentiunt communiter Theologi, ac definitur à Zozymo Papa, referente Philippo à SS. Trin. & ratio suadet. quia inferior nequit dispensare in lege superioris. V. Philip à SS. Trin. de Euch. d. 2. dub 6 & Opat. disp. 2. q 1.

Adverte. Si Sacerdos privatâ authoritate consecrat panem sine vino, excommunicatur à Conc Tolet. C. nihil Excusatur tamen, qui post consecratam hostiam ob evidens periculum mortis eam consumeret, & omisſâ consecratione calicis fugeret. Samuel l. c. Item, si post consecrationem calicis intelligat in eo esse venenum, ex sententia Doctorum, ait Opatv. l. c. non obligatur ad illius sumptionem, etiamsi fortasse non habeatur aliud vinum ad consecrandum. Si verò

Sacerdos putans esse vinũ in calice, consecret aquam, & circa sumptionem deprehendat, tenetur ad consecrationem calicis, ut sit perfectum sacrificium etiamsi in publico celebret. nam ut ait Philippus à SS Thrin l c. non esset scandalum activum sive datum, quod solùm est prohibitum, sed esset passivum seu acceptum, quod non est curandum.

Dico 7. Forma consecrationis debet proferri tam recitativè, quàm significativè, licet non sit de necessitate Sacramenti eam proferri recitativè sed solùm significativè. Hanc dicit Labat disp. 1, de Euch dub 11 §. 3. esse cõmunem sententiam Theologorũ. Scias tunc verba proferuntur recitativè, quando proferuntur per modum narrationis, referendo id quod Christus dixit, ut sensus sit, Christus D. sic locutus est. tunc autem proferuntur significativè quando proferuntur ut Christus D. illa protulit. Prima pars conclusionis patet, ex illa particula, *dicens*, prolata ante consecrationem. Secunda, quia forma consecrationis dicitur in Persona Christi; Tertia, si Sacerdos præcisè proferret formam supra debitam materiam cum intentione consecrandi, omissis antecedentibus, consecraret, & tamen non proferret verba recitativè, vltima pars etiam patet. Christus enim Dominus, solùm protulit verba significativè.

DISTINCTIO XXXIII.

De Ministro Consecrationis.

DIco 1. Soli Sacerdotes sunt ministri consecrationis, quibus tantùm dictum 1, ad Cor. 11. *hoc facite in meam commemorationem.* Credens se esse Sacerdotem & non est, piè credendum est quòd consecret. Sylv. V. Bap. & alii dist 18. Conc. 7. relati. Quòd si post inchoatam Missam putet se non esse ritè ordinatum? Si id ante consecrationem advertat vel deponat conscientiam, vel Missam relinquat. Si post consecrationem, Missam perficiat, & deinde ad superiorem, casum exponendo, recurrat.

Dico 2. Sacerdos factus hæreticus, validè sed sacrilegè consecrat. Si ante consecrationem recollit se esse excommunicatum vel suspensum &c. Missam dimittat, nisi timeatur grande scandalum. Si post consecrationem factâ contritione & proposito petendi absolutionem, Missam prosequatur.

Dico 3. Sacerdos duobus tantùm digitis hostiam tangat Si ex officio tangat & sit in mortali mortaliter peccat, secus si in casu necessitatis. cùm in hoc non sit deterioris conditionis aliis, quibus licet in necessitate quamvis in mortali tangere, v. g. si cadât in terram, ut d. 4. conc. 4. ex S. Thoma dictum.

Dico 4 Materia consecrations debet esse in mente consecrantis determinata. Hinc si Sacerdos habeat decem præsentes hostias, & tantùm intendat quatuor consecrare, non determinando eas, nulla erit consecrata, quia materia in mente consecrantis non est determinata, & non est major ratio, cur hæc potiùs & non alia consecretur. Si tamen Sacerdos plures hostias secum deferat cum intentione consecrandi,

consecrandi, sed in consecratione sol us hostiæ quam præ manibus habet actu recordetur, omnes sunt consecratæ. Panorm. in C. Sacerdos, & alii. quia intentio virtualiter perseverat.

Dico 5. Sacerdos potest vnam partem hostiæ validè consecrare, absq; alia illi continua. si determinet illam partem. Item si unus Sacerdos unam partem, alter alteram consecret, tota hostia est consecrata, factâ tamen partium determinatione. Palud. in 4. d. 13. q. 4. a. 1.

Dico 6. Hostia quam inscio Sacerdote aliquis posuit ut consecrandam in Corporali, non consecratur, cùm non sit in mente consecrantis determinata. Nec est valida consecratio, si Sacerdos intendat eas hostias consecrare, quas Deus intendit, cùm materiam humano modo determinatam non habeat. Chamerota de Euch. & alii.

Dico 7. Si Sacerdos habeat in manibus duas hostias putans esse unam, nihil determinando, vtraq; manet consecrata, secundùm communem DD. in Summa Dianæ V. Euch. Item loquendo de minoribus hostiis si credit esse 40. & sunt 50. omnes sunt consecratæ. Samuel de Lub. V. Euch. Dela Cruz q. 1. de Euch. si absolutè intendat, nec de numero tantopere curet. Secus est, si 40. tantùm, & unicè intenderet, & tunc quia in cumulo existentes non determinaret, nullã consecraret.

Petes, si non consecratæ, misceantur consecratis, quid agendum? ℞. intendat Sacerdos non consecratas consecrare.

Dico 8. Plures Sacerdotes unam hostiam consecrare possunt, ut patet in ordinatione Sacerdotum juxta aliquarum Ecclesiarum consuetudinem, ubi novi Sacerdotes Episcopo concelebrant sicut Apostoli Christo Dño concœnaverunt. In hoc tamen casu omnium intentio debet referri ad instans quo Episcopus consecrat. unde Palud. relatus à Tabiena sentit, formas concelebrantium, si præveniant Episcopum suspendi ad instans formæ ab Episcopo terminatæ.

Dico 9. Guttæ vini quæ sunt in calice separatæ ab eo quod est in fundo, non remanent consecratæ. Quia communis & optima intentio Ecclesiæ est, consecrare omnem liquorem consecrabilem qui continetur in calice per modum unius continui. Et hoc significatur per particulam *Hic*. Layman & alii contra Bonac. in Summa Dianæ V. Euch. relatum. Vnde ne Sacerdos in detergendis guttis sit sollicitus, benè faciet, si suam mentem pro semper declaret, se nolle eas consecrare, sicut & micas hostiis adhærentes.

DISTINCTIO XXXIV.

De Corpore vitiatis, quibus prohibetur celebrare.

CVm de Ministro Eucharistiæ nonnulla dixerimus, de impedimentis à ministerio Eucharistiæ impedientibus, aliquid dicendum.

Dico 1. Licèt cœcus possit confessiones audire & prædicare, sed si celebret sine dispensatione Papæ (prout cuidam Episcopo in Concilio Tridentino concessum

sum fuerat) peccat mortaliter. quia facit contra canones in re gravi. Sacerdos etiam habens maculam in oculo, vel à nativitate, vel ex aliquo casu, etiam sine sua culpa, si notabilem deformitatem generet, non potest celebrare. Secus, si talem deformitatem vel scandalum non generet. Sylv. de Corpore vitiatis.

Dico 2. Sacerdos uno oculo orbatus non potest celebrare, cum sit irregularis, referente Bonac. de censuris d. 5. q. 2. punc. 2. Immo nequit sine dispensatione Papæ ad Ordines promoveri. D. Ant. 3 p. tit. 28. C. 5. & alii. Sacerdos etiam si careat visu oculi canonis, hoc est sinistri, & nequeat canonem legere, nisi cum indecora faciei ad populum versione, non potest celebrare, secus sine tali indecentia, præsertim si sanus appareat. Bonac. l. c. cum Nau.

Adverte. Sacerdos factus cœcus sine sua culpa non est privandus beneficio, ne sic afflicto afflictio addatur, sed coadjutor ei detur. Idem dicendum de aliis beneficiatis corpore vitiatis. Sylv. cit. & alii.

Dico 3. Sacerdos naso privatus nequit celebrare, ob notabilem deformitatem. habens tamen manum aridam vel debilem non arcetur à celebrando, si non adsit notabilis deformitas scandalum generans, & possit hostiam calicemq; contrectare. Secus, si adeò sit tremulus, ut calicem absq; effusionis periculo nequeat elevare. Sicut nec, si habeat pollicem, vel indicem abscissum, vel etiam eorundem ungulas ob quarum defectum redditur inhabilis, ad hostiam frangendam & calicem contrectandum, Carens tamen parte pollicis vel indicis, non removetur à sacrificando. Gab. V. irreg. Sciendum, quando vitium non reddit inhabilem, nec multum deformem, si tamen suâ culpâ sit, ab Ordinibus repellitur, & promotus deijcitur. Arm. V. Corpore vitiati ex Host. & S. Raym.

Dico 4. Sacerdos pede carens, prohibetur celebrare, ob notabilem deformitatem Sylu. Tabiena & alii. Si autem tantùm sit claudus, ab Ordinis executione non repellitur. modò suâ culpâ non sit factus claudus, & ad altare sine baculo stare queat, ex C. nullus de Cons d. 1. Item gibbosus non prohibetur sacrum facere, modò non sit nimia deformitas scandalum generans, nec suâ culpâ sit gibbosus. Sylv. & alii. Ille autem dicitur suâ culpâ gibbosus, vel alio modo corpore vitiatus, qui voluntariè membrum abscidit, vel permisit ab alio abscindi, vel dando operam rei illicitæ id sibi accidit. dicitur autem dare operam rei illicitæ, quantum ad præsens, cùm agit opus ex suo genere periculosum. ex Soto 5. de Iust. q. 1. a 9.

Dico 5. Sacerdos sibi genitalia amputans, putans se obsequium præstare Deo, eget ad celebrandum dispensatione. Si autem ab aliis sit castratus, idq. suâ culpâ, tunc idem: secus, si sic natus sit, vel invitus à Medicis, vel justa de causa. v. g. pro totius corporis salute, castratus. Sylv. l. c. Soto 5. de Iust q. 2 a. 1. Scias errorem vulgi esse Sacerdotem castratum teneri testiculos arefactos vel in pulverem redactos secum deferre.

Dico 6. Habens membra superflua v. g. sex digitos, licitè celebrat, modò non sit impeditus in membrorum usu, nec nimia sit deformitas. aliàs & prohi-

beretur

beretur celebrare, & recipiendo Ordines, utpote fruſtra, peccaret mortaliter. Leproſus etiam ſi recipiat Ordines non excuſatur à mortali. Ordinatus tamen ut docet D. Th. apud Opat: de Pœnit. diſp. 18. q. 3. §. ſecunda ſpecies &c. poterit in occulto ſic ſuſceptum Ordinem exercere, niſi per lepram eſſent labia, corroſa & tunc nec in occulto celebrare poteſt, ob periculum effuſionis ſanguinis.

Dico 7. Sacerdos morbo comitiali ſeu caduco laborans expectet per annum ad judicandum de infirmitate. Sylv & alii. Idem dicitur de Sacerdote dæmoniaco, ex Vgone relato à Summa Confeſſ: L. 2. tit: 1. q. 45. Furioſus verò poteſt Euchariſtiam conficere, ſi rarò vexatur tali paſſione, item ſi ſine ſpumæ jactatione, & vocis confuſione, modò habeat juxta ſe Sacerdotem, qui defectum ſuppleat. Sylv. cit: Idem docet Opatov. diſp. 18. de Pœnit. q 3. §. ſecunda ſpecies &c. de laborante morbo caduco ſi non adeò hoc morbo laboret, nec ore reijciat ſpumas, & habeat ſocium, qui cōpleat ſacrificium. ſed quid de Sacerdote patiente ſeminis fluxum? dico cum Ioanne de Lapide L. de dubijs circa Miſſam, nequit celebrare.

Dico 8. Si in Hermaphrodito prævaleat ſexus fœmineus ordinari non poteſt, quia non eſt capax characteris, quemadmodum & fœmina, D. Ant. Sylv. & Tabiena apud Fern. l. c. Si verò æqualiter vigeat uterq; ſexus, quantùm ad Ordines pro fœmina reputari debet. Hugo, Turrecremata & alii apud Fern. Si autem in maſculinum magis vergat & ordinetur, ſuſcipit quidem characterem, ſed abſque diſpēſatione Papæ celebrare prohibetur. Sylv. V. Hermaphrod & Nau. in Euchar. C 17. n. 103. Plura videantur in tractatu de irregularitate. V. etiam Dela-Cruz de Cenſ a. 5. quis in ſupradictis diſpenſet.

Quæritur, cui competat judicare de præfatis vitiis? ℟. Epiſcopo, vel ſi Religioſus ſit vitiatus. Prælato Regulari, cùm ſit eius Ordinarius. Poteſt & Epiſcopus, cùm Religioſo Ordinem conferat.

DISTINCTIO XXXV:

De converſione panis & vini in Corpus & ſanguinem Chriſti, & quæ conſequuntur eam.

Dico 1. Mutatio quæ fit in hoc Sacramento, non fit per panis & vini annihilationem, vel in præjacentis materiæ reſolutionē, ſed per eorum deſitionem & in Chriſti Corpus & Sanguinem converſionem. Quæ converſio non eſt ſucceſſiva, ſed inſtantanea, cùm fiat in ultimo inſtanti prolationis verborum. Hæc converſio directè & ex vi verborum ad Corporis Chriſti ſubſtantiam terminatur, per concomitantiam verò ad eius quantitatem. Si cauſam converſionis inquiras, Deus eſt principalis Sacerdos inſtrumentalis.

Dico 2. Si Sacramentum Euchariſtiæ in triduo mortis cōfectum fuiſſet. tunc Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus Sacramentalibus mortuus extitiſſet. Cùm idem Chriſtus, qui erat in Cruce vel ſepulchro fuiſſet.

Dico 3. Totus Chriſtus eſt ſub utraque ſpecie, immo totus eſt in qualibet

parte, cùm ſuccedat in locum ſubſtantiæ panis & vini, quæ erat in qualibet particula. Hoc tamen ſciendum eſt, ſub ſpeciebus panis eſſe Chriſti corpus ex vi verborum conſecrationis, ſanguis verò, anima, Divinitas per concomitantiam, ſub ſpeciebus vini ex vi verborum ſanguis, corpus & alia per concomitantiam. Non ſolùm autem eſt in hoc Sacramento ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed etiam ſecundùm quantitatē, modo tamen ineffabili, non per extenſionem partium in ordine ad locum, ſed in ordine ad ſe. Et quidem tam diu ſub ſpeciebus Chriſtus Dñus exiſtit, quàm diu ſpecies exiſtunt. Cùm ſuccedat in locum panis, cuius ſubſtantia tam diu quàm diu accidentia.

Dico 5. Poſt converſionem corpus Chriſti D. non eſt in hoc Sacramento tanquam in loco. quia non eſt admodum quantitatis, ſed admodum ſubſtantiæ Ex quo ſequitur quòd ibi ſit immobiliter, per ſe loquendo, per accidens tamen hoc eſt ad motum ſpecierum movetur. Item, cùm Corpus Chriſti D ſit in hoc Sacramento admodum ſubſtantiæ & modo indiviſibili, non poſſe videri ab oculo etiam glorificato.

Dico 6. De ſpeciebus Sacramentalibus hæc ſolent doceri. eas poſſe corrumpi, cùm idem eſſe poſt conſecrationem retineant. immo poteſt aliquid ex eis generari, ut vermis. Item docetur ſolam quantitatem miraculosè exiſtere, alia verò accidentia ſine miraculo. quia ſubjectantur in quantitate, ſuppoſito hoc miraculo quòd per ſe exiſtat. Item docetur prædictas ſpecies poſſe nutrire, cùm poſſint converti in corpus humanum. Sed hæc ad Scholaſticos.

DISTINCTIO XXXVI.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

Dico 1. Diaconus poteſt miniſtrare Corpus Chriſti Dñi in neceſſitate jubente Epiſcopo vel Presbytero. S. Th. q. 82. a. 3. Non tamen Subdiaconus, multominùs laicus. fertur tamen de Regina Scotiæ martyrium ſubitura, quòd ſe ipſam communicaverit, unde Layman in Summa Dianæ V. communionis Miniſter, docet contra Bonac. poſſe laicum ſe ipſum communicare in articulo mortis.

Dico 2. Religioſus Viaticum miniſtrans incurrit in excommunicationē. ſed hoc procedit, ſi extra neceſſitatem. unde in articulo mortis abſente Parocho, aut nolente miniſtrare poteſt quivis Sacerdos etiam Regularis, imò & Diaconus. ſi nullus ſit Sacerdos, miniſtrare Euchariſtiam. Dela Cruz q. 6. de Euch. Idem judico ſi proprius Parochus ſit nominatim excommunicatus, ſuſpenſus &c.

Dico 3. Euchariſtiæ Sacramentum non poſſunt Regulares miniſtrare ad ſatisfaciendum præcepto tempore Paſchali. Pro hac Moſc. 2. p. Tyrocinii §. 3 citat declarationem ſacræ Congregationis. unde privilegium à Nic. 5. Regularibus conceſſum à Sixto & Leone X. confirmatum, cenſetur revocatum. Poſſunt tamen, ſi quis jam ſatisfeciſſet præcepto, aut vellet poſtea ire ad Parochiam. Etiam ipſo die ſancto Paſchæ, Nam dum Pontifices hoc die prohibent extra Parochiam

chiam communionem, loquuntur de communione quâ ſatisfit præcepto Eccleſiæ, ut communiter DD. explicant. Vbi ſciendum Religioſos Mendicantes habere privilegium à Leone X. Iulio II. & III. communicandi ſæculares in ſuis Eccleſiis, vel per ſe vel per alios apud Regulares celebrantes,

Dico 4. Poſſunt Regulares miniſtrare Euchariſtam ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ, etiam ipſo die Paſchæ, vagis, advenis, & peregrinis. Item ſervis & domeſticis, qui intra conventum degunt. his enim etiam viaticum, & extremam unctionem miniſtrant. Gabriel à S. Vinc. in Summa Morali V. Euch. quoad omnes partes. Idem, de degentibus in loco exempto à Parochia.

Dico 5. Non valens pollice & indice Euchariſtiam miniſtrare, poteſt aliis digitis, cùm tota manus ſit conſecrata Toll: l. C. 58. contra Poſſevinum. Hic tamen, contra Suarez, concedit, tempore peſtis licere Sacerdoti aliquo inſtrumento aureo vel argenteo rectè confecto, Euchariſtiam miniſtrare.

Dico 6. Sacerdos in mortali exiſtens, & pluribus Euchariſtiam ſucceſſivè miniſtrans, unum peccatum mortale committit. Rodriquez & alii, contra Bonac. Nam licèt phyſicè ſint plures actus, moraliter tamen una actio convivii ob eandem rationem Sacerdos in mortali dicens Miſſam, unum tantùm mortale committit, eſt contrà Nugnum & alios, qui dicunt quòd duo, unum quatenus celebrat, alterum quatenus communicat.

DISTINCTIO XXXVII.

De ſubiecto Euchariſtiæ.

DIco 1. Subjectum Euchariſtiæ eſt omnis homo baptizatus, rationis compos, & benè diſpoſitus. Publici peccatores, v. g. uſurarii, lenones, meretrices, hiſtriones publicè turpia repræſentantes, removentur à menſa Domini, etiam in mortis articulo, niſi ſigna pœnitentiæ publicè oſtendant, ſi fieri poſſit. Publicus autem & notorius peccator dicitur, qui in judicio convictus, vel in judicio confeſſus, vel infamiâ notorii facti laborans. Si dubium an ſit publicus peccator, ad communionem admittatur, nam melior eſt conditio poſſidentis. Item peccatori publico in uno loco, petenti Euchariſtiam in alio loco, in quo pro publico non habetur, Sacerdos tenetur Euchariſtiam dare, aliàs infamaretur.

Dico 2. Peccatori publico in ſecreto pœnitenti, & in publico Euchariſtiam petenti, eſt deneganda quouſq; pœnitentiam exteriùs oſtendat S. Bon. & Palud. apud Cinium in præſenti. Quæ doctrina ad publicè excommunicatum extendenda, dici enim poteſt. Scio publicum peccatum, ſed non video pubicam pœnitentiam. Peccatori occulto, ſoli Sacerdoti noto, tenetur Sacerdos Euchariſtiam miniſtrare, non tamen, ſi in privato petat, niſi notitia eſſet ex confeſſione, tunc enim tenetur Euchariſtiam miniſtrare. Moneat occultum, publicè petentem, ſed cautè, ſaltem generaliter. Cavete ne aliquis cum p. m. accedat, niſi id per confeſſionem ſciatur, tunc enim talis monitio omittenda.

Dico

Dico 3. Ex duello in extremis laboranti danda Eucharistia, si signa doloris ostendat. Item suspendendis ex C. Quæsitum. etiamsi jam comedissent. Samuel de Lub. V. Communio. Hæretico relapso, sed pœnitenti, quamvis immediatè comburendo. Sylv. & Angelus. Adverte ex Samuele l. c. consuetudinem Hispanorum negantium Eucharistiam interficiendis sublatam jussu Pii V. anno D. 1559. cui lex regia accessit per Philippum II. Et ratio est, eò quòd communiter doceatur, communionem in articulo mortis esse de jure Divino.

Dico 4. Perpetuò amenti non est danda Eucharistia, cùm in eo non præcesserit erga hoc Sacramentum devotio. Idem dicitur de puero ratione carente. Non excusatur à mortali talibus Eucharistiam præbens, secundùm Cajet. V. Communio. Amenti tamen, aliquando huic Sacramento, scilicet tempore lucidi intervalli, affecto, & iterum in amentiam cadenti, danda Eucharistia in articulo mortis, modò irreverentia non timeatur. S. Th. q. 80. a. 9. Idem de dæmoniacis arreptitiis, ac morbo caduco laborantibus, modò actualiter hæc mala non patiantur, & absit irreverentia.

DISTINCTIO XXXVIII.

De munditia mentis ad hoc Sacramentum necessaria.

Nota. Plures esse dispositiones, quas habere tenetur ad hoc Sacramentum accedens, comprehenduntur autem sequentibus versibus.

Lotus, discretus, sanus, jejunus & aptus,
Contritus, fassus, mundus, recteque paratus.

Lotus, id est baptizatus, discretus, id est rationis usum habens. Sanus, id est stomacho benè valens. ne evomat. jejunus jejunio naturali, aptus. id est censuris non irretitus, contritus, id est de peccatis dolens. fassus, id est vocaliter confessus. mundus, id est non pollutus. paratus, intellige, devotione per actus v. g. fidei, spei, charitatis, &c.

Dico 1. Conscius peccati mortalis obligatur ad præmittendã confessionem. Trid. Sess: 13. Cap. 7. immo oppositum docentes excommunicat Can. 11. Quare antiqui Theologi docentes sufficere contritionem, etiam datá copiá Confessarij, post Conc. Trid. non sunt audiendi. Cùm verò Tridentinum adducat authoritatem Apostoli 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* colligitur hoc præceptum non solùm esse Ecclesiasticum, sed & Divinum Opatv. disp. 8. de Euch. q. 3. cum D. Soto & M. Cano.

Dico 2. Licet in aliquo casu communicare & celebrare confessione non præmissâ. 1. in articulo mortis. si desit Cõfessarius. 2. si adest necessitas officii. v. g. Parochus habet nimis distantem Confessarium (quæ distantia loci judicio prudentis relinquitur, habitâ ratione circumstantiarum & Personæ V. Moscic. 4. p. Elem. ad Sacras Conf: de Conf: n. 11.) ne Parochiani die festo missâ careant. 3. Si adest præcepti Ecclesiastici necessitas (quam non facit sola devotio, ex Soto

in 4.

n 4 d. 10. q. 1. a. 4.) ut Paschatis, Summa Conf: vel si Sacerdos nequit audire Missam nisi celebret. Diana & alii. Sed oppositum securiùs, nisi adsit scandalum aut infamia, nam præceptum præmittendi confessionem fortius est præcepto communicandi in Paschate, vel die festo audiendi Missam. Dela-Cruz de Euch. q.5.4. ad evitandum grave scandalum vel infamiæ periculum, v. g. si quis in scamno communicantium recordatur peccati mortalis, non tenetur recedere, si id sine scandalo esse non potest. 5. Quando rationabiliter timetur revelatio proprii peccati, tenetur tamen alia confiteri. 6. pro communicando infirmo. In his casibus præmittenda necessariò contritio, excepto quarto & quinto casu, cùm jam peccatum indirectè remissum,& sit homo in gratia. Vbi etiam scias in quinto casu differri debere confessionem, quantùm fieri potest.

Dico 3. Sacerdos Regularis non potest cum sola contritione celebrare, quando non habet copiam Confessarii suæ Religionis, habet tamen copiam alterius, sed non vult illi confiteri ad vitandam suæ Religionis infamiam, quam ille concipiet. Gabriel à S. Vinc. & alii. Quia ex confessione nulla aut parva sequitur infamia Religioni. Non potest etiam quis in mortali exustens cum sola contritione communicare, si non habeat proprium Confessarium, cui possit devotius & utilius confiteri. Idem qui supra & alii. Nàm reverentia huic Sacramento debita, & Divini præcepti obligatio, debet prævalere propriæ devotioni & utilitati.

Dico 4. Sacerdos qui in casu necessitatis carens Confessario sine confessione celebravit, tenetur confiteri quàmprimùm, quia ita præcipit Tridentinū Sess: 13. C 7, & non tantùm consulit. Quare Alexander VII. inter 45. propositiones hanc in ordine 38. damnat. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti celebranti ex necessitate cum peccato mortali confitendi, quàmprimum est consilium & non præceptum.* Sicut & sequentē damnat. *Illa particula quàmprimū intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Quare tenetur confiteri primā commoditate. In Sūma Dianæ V. celebrare Missā. *quàm primum* exponitur *intra triduū*. quia quod intra triduum fit, dicitur statim fieri L fin.C. de jud. ibi. *illico autem id est intra triduum.* Adverte hoc præceptum de facienda confessione quamprimùm in prædicto casu, non extendi ad Sacerdotem more laicorum communicantem. Villalobos in Summa Dianæ l. c. & alii. quia tunc non se habet ut Sacerdos. à fortiori non extendi ad laicos.

Quæritur: quid faciendum si Confessarius veniendo ad infirmum, inveniat hunc multas fecisse confessiones invalidas, nec confessionem absolvere posse nisi post longum tempus? Respondet Zimbranus de Sacram: Pœnit. C. 4 dub. 6. Si timeatur mors, facienda confessio per mediam horam crassâ minerva, cum accusatione generali, & communicandus infirmus, præmisso pacto, quòd sumptâ occasione supplebit defectum. Si autem infirmitas non sit periculosa, & confessio per dimidiam horam absolvi non potest, præmittatur contritio cum proposito confitendi eo vel sequenti die & communicetur. ratio primi. quia sic vitantur omnia incommoda, subvenitur enim moribundo præmissâ confessione possibili,

V & absolu-

& abſolutione, miniſtrando illi Euchariſtiam. ratio ſecundi, quia ſic vitatur ſcandalum, & eligitur minus inconveniens, quod eſt communicare cum ſola contritione, & non cum confeſſione dimidiata. Zambrano favent aliqui. ſed bonâ veniâ præfati authoris, etiam in ſecundo caſu præmittenda modo poſſibili confeſſio. Nam præceptum confitendi ante communionem fortius eſt præcepto integrandi confeſſionem materialiter ut docet Dela-Cruz q 5. de Euch. & alii, & aliàs ex oppoſito ſequeretur, etiam in primo caſu, & in multis aliis, qui ſolent proponi in trac. de Pœnit. de integritate confeſſionis, ſufficere contritionem, & omittendam confeſſionem, accedit quod in hoc ſecundo caſu ſervetur moralis integritas confeſſionis.

DISTINCTIO XXXIX.

De munditia corporis ad hoc Sacramentum neceſſaria.

Dico 1. Pollutio à cauſa mortali proveniens impedit licitam Euchriſtiæ ſumptionem. S. Th. q. 80. a. 7. Talis tamen præmiſsâ confeſſione celebrans vel communicans non peccat mortaliter, cùm nullum peccatum per confeſſionem dimiſſum impediat ſumptionẽ Euchariſtiæ ſub mortali. Delà-Cruz de Euch. q 5. dub. 3. Samuel de Lub. V. Communio.

Dixi *à cauſa mortali proveniens*. nam nocturna pollutio, quæ abſque culpa mortali accidit, non impedit etiam ſub veniali ſumptionem Euchariſtiæ, præſertim ſi pollutio non relinquat aliquem affectum ad res venereas, & notabilem animi perturbationem. Samuel l. c. ex Bonac.

Dico 2. Die ante Euchariſtiæ refectionem, à fortiori ipsâ die ſumptionis, non licet exigere vel reddere debitum ob Euchariſtiæ reverentiam. niſi alter conjugum nimis inſtet. tamen ſi fiat non eſt mortale. Suppoſitâ autem inter conjuges re carnali, conſilium eſt ſpatio viginti quatuor horarum abſtinere à ſumptione Euchariſtiæ. cùm per hoc tempus natura per venerem deordinata, ordinetur. Cinius ex B. Alberto M. & S. Thoma.

Ex quo patet, dum Concilium Eliberitanum dicat, hominem ante ſumptionem Euchariſtiæ debere abſtinere à propria vxore, tribus, quatuor aut octo diebus, conſilium tantùm eſt.

Duo tamen inter alia coniugibus reverentiam erga hoc Sacramentum inculcant. Primum, ſi Panes propoſitionis ab his qui Vxorem tetigerant comedi non poterant, quantò magis panis ille qui de cælo deſcendit. Item Regem Oza. 1. par. C. 13. manum ſuam ad arcam Dei extendentem ne bouum exorbitantiâ caderet fuiſſe à Deo percuſſum moxq; expiràſſe, quòd nocte præcedenti vxorem cognoverit, ut affirmant Expoſitores.

DISTINCTIO XL.

De ieiunio ante Euchariſtiam.

Dico

DIco 1. Ante sumptionem Eucharistiæ tenemur esse jejuni à media nocte jejunio non solùm Ecclesiastico sed & naturali, nihil quantumcunque modici, etiam per modum medicinæ sumendo. Vnde C. nihil. quæst. 1. dicitur. *Nullus post quantumcunque sumptum minimum cibum, vel potum Missam faciat.* Et sic pulvis tabacæ per nares sumptus, cùm non mereatur nomen cibi vel potûs non impedit sumptionem Eucharistiæ.

Attamen reliquias cibi inter dentes relictas casualiter deglutiens ex S. Th. q. 80. a. 8. imò licet advertenter secundùm aliquos. Os abluendo parum aquæ præter intentionem in stomachum transmittens. Sanguis è gingiva, vel capite in os fluentis paululum trajiciens. Parum terræ aut pulveris per modum respirationis attrahens. Muscam in os volentem casu transglutiens, non frangit jejunium. cùm nihil per modum cibi sed salivæ, vel præter intentionem deglutiat. Item dentes sale & aceto medendo vel lavando perfundens, cibos potumq; tantùm degustans. quidpiam aromaticũ, ut nucem muscatã ori imponens dentibusq; vitandi noxii äëris causa tenens, non frangit jejunium, modo nihil transmittat

Sed an frustillum chartæ, lapillus &c. impediant communionem? probabile quòd non. sed major difficultas, si vocis causâ vespere saccarum ori imposuisti, & transactâ mediâ nocte resolutum in liquorem devenit ad stomachum. Probabiliùs sine dubio impediri in tali casu communionem. aliqui tamen oppositum habent. quia ille liquor non descendit per modum potus, sed per modum saliuæ, nec videtur sumptio ab extrinseco, qualis requiritur ut solvatur jejunium & propterea reliquiæ cibi, de quibus supra, non tollunt jejunium naturale.

Dixi in conc. *à media nocte.* Nam Sacerdos ante mediam noctem comedens, potest post mediam noctem celebrare, ut in natali Domini, etsi non dormierit, nec cibum digesserit. non enim facit contra præceptum. Similiter si quis ex cibi indigestione vomat, non prohibetur communicare, ex Rich. in 4. d. 9. a. 2. q. 3. Sed congruentiùs est abstinere.

Dico 2. Sacerdos sumptâ ablutione habens hostiam palato affixam, potest novam ablutionem sumere, ad eandem in stomachũ trajiciendam cùm hoc magîs deceat, quàm digito in os posito. Sylu. & Angelus. Idem dic de particula calici adhærente. Imò sumptâ ablutione solutisq; orationibus (nõ tamen si ab altari discessit) si aliquam hostiæ particulam in patena vel corporali repererit, potest eam sumere. cùm tota illa actio à jejunio inchoata, una perfecta sacrificii consumptio censeatur. Secerdos etiam post Missæ sacrificium aliquo tempore manens in dispensanda Eucharistia, vasa purificare, reliquiasq; sumere potest, cùm censeatur una actio moraliter, quod maximè verum de reliquiis seu particulis ad proprium sacrificium pertinentibus, ut advertit Bonac. & alii. Sed idem judicarem de particulis ad aliud sacrificium pertinentibus, cùm hîc & nunc ad idem convivium spectare videantur.

Adverte. Licèt dixerim, *si ab altari non discessit* probabile tamen particulas v. g. in patena casualiter remanentes etiam in Sacristia antequam Sacerdos exua-

tur sumi posse quia non est nova communio sed præcedentis perfectio. ex Summa Dia. V. Communio, & in eadem, relato Granado.

Dico 2. Licèt aliquando sumere Eucharistiam non servato jeiunio 1. cum timetur Eucharistiam ad infideliũ manus perventuram, aut simili de causa. 2. ut cùm Sacerdos aquam loco vini consecrat, idq; non advertat nisi post aquæ sumptionem, tenetur de novo vinum consecrare. Item advertens post consecrationem se non esse jeiunum, tenetur perficere. Si verò ante consecrationem advertat, tutius reputat S. Th. q. 83. a. 6. ad 2. Missam inchoatam deserere, nisi gravè scandalum timeatur & idem de existente in scamno communicantium, & advertente se non esse jeiunum. Si etiam Sacerdos peracta consecratione moriatur, nec alius adsit nisi non jeiunus, hic tenetur perficere sacrificium, quia præceptum sacrificium perficiendi strictiùs est præcepto Eucharistiam sumendi à jeiuno, cùm illud Divinum, hoc Ecclesiasticum. 3. Si infirmus sit in probabili periculo mortis, & non possit jeiunus sumere Eucharistiam Imò durante eodem periculo mortis potest infirmus pluries per modum viatici communicare non jeiunus, si sex vel octo dies transierunt, maximè si lethalem culpam commisit. non tamen quotidie. Nugnus q. 80. a. 8 & alii. Adde. Si morbus sit diuturnus, nec possit dari communio nisi post medicinam, potest dari, licèt tantùm devotio & non periculum mortis urgeat. ad hoc tamen *Nau. & Villal* exigunt spatiũ triginta dierum.

Sed an liceat celebrare post sumptum cibum ob communicandum infirmum in articulo mortis? affirmat Major. item Zanardus & Zambranus apud Dian. p. 3. tr. 3. res. 33. sed negant communiter. quia præceptum communicandi non obligat. nisi cum commodè & reverenter fieri potest.

Cùm dixerimus nos debere esse jeiunos à media nocte, quæri potest, à quo tempore incipiat media nox? ℞. media nox non incipit à pulsu horæ 12. sed quandrantum. aliqui oppositum docent. si tamen essent plura horologia & non constaret de errore ultimi, posset quis comedere usq; ad pulsationem ultimi, & manè communicare. Si etiam quis dubitaret, an esset transacta media nox, vel an aliquid sumpserit, si adhibitâ sufficienter diligentiâ adhuc manet dubius, potest mane cõmunicare, quia in dubio melior conditio possidentis. Gabriel à S. Vinc. in Summa V. jeiun.

Quæri etiam potest, si jeiunium ante sumptionem Eucharistiæ necessarium, cur in Natali Domini ter celebramus? sed respondetur, quia corpus & sanguis Christi non frangunt jeiunium.

DISTINCTIO XLI.

De obligatione sumendi Eucharistiam.

NOta ex Trid. Sess. 13 C. ultimo, triplex est modus communicandi. Spiritualiter tantùm, Sacramentaliter tantùm. Spiritualiter & Sacramentaliter simul. manducare spiritualiter tantùm, est per fidem & charitatem Christo D. uniri cum deside-

desiderio in re sumendi hoc Sacramentum. manducare Sacramentaliter tantùm, est Eucharistiam absq; fructu sumere, qualiter sumunt in mortali existentes, manducare utroq; modo, est non solùm Eucharistiam sed & fructum percipere. S. Th. q. 80. a. 1. assignans duos, scilicet, Sacramentalem tantùm & spiritualem, non contrariatur Tridentino. per spiritualem enim intelligit eum, qui est cum fructu, sive sit realis, sive in voto tantùm. Manducatio materialis, qualiter etiam à mure Eucharistia sumitur non valet ad propositum nostrum & sic à Trid. omittitur.

Dico 1. Vrgente mortis articulo tenemur sub p. m. ex præcepto Divino sumere Eucharistiam. Ita comm: DD. oppositum docet Arm. V. comm. ex Cajet. Quâ obligatione tenemur, etsi ante infirmitatem paulo ante communicâssemus. Nam hæc communio non fuit ut satisfieret præcepto de Eucharistia in ratione Viatici. Ledesma de Euch. C. 13. & comm: contra nonnullos, qui negant obligari, si v. g. ante octo dies sumpta Eucharistia. Immo ex tenentibus nostram sententiam sunt qui asserunt, eum, qui mane communicavit, si à prandio urgeat periculum vitæ, teneri iterum sumere communionem tanquam viaticum. Sed an, qui post acceptam in ratione viatici communionem, teneatur denuo communicare, si mortaliter peccavit? Negat Ochagavia & alii in Sum. Dian. V. Comm. necessitas. Quia jam satisfecit præcepto: affirmat Sotus, quod est securius.

Dico 2. Præter mortis periculum, præceptum Divinum obligat aliquoties in vita Eucharistiam sumere. S. Th. q. 80. a. 11. Quia Eucharistia instituta est per modum cibi, qui in vita non semel est necessarius.

Dico 3. Præcepto Ecclesiæ tenemur semel in anno communicare. Quod prœceptum in propria Parochia, vel etiam in Cathedrali Ecclesia, vel alibi de Parochi licentia, impletur. Qui tempore Paschali viaticũ sumpsit, si supervivat, non tenetur communicare pro annuo præcepto. Sanch. & alii, in Sum. Dia. V. Comm. Scias hanc damnari ab Innoc. XI. *præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Dico 4. Qui prævidet aliquod impedimentum, ob quod tempore Paschatis non poterit communicare, nec satisfacere præcepto, si prævidet non post longum tempus Paschale, se communicaturum, non tenetur ad præveniendum. Si verò prævideat, quod nonnisi lõgo tempore post Pascha sit communicaturus, videtur eiusmodi obligari ad præveniendum. Opat. disp. 8. de Euch. q. 4. & rationabiliter. Sed stante sententiâ Samuelis, de qua mox, quod communio annua sit a[ll]igata determinato tempori non tenetur prævenire. Sequens priorem opinionem & communicans, cessante impedimento non tenetur iterum communicare in Paschate. nam jam satisfecit præcepto. Hæredia in Summa Dian. V. comm.

Dico 5. Præceptum Ecclesiæ obligat excommunicatum ad quærendam absolutionem & sic ad communicandum. unde si is absolutionem negligeret peccaret mortaliter contra hoc præceptum. colligo conclusionem ex Fernandez p. 2 C. 8. & Nau. apud eundem. Contrarium tenet Leander cum Dian. p. 11. tr. 7. res. 14. infidelis se non convertendo, consequenter in Paschate non communicando,

cando, non peccat contra hoc præceptum, cùm hoc non contineat infideles, utpote Ecclesiæ non subditos.

Dico 6. Dato casu quòd tempore celebrationis Missæ, fidelis devotus ex urgentissima causa peteret communionem, tu verò non haberes consecratas hostias, poteris dare particulam tuæ hostiæ. Samuel V. comm. ex Sylv.

Dico 7. Qui communioni Paschali satisfecit, potest si vult die Paschatis alibi communicare, cùm jam proprium pastorem agnoverit, ut supra docui d. 36. Qui tamen suà culpâ tempore Paschali non communicat peccat mort: estq; ab Ecclesiæ ingressu arcendus, & moriens extra locum sacrum sepeliendus. Bonac. de Euch. q. 7. p. 2. ex C. utriusque.

Dico 8. Qui tempore Paschali non communicavit, tenetur infra annum communicare. Opat. l. c. & multi alii. Nam Ecclesia solùm principaliter intendit præcipere communionem singulis annis, circumstantiam verò temporis solùm accidentaliter. At D. Ant. Sylv. Arm. Samuel V. comm. probabiliter negant. Sicut qui officium vel jeiunium omisit non tenetur sequenti die supplere. Nisi fortè communionem differet ex consilio Sacerdotis proprii aut nisi lata sit excommunicatio, vel nisi extet lex aliqua particularis sive consuetudo. Samuel l. c. Advette, secundùm nonnullos ex prioribus DD. duo peccata committit, qui simpliciter communionem annuam relinquit, unum quòd tempore Paschali non communicaverit, secundùm quòd post Pascha non suppleverit.

Dico 9. Cùm communio imminente morte sit de jure Divino, tenetur judex reo concedere tempus communicandi, præciso tâmen notabili damno boni communis. Et licèt aliquando ad aliorum exemplum reus privabâtur Eucharistiâ, id tamen non est amplius in usu, immo à Pio V prohibitum; ut retuli d. 33. Si autem concessam sufficientem temporis dilationem reus noluerit acceptare, judex potest eum morti adjudicare, esto credat in mortali moriturum, aliàs præberetur reis occasio hoc Sacramentum non suscipiendi, ut se à morte eriperent, sicque magna incommoda in republica sequerentur. Sotus & alii.

Dico 10. Pueri in articulo mortis tenentur communicare statim post usum rationis, etsi ante nunquam communicaverint, nec attigerint ætatem in qua tenentur secundùm præceptum Ecclesiæ communicare. cùm præceptum communicandi in articulo mortis sit Divinum. aliqui docent puerum moribundum communicari posse in dubio an sit doli capax, quamvis hoc non sit necesse. Ochagavia & alii negant puerum teneri ad communionem tempore mortis.

Quæritur, quâ ætate communicare obligamur? ℞. ex Trid. Sess. 13. Can. 9. dum annos discretionis attingimus. annus discretionis in præsenti non tunc censetur quando doli capaces sumus & confiteri tenemur, sed tunc cùm Sacramentum Eucharistiæ reverenter ac devotè suscipere possumus. Quod quàmvis accidere soleat, cùm primùm pervenimus ad annum 10 vel 11. tamen non tantùm consideranda ætas, verùm etiam industria, ingenium, consuetudo ac judicium prudentum. M. Soto dicit, ante decimum annum potest puer communicari, si sit

vivax.

vivax. Vitanda tamen aliorum offenſio, ſi valdè parvulis, quamvis ſagacibus, publice conferatur.

Exploratores talium puerorum, debent duo in eis conſiderare, ſcientiam & affectum. Videlicet, an cognoſcant quid in hoc Sacramento contineatur, & diſcernant à profano pane, Deinde an in affectu, ante ſumptionem vehemens deſiderium habeant, in uſu verò aliquam ſuavitatem ſpiritualem, vel gaudium ſentiant. Ita Moſc. quoad omnes partes quæs, 2. p. Tyrocinii artis pœnit. exceptâ (quoad expreſſum) doctrinâ M. Soto.

Quæ hic deſiderantur videantur d. 36.

DISTINCTIO XLII.

De frequentia communionis, & celebrationis.

DIco 1. Quantùm ex parte Sacramenti quotidie poteſt communio ſumi; quantùm ex parte noſtra rariùs, cùm maxima reverentia requiratur, meliùs tamen ex amore frequentiùs quàm ex timore rariùs Euchariſtiam ſumere. Hinc in primitiva Eccleſia quotidie communicabant fideles & Anacletus Papa apud D. Th. q 80. a 10. ad 5. dicit, peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerunt Eccleſiáſticis carere liminibus. Deinde diebus Dominicis tantum, magis refrigeſcente devotione ter in anno ſc in Natali Domini, Paſchate & Pentecoſte, Immo iter Catholicos non numerabatur, qui his tribus diebus non cõmunicabat. Et Soter Papa adiecit in Cœna Domini. Tandem Eccleſia videns, nec hoc debitè obſervari, ſtatuit ut quilibet adultus, annos diſcretionis habens de manu proprii Sacerdotis ſumat Euchariſtiam in Paſchate, & ſumitur Paſcha pro toto tempore à Dominica in Ramis uſq; ad Dominicam iu Albis incluſivè, in aliquibus locis longius tempus aſſignatur.

Dico 2. Qui ex communione quotidiana experitur fervorem charitatis augeri & reverentiam huic Sacramento debitam non minui, poteſt quotidie Euchariſtiam ſumere. S. Th. in 4. d. 12. q. 3. a. 1. q. 2. Secus ſi vel Reverentia minueretur, vel fervor charitatis non multum non augeretur. Ex quo patet quomodo procedendum cum petentibus quotidianam communionem. Vniverſaliùs verò loquendo, optimum conſilium eſt, vitantibus regulariter peccata mortalia communicare ſemel in ſeptimana, aliquando bis, ſi occurrat magnum feſtum. Ledeſma C. 24. de Euch.

Dico 3. Sacerdos habens curam animárum tenetur ſub p. m. ſaltem diebus feſtivis per ſe vel per alium celebrare, ex C. quotidie de Conſ: d. 2. Ceteri verò Sacerdotes ſaltem in Natali D. Paſchate, & Pentecoſtes. Soto & alii,

Dico 4. Ex ſpeciali Dei inſtinctu poteſt omnino à celebratione ceſſari; ſecus, eſt p. m. Carthus in 4. d. 13. q. 1. & eſt communis. quia unuſquiſq; tenetur Vti gratiâ ſibi datâ. oppoſitum docet Cajet. & nonnulli.

Sicut autem non licet omni tempore abſtinere, ita nec omni celebrare, non enim

enim licet in die Parasceves, quo tamen die licet communicare. Quantum verò ad diem Cœnæ D. & Sabbathi S. tenent aliqui posse privatim celebrari secluso scandalo, præsertim si dies Annuntiationis incidat, vel desint hostiæ ad communicandum, qui si sit moribundus licet etiam die Veneris S. celebrare. Gab. in Sum. V. Missa. quia non celebrare die Veneris S. est tantum præceptum humanum, communicare in articulo mortis est Divinum.

DISTINCTIO XLIII.

De Communione sub utraq; specie.

DIco 1. In Ecclesia fuit aliquando consuetudo communicandi sub vtraq; specie, immo & tempore S. Thomæ q. 80. a. 12. Interdixit tamen Ecclesia populo sangvinis sumptionem. 1. ob effusionis periculum. 2. ne species corrumpantur. cum hoc Sacramentum pro infirmis debeat servari. vinum autem facilè acescit & corrumpitur. 3. quia multi habent nauseam vini. Sacerdos hoc defectu laborans, potest sumpto sanguine immediatè sumere absolutionem aquæ absque vino. adde vinum infirmis nocere. Immo nonnullæ Provinciæ vini inopiâ valdè laborant. 4. vt Sacerdos hâc dignitate supra populum fulgeat. Tandem ad tollendum errorem docentiū totum Christum non contineri sub utraq; specie.

Dico 2. Sacerdos more laicorum communicans, prohibetur sanguinem, sub specie vini sumere, aliàs graviter peccat. Nec etiam potest seipsum communicare nisi in necessitate v. g. in peste.

Dico 3. Sacerdos sub vtraq; specie intra celebrandum communicans, non plus gratiæ recipit, quàm laicus sub una specie communicans ad differentiam corporalis refectionis, in qua plus nutrimenti sumitur ex cibo & potu quàm ex solo cibo. Cajet. & alii contra M. Nugno eodem modo qui plures hostias sumit non majorē gratiam recipit. quia non est plus virtutis, quam in vna tantùm S. Th. q. 79. a. 7. ad 3. Et sic Sacerdos non dispositus in sumptione corporis Christi Domini, sed in Sanguinis receptione, eandem gratiam consequitur, ac in corporis & Sanguinis sumptione simul, per se loquendo.

DISTINCTIO XLIV.

De effectu Sacramenti Eucharistiæ.

DIco 1. Multi numerantur huius Sacramenti effectus 1. Confertur gratia per modum nutritionis & augmenti in vita spirituali, quia per modum cibi & potùs spiritualis hoc Sacramentum institutum est. dicitur conferri gratia per modum nutritionis & augmenti, in quantùm confertur cum quadam exigentia ad auxilia Divina, medijs quibus prorumpimus in actus devotionis & charitatis quibus anima spiritualiter nutritur & augetur. Et hic effectus est proprius & principalis huius Sacramenti.

2. Confer-

2. Confertur quædam lætitia, dulcedo & suavitas spiritualis, quâ animæ puræ in eius receptione perfunduntur ac quodammodo inebriantur. & hic effectus licet sit maximè huic Sacramento proprius, est tamen à primo separabilis, ut patet in illis, qui habent palatum cordis noxiis humoribus, & rerum terrenarum delectationibus infectum.

3. Tolluntur peccata venialia & à mortalibus fit præservatio. Trid. Ses. 13. C. 2. ibi, *hoc Sacramentum est antidotum, quo liberamur à peccatis quotidianis & à peccatis mortalibus præservamur.* Probabiliùs est, quòd non solùm mediatè deleat venialia, excitando ad actum charitatis venialia delentis, sed etiam immediatè, & idem de causatione præservationis à mortalibus, Immo hoc Sacramentum expiat p. m. per accidens tamen, quando nesciens se esse in mortali, accedit. Et hoc colligitur ex S. August. relato à Ginio in præsenti ibi, *quando corpus Christi manducatur vivificat mortuos.*

4. Eucharistia, & quatenus sacrificium & quatenus Sacramentum remittit in parte pœnam peccatis debitam. quatenus sacrificium directè, nam sub hac ratione habet vim satisfaciendi & placandi Deum, ac reddendi illum nobis propitium. Quatenus Sacramentum verò ex consequenti & concomitanter. quia excitat fervorem charitatis, per quem homo consequitur remissionem non solùm culpæ sed & pœnæ. hæc doctrina sumitur ex S. Th. q. 79. a. 5. (6. ad 3.

5. Diminuit concupiscentiam, & causat amorem castitatis. ex S. Th. l. c. á. 6.

6. Fit spiritualis unio cum Christo & eius fidelibus *unum corpus multi sumus.* 1. Cor 10

7. Huic Sacramento tribuitur immortalitas & resurrectio corporum, ratione coniunctionis carnis nostræ cum carne Christi, quæ vivificatrix est, utpote hypostaticè, unita Verbo Divino, à quo universa vivificantur. hunc effectum probat Gonet ex SS. Patribus.

8. Hoc Sacramentum causat perseverantiam finalem. Nam, cùm sit institutum per modum cibi & potûs spiritualis, fovet vitam spiritualem. Item, quia præservat à mortalibus, & facit vincere tentationes, juxta dicta. Hanc ob causam viaticum peregrinationis nostræ à SS. Patribus dicitur, atq; ab Ecclesia infirmis ægritudine oppressis, & tentationibus circumdatis, per modum viatici, quo iter æternitatis alacriù in fortitudine cibi huius decurrant, ministratur.

Tandem sequitur ultimus ac præcipuus huius Sacramenti effectus, nimirum adeptio gloriæ æternæ, juxta illud Ioan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.*

Dico 2. Qui accedit ad Sacramentum cum affectu actuali ad p. veniale, recipit gratiæ augmentum, cùm gratia compatiatur veniale. non tamen obtinet remissionem illius venialis, ut docet S. Th q. 79. a. 3. ad 1. Qui etiam distrahitur in perceptione huius Sacramenti percipit quidem augmentum gratiæ, non tamen percipit spiritualem lætitiam & dulcedinem S. Th. l. c.

Dico 3. Sacramentum Eucharistiæ confert gratiam mox ac guttur transivit.

Soto in 4. d. 11. q. 2. a. 1. & alii. Cibus enim tunc nutrit, quando ad stomachum transit. Vnde qui recipit species Sacramentales, sed postea eas expuit, non valens eas deglutire ob naturæ debilitatem, vel qui diu in ore retinet hostiam, ita ut species corrumpantur antequam deglutiantur, effectum huius Sacramenti non percipit, benè tamen ille, qui eas deglutit, sed postea evomit. quia illi non manducant corpus Christi manducatione completa, benè tamen iste. vomitus enim non opponitur manducationi, sed potius eam supponit, licèt impediat digestionem. Gonet in manuali Thomistarum de Euch. C. 9. Caietanus tamen supra. q. 79 a. 1. docet, Eucharistiam conferre gratiam, & eo tempore quo est in ore vel gutture, & quàm diu species in stomacho perseverant. Quod vltimum est probabilius, si novos devotionis actus homo tunc eliciat.

DISTINCTIO XLV.

De ritu, & figuris Sacramenti Eucharistiæ.

Quo ad Primum.

DIco Maximâ reverentia, etiam corporali, v. g genuflectendo &c. Eucharistia sumatur. V. Mosc. p. 11. Elementorum ad Sacras Confess: Sacerdos more laicorum communicans, præter hoc debet stolam in modum crucis induere, sub pœna excõmunicationis ex Conc. Bracharensi; sed hæc obligatio non est cum tanto rigore in usu. Azor. l. 10. (19. q. 12. ante & post sumptionem requiritur devotio ad percipiendum fructum, de qua Mosc. l. c. quare Christus Dñus summè gavisus, proprium sumendo corpus, eò quòd fuerit in mundo, qui dignè ut omnino decet sumpserit Eucharistiam.

Quo ad Secundum.

DIco ex S. Th. q. 73. a. 6 *in hoc Sacramento tria considerare possumus, scilicet id quod est Sacramentum tantùm, quod est species panis & vini. & id quod est res & Sacramentum, scilicet corpus Christi verum. & quod est res tantùm, scilicet effectus huius Sacramenti. Quantùm igitur ad id quod est Sacramentum, tantùm potissima figura fuit huius Sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem & vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum qui continetur in hoc Sacramento, figura eius fuerunt omnia sacrificia veteris testamenti. præcipuè sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua eius figura manna, quæ habebat in se omnis saporis suavitatem, vt dicitur Sapientiæ 61. Sicut & gratia huius Sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. Sed Agnus Paschalis quantum ad hæc tria præfigurabat hoc Sacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis, secundùm illud Exodi 12. edent carnes & azymos panes. Quantum verò ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel, decima quarta luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum verò ad effectum, quia per sanguinem* agni

agni Paschalis protecti sunt filij Israel à devastante Angelo, & educti de Ægiptiaca servitute.

DISTINCTIO XLVI.

De Sacrificio Missæ.

NOta. ratio sacrificii consistit in hoc, quòd Deo aliquid solemniter, & cum debitis offeratur cæremoniis faciendo aliquid circa rem oblatam, ad honorem & cultum Dei. Quare sic potest definiri. *Sacrificium est oblatio externa, rei alicujus permanentis Deo facta, cum illius rei immutatione, in protestationem dominij eius in vitam & mortem suæ creaturæ.* explicatio si placet videatur apud Labat in 3. p. tr. 2. disp. 5. dub. 1.

Nota 2. Missa, quæ est sacrificium in specie, & legis gratiæ sic potest definiri. *est sacrificium corporis & sanguinis D. N. I. C. sub speciebus panis & vini consecratis.* Congruè autem vocatur Missa, eò quòd oblatio & preces ad Deum mittantur, sicq; illorum verborum. ite Missa est, sensus est, abire licet, quia oblatio & hostia salutaris iam transmissa est cum precibus ad Deum pro vobis. Hugo de S. Vic. L. 2. de Sacram.

Nota 3. ex Philippo à SS. Trin. disp. 8. de Euch. dub. 11. In Eucharistia alia ratio sacrificii, alia ratio Sacramenti. nam ut sacrificium, respicit Deum directè tanquam terminum ad quem. ipsi enim offertur ad gloriam & honorem propter bonum nostrum, ut Sacramentum respicit filios Ecclesiæ, quibus datur ut alimentum spirituale animæ, ut Sacrificium est quid transiens, completur enim in consecratione. ut Sacramentum est quid permanens. nam licèt per consecrationem conficiatur, ipsa tamen peractâ permanet. In his ergo & alijs est discrimen.

Dico 1. Sacrificium Missæ à Christo institutum, licet à solis Sacerdotibus offeratur, ministerio tamen eorundem ab alijs fidelibus offertur. Et sic ait Sacerdos in canone Missæ, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.* Et sic fideles ministerio Sacerdotum implent præceptum naturale, quo tenentur Deo offerre Sacrificia. In hoc Sacrificio Christus immolatur & offertur. Et sic sacrificium nostrum quoad rem oblatam, ne dum specie, sed & numero, convenit cum sacrificio Crucis, est tamen diversum quoad modum. Nam in nostro sacrificio non separatur sanguis à corpore, sed solùm significatur talis separatio.

Dico 2. Essentia sacrificii Missæ salvatur in consecratione unius speciei, non integritas. Sicut & essentia Eucharistiæ, etsi non integritas, salvatur in una sola specie.

Dixi in consecratione nam essentia sacrificij Missæ non consistit in oblatione, quæ fit post consecrationem, vel in sumptione, sed solùm in consecratione, cum respectu tamen ad sumptionem ut necessariam ad integritatem sacrificii. Ita M. Reynerus Cathedraticus Viennensis in manuscriptis cum communiori Thomistarum. Prima pars patet. Nam hæc oblatio solùm est ab Ecclesia instituta,

Vnde D. Greg. L. 7. epist. 63. asserit. Initio nascentis Ecclesiæ post consecrationem oratio Dominica immediatè dicebatur, nec proinde fiebat hæc oblatio. Secunda etiam pars cum tertia patet. Quia in illa actione debet esse essentia sacrificii, quæ fit in persona Christi tanquam principalis Sacerdotis, sola autem consecratio sic exercetur non sumptio. Siquidem Christus D. principaliter consecrat, non verò se ipsum sumit. Ex his habes 1. etiam in aliis partibus non consistere essentiam sacrificii Missæ. Numerantur autem à S. Th. q. 83. a. 4. Sex. 1. præparatio 2. fidei instructio, quæ incipit ab Epistola 3. oblatio. 4. consecratio quæ incipit à præfatione. ad quam reducitur oblatio post consecrationem. *Vnde & memores Domine &c. offerimus majestati tuæ.* 5 perceptio Eucharistiæ, quæ incipit ab oratione Dominica 6. gratiarum actio, quæ incipit à cantu post communionem. Possunt reduci ad tres, scilicet, præparationem, consecrationem & sumptionem. Habes 2. in Parasceve non fieri propriè sacrificium.

Dico 3. Sacrificium Missæ continet omnem perfectionem & causat omnes effectus sacrificiorum legis naturæ & scriptæ.

Sciendum inter sacrificia vetera, alia fuisse holocausta ordinara ad protestandam supremam excellentiam Dei in omni genere. & tota hostia huius sacrificii cremabatur in honorem Dei. & hoc dicit holocaustum, id est totum incensum. Alia erant sacrificia propitiatoria seu expiativa, seu hostia ad placandum Deum iratum. & horum quædam pars cremabatur, quædam pars sumebatur à Sacerdote. Alia sacrificia dicebantur hostia pacifica oblata pro beneficiis acceptis, vel etiam accipiendis, & horum quædam pars cremabatur, quædam à Sacerdote, quædam ab offerente sumebatur.

Sciendum præterea, quando animal offerebatur dicebatur victima sive hostia. Quando res inanimatæ solidæ, dicebatur immolatio. Quando res liquidæ, dicebatur libamen.

Si primario intendebatur honor Dei ob summam eius excellentiam, erat sacrificium latreuticum. Si peccatorum remissio & pœnarum relaxatio, propitiatorium. Si gratiarũ actio, eucharisticum. Si beneficii impetratio, impetratoriũ.

Sacrificium ergo Missæ, quia hæc habet dicitur latreuticum, propitiatorium, eucharisticum & impetratorium. Vnde Ecclesia in quadam oratione sic ait. *Deus qui legalium differentiam victimarum, vnius sacrificij perfectione sanxisti.*

Dico 4. Sacrificium Missæ non confert immediatè ex opere operato & infallibiliter primam gratiam, nec sic remittit peccata mortalia, ut faciat ex attrito contritum. & oppositum judicatur erroneum. Non etiam confert immediatè ex opere operato & infallibiliter augmentum gratiæ. Vterque enim modus causandi gratiam tantùm est Sacramentorum. Causat tamen sacrificium Missæ gratiam & augmentum gratiæ mediatè ex opere operato, impetrando auxilium Divinum, & sic non causat ista semper. Eodem modo causat alia bona spiritualia & temporalia, hoc est impetrando.

Dico 5. Per sacrificium Missæ remittitur culpa venialis ex opere operato non

non solùm mediate, impetrando auxilium, per quod homo justus eliciat actum qui sit formalis vel virtualis detestatio peccati venialis, sed etiam immediatè & infallibiliter. ita Sapientissimus meus Professor M. Reynerus in manuscriptis. Potest autem fieri hæc remissio per hoc, quod homo ponat aliquem actum, qui licèt per se non sufficiat ad remissionem venialis, sufficit tamen ex superaddita vi sacrificii, sicut v. g. attritio non sufficit ad remissionem mortalis, sufficit tamen adjuncta virtute Sacramenti Pœnitentiæ.

Dico 6. Sacrificiũ Missæ remittit pœnas temporales, quæ, remissà culpâ, restant solvendæ vel in hac vita vel in purgatorio, idq; ex opere operato immediatè & infallibiliter. Idem qui supra & communiter. Adverte ex S. Th. q. 79. a. 5. virtute huius sacrificii non semper tollitur tota pœna, sed major vel minor juxta dispositionem offerentium & eorum pro quibus offertur, qua devotione modificatur valor infinitus sacrificii ad effectum finitum.

Dico 7. Sacrificium Missæ offerre pro damnatis est mortale, cùm ijs non prosit. Secus pro existentibus in mortali, quia tamen non sunt amici Dei, non eis prodest ut satisfactorium, sed ut placativum Dei irati.

Dico 8. Pro infidelibus licet Sacerdoti directè sacrificare, ut convertantur, Bonac. de Sacrif: contra nonnullos. Item pro excommunicatis tolleratis possumus publicè orare & sacrificia offerre. quia Concilium Constantiense absolutè concedit, ut cum talibus communicemus in omnibus Divinis officiis, à qua communicatione non est ratio cur excludantur publica oratio & sacrificia. Megala, & alii tacitè in Summa Dianæ V. Excomm. effectus, relati. Immo pro excõmunicatis denuntiatis possunt sacrificia offerri, si sine peccato sint excommunicati, vel si sint verè pœnitentes, & non stat per ipsos quin absolvantur ab excommunicatione, Philippus à SS. Trin. de Sacram. Euch. disp. 8. Potest etiam Sacerdos ut persona particularis, pro denuntiatis, ut in memento, orare. Philippus l. c. & alij. Adde Bonacinam de Cens. d. 2 q. 2. punc. 1. docere. Missam cuicunq; excommunicato in persona Christi applicatam prodesse & quoad impetrationem. si verò sit in gratia, & quoad satisfactionem. Quia hic valor, ait ille, non numeratur inter suffragia Ecclesiæ.

Dico 9. Hoc sacrificium etiam ut satisfactorium potest offerri pro Catechumenis mortuis. Et ita fecit D. Amb. pro anima Valentini. Quia etiamsi isti non sint baptizati, censentur tamen viva membra Christi per fidem & charitatem. Nec Concilium primum Bracharense Can. 35. est contrarium, cùm loquatur de Catechumenis suâ culpa sine baptismo decedentibus.

Dico 10. Sacrificium Missæ, ut gratiarum actio, potest offerri pro beatis, De la Cruz de Sacrif: Missæ q. 1. dub. 5. cum communi. Nam prodest eis ad gloriam accidentalem. & sic benè offertur pro baptizatis mortuis ante usum rationis.

Dico 11. Si Missa consideretur ut nomine Christi vel etiam Ecclesiæ, à ministro procedit, est æqualis valoris, (stante tamen differentiâ penes id quod est offerre nomine Christi, & nomine Ecclesiæ) secus ut procedit à ministro nomine pro-

ne proprio S.Th q. 82. a. 6. ex quo habes tripliciter posse Missam accipi, scilicet ut nomine Christi, nomine Ecclesiæ, nomine proprio à ministro procedit. Valor tamen Missæ ut nomine Christi offertur, est,excellentissimus & non impedibilis. Valor verò Missæ, ut nomine Ecclesiæ, vel à ministro nomine proprio offertur, impeditur. Primus, si sit excommunicatus, quia excommunicatus nequit offerre sacrificium Missæ, nomine Ecclesiæ. cùm sit ab ea præcisus. secundus, si sit in mortali. quod probat. S. Th. ex illo Prou. 28. *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

Dico 12. Valor accidentalis Missæ ortus ex dignitate Ecclesiæ offerentis, orationibus, invocatione Sanctorum, devotione ministri. est finitus. Ortus ex re oblata & principali offerente scilicet Christo est infinitus, habet tamen effectum finitum, & sæpè nullum, unde multum prodest replicatio Missæ pro inclinanda Divina misericordia. Nec hic valor (in se consideratus) limitatur à ministro, quia hic tantùm ut instrumentum. Dixi, *in se consideratus.* Nam quantum ad effectum limitatur à Sacerdote applicante, ut ijs solis prosit pro quibus offertur & ut specialiùs prosit, pro quibus specialiùs applicatur. Limitatur etiam ex devotione eius pro quo offertur. Quemadmodum in naturalibus agens producit effectum, non quantum ex se potest, sed secundùm applicationem, & dispositionem passi.

Dico 13. Cùm valor accidentalis Missæ sit finitus, quantò in plures dividitur tantò minùs singulis prodest, secus de valore essentiali, cùm sit infinitus. Et sic, si Missa pro multis offeratur, æqualiter tamen, ac pro uno, non minùs prodest singulis, quàm si pro uno solo offeratur. æqualiter inquam. nam si pro aliquo offeratur specialiter, pro aliis in generali, & non ita specialiter, plùs illi prodest, quantùm ex hoc capite. Ita Sylu. Caietanus. Cano quos sequitur Labat disp. 5. de Sacr. dub. 3. § 1. Philippus à SS. Trin. d. 8. de Sacr. Euch. dub. 6. & alij.

Ex quo infertur, Sacerdotem posse unico sacrificio satisfacere pluribus petentibus Misam, sed sine stipendio, & eàdem Misâ satisfacere posse voto & obligationi celebrandi ex eleëmosyna, sicut & pro illo qui eleëmosynam dedit, & pro aliis pro quibus ex charitate tenetur, v. g. pro fratribus & sororibus suæ Religionis. Ita, & rationabiliter infert P. M. Reynerus in manuscriptis.

Dices, ex nostra sententia sequi, posse Sacerdotem tutâ conscientiâ, accipere diversas eleëmosynas à pluribus, omnibusq; unâ Missa satisfacere. cùm tantùm quilibet reportet, acsi pro quolibet seorsim celebretur.

℞. Ex M. Labat. N. sequelam. Quia non datur stipendium Sacerdoti pro fructu sacrificii Missæ, vel pro labore in celebratione necessario, aliàs esset simonia (licet pro labore accidentali aliquid possit accipi, ut pro obligatione tali vel tali horâ celebrandi, pro labore magni itineris conficiedi) sed datur stipendium tanquam eleëmosyna ad vitam sustentandam, vel pro aliis necessariis vel etiam ut docet Gabr. citandus pro obligatione ad celebrandum.

Dico 14. Sacerdos non validè applicat Missam referendo suam intentionem

nem in intentionem alterius v. g. B. Virginis. quia ipse debet applicare Gab. à S. Vinc. V. Missa. potest tamen illi Missam applicare, quem B. V. designaverit. quia tunc ipse Sacerdos est, qui applicat. Caveat, pro primo offerente eleëmosynam, Missam applicare, hoc enim reprobatum per Clem. VIII.

Quæritur quot sunt vtilitates seu fructus sacrificij legis gratiæ? ℞. tres solent numerari fructus sacrificii, qui ex applicatione resultant. Primus ex universali intentione Ecclesiæ sacrificium Missæ applicatur toti populo Christiano, & præcipuè Papæ & Principibus Christianis: quò reducitur fructus, quem percipiunt ministri, & adstantes, qui sunt aliquomodo offerentes cum Sacerdote. Secundus seu medius ex intentione peculiari Sacerdotis applicatur, cui ipse voluerit. hic fructus secundùm Gab. à S. Vinc. V. Missa, correspondet Christo D. principali offerenti, & ex facultate ab eodem concessa est applicabilis aliis. & defacto Sacerdos tenetur hunc fructum applicare illi, qui v. g. eleëmosynam dedit. Gabriel l. c. Tertius fructus cadit ipsi Sacerdoti. Secundùm nonnullos potest Sacerdos fructum sibi provenientem alteri applicare, non tamen potest pro eo aliquam eleemosynam accipere, ut statuit Alex. VII. damnando propositionem 8. ob eandem rationem, laicus suam Missæ partem potest alteri applicare, v. g. animabus Purgatorij.

DISTINCTIO XLVII.

De Missarum stipendio.

DIco 1. Missarum stipendium taxatur vel à Superiore, vel ex communi vsu. & licèt adsit pactum inter Sacerdotem & dantem stipendium, nulla tamen est simonia quia non datur pretium pro Missa. Hinc fit quòd Sacerdos reportans vltra justum stipendium, peccet contra justitiam, nisi vltrò & benevolè detur. Iustum stipendium non est taxandum in ordine ad congruam Sacerdotis sustentationem pro vna die. nam Ecclesia taxando Missarum stipendia, non ita taxat, ut unum stipendium sufficiat pro integro victu vnius diei: ob quod in Concilio Tridentino statuitur, ut nullus ordinetur sine beneficio aut saltem patrimonio, quo congruè vivat. ne fideles graventur solvendo tam ampla stipendia.

Dico 2. Non licet Sacerdoti pauperi reportare duo justa stipendia prò vna Missa, licèt his opus habeat ad victum moderatum juxta suum statum: Nam sicut paupertas vendentis non auget pretium suæ mercis, hinc pauper non potest pluris vendere v. g. gallinam, quàm dives, cùm sit idem respectu omnium pretium. Ita nec paupertas Sacerdotis auget stipendium Missæ. Et illud hic in memoriam revocandum, quod damnavit Alexander VII. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre.*

Dico 3. Non potest Sacerdos accipere duo stipendia, unum pro applicatione fructus, qui solet applicari & aliud applicando proprium fructum. & oppositum damnavit Alex. VII. Neq; potest quis accipere duplex stipendium applicando

cando uni partem solitam, & alteri indulgentiam altaris privilegiati, aut aliam. Gab. à S. Vinc. V. Missa.

Dico 4. Tot Missæ dicendæ, quot ad rationem eleemosynæ acceptæ, ex decreto S. Cong. authoritate Vrbani VIII. sub interminatione Divini judicii id præcipientis. Hinc non licet, dum petens Missam non dat justum stipendium, quòd possit pauper Sacerdos unam missam pro pluribus parvis stipendiis offerre. sibi imputet quòd suam mentem non explicuerit. Item non licet pro Missa cantata duplicatum stipendium sumere, hoc sensu, scilicet pro duabus missis priuatis, unam cantatam absolvere. Iustè tamen aliàs pro Missa cantata duplicatum stipendium anticipatè exigitur, attento ministrorum numero, cùm sic plures obligentur. Vel etiam attentis aliis circumstantijs.

Adverte ex Samuele de Lub. V. Missa. Missa cantata magis proficua est ex opere operantis, quàm privata. quia plures sunt offerentes secundarii (pro quo tamen fructu non solvitur) Proinde cum invitatur collegium ad cantandam Missam, fraudatur intentio petentis quoad fructum prætensum, si saltem major pars non conveniat, & magis fraudaretur si privata diceretur. Idem dicendum de obligationibus antiquis, ut est Missa conventualis, anniversariũ pro defunctis.

Dico 5. Obligatus ex stipendio vel capellania. dicere Missam v. g. de Spiritu Sancto, vel de B. Virgine vel de Requiem, *satisfacit* celebrãdo currentem. quia omnes Missæ sunt æqualis valoris. Peccat tamen venialiter. immo ut habet Sylu. & alii apud Dian. p. 3. trac. 6. res. 62. defunctis & aliis nulla Missa est salubrior quàm diei. peccat tamen venialiter, specialiter promittens celebrare talem Missam, & celebrans aliam. Nau. Villalobos. V. Dia. l. c. & p. 2. tr. 14. res. 31. Qui tenetur in aliquo loco celebrare, non potest celebrare alibi, quando fundator intendit cultum illius loci. Non nego tamen posse pro alio Missam applicari. Si deinde suppleatur defectus applicationis ad intentionem fundatoris, quàmvis in alio loco.

Dico 6. Peccant mortaliter colligentes Missarum copiam, quas nisi per longum tempus dicere possunt. Ita communiter. Longum tempus secundùm Villalobos & alios est vltra duos menses. Immo si periculum est in mora v. g. pro agonizante, nullo modo differendum. Quoad primam partem, salutare consilium erit, ait Dela-Cruz de Sacrif. q. 1. Si Sacerdos semper celebret pro omnibus pro quibus vsq; tunc accepit stipendia. Sic enim danti v. g. unum stipendium plura applicat sacrificia. Et si in uno die iste non sit dispositus, pro recipiendo fructu sacrificii, in alio erit dispositus.

Dico 7. Missarum celebrandarum onera perpetua nullus recipere potest, sæcularis sine licentia Episcopi vel eius Vicarii. Regularis sine licentia Generalis vel Provincialis, ex decreto de celebratione Missarum. Qui suscipit Missam celebrandam cum certa eleëmosyna, non potest eandem alteri committere, parte eleëmosynæ retentâ, ex determinatione Alex. VII. Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis, non suffragatur, nec indulto satisfit, nisi sit de Requiem

licèt

licèt in indulto non exprimatur Missa de Requiem. S. Cong. apud Barbosam in collect. Bull: V. Missa. Suffragatur tamen si Pontifex mente suam exprimat.

Dico 8. Si Capellanus infirmatur per 15. v. g. dies. non tenetur per alium Missas dicere, ut probat Bonac. de Euch. q. ult: p. 8. nisi aliter in fundatione habeatur, & hoc ex majori stipendio compensetur. Secus, si morbus prolixior (nec reditus nimis tenues, vel in morbum non absumuntur ut docet Bonac. ex Rodriq.) Nam tunc Missas per alium dicet. & satisfaciet dando stipendium ordinarium. Dela-Cruz de sacrif. q 1.

Dico 9. Licet Capellano non habenti stipendia pro Missis liberis, dicere anticipatè Missas Capellaniæ. Patet ex usu communitatum Religiosorum in simili, ait Dela C. Non tamen licet Sacerdoti non habenti stipendium, celebrare pro illis, qui postea illi commendabunt Missam, ut supra dictum, sive reservando applicationem Missæ in tempus, quo sibi Missa commendabitur. sive applicando eas modò pro eo, quem Deus scit eas petiturum. Ita declaravit Paulus V.

Dico 10. Parochus non tenetur quotidie per se vel per alium. suis ovibus celebrare, quàmvis habeat pingue beneficium. Oppositum docet Sotus in 4 d. 19. q. 2. a. 2. Ledesma tamen C. 17. de Euch. cum aliis quos refert, docet teneri Parochos pro suis ovibus celebrare in festis & Dominicis diebus. sed in hoc attendenda consuetudo ait dela C. Quòd si his diebus tenentur pro suis ovibus Missam offerre, non possunt ab ijs (ut his diebus applicent) stipendium recipere. Si non tenentur, quamvis habeant bona Ecclesiastica sufficientissima, vel ex alio capite sint ditissimi licet. stipendium recipere.

Quicquid sit de obligatione offerendi Missam pro ovibus, Rectores Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, Conventualium, immo & Parochialium, ubi est sufficiens numerus Sacerdotum, tenentur quotidie providere sub mortali de Missa, Dela-Cruz q. 2. de Missa, referens communem.

DISTINCTIO XLVIII.

De loco in quo celebranda Missa, ubi de Oratorio & Altari.

Dico 1. Missa celebranda est in loco sacro, saltem ab Episcopo benedicto, (quam benedictionem potest delegare Episcopus simplici Sacerdoti, pro Ecclesia sæculari. S. C. apud Gab V. Ecclesia) licèt non consecrato. Hoc præceptum, cum sit de re gravissima ligat sub mortali. Ledesma C. 20. de Euch. & alii. contra M. Soto in 4. d. 13 q. 2. a. 3. & Sa V. Missa. Si in majoribus, solemnitatibus Ecclesia non capit omnes fideles, licet extra eam in loco decenti celebrare. Non tamen in mari aut fluvio ob periculum effusionis sanguinis. Item itinerantibus, si desit Ecclesia, licet sub dio aut sub tentoriis, Missas celebrare in altari portatili ex C concedimus de Consecrat. d. 1. Episcopis extra Ecclesiam celebrare licet, etiam sine necessitate. cùm id eis absolutè concedatur.

Dico 2. Conceditur celebrare extra Ecclesiam cum licentia Episcopi, stante tamen

te tamen aliquâ necessitate, licet non ita evidenti, v. g. si sit in aliqua domo, ubi non est Oratorium, infirmus, potest Episcopus dare licentiam celebrandi in aliqua camera in altari portatili in sua diœcesi tantùm, etsi ablato altari illo camera deserviat prioribus usibus, & idem in aliis casibus in quibus judicio prudentis aliqua licet non ita evidens necessitas.

Dico 3. In Oratoriis privatis nonnisi de licentia Papæ Missa celebrari potest, & debent esse decenter ornata, visitata verò & approbata ab Episcopo pro his insinuat declarationem S. Cong. Gab à S. Vinc. V. Orat. tenor privilegii attendendus, an eodem die plures Missæ dici possint. Regulares ex licentia Provincialis absq; licentia Episcopi Oratoria erigere possunt. quæ sufficit ut sit præsumpta & in aliquo casu, quando Provincialis facilè consuli non potest sufficit licentia Superioris localis, tum ut erigantur in Conventu, tum in grangijs. Gab. l. c. Sed sine læsione juris Parochialis.

Est autem privatum Oratorium illud, quod in domibus privatis erigitur cuius ostium non est patens in via publica, nec habet campanam prominentem ad convocandos alios extra domum, & ad usus prophanos converti potest, tandem non gaudet immunitate Ecclesiasticâ nisi sit benedictum. Summa Dia. V. Orat. Hujus benedictio & reconciliatio pertinet ad Regulariũ Superiores. Summa cit. loquendo de Oratorio Regularium.

Dico 4. Possunt audire Missam in Oratorio privato, non solùm Domini, sed etiam tota familia absente Domino. Novarius in Sum. Dia. l. c. Vnde audiens Missam in tali Oratorio, qui non est de familia Domini, peccat mortaliter, si aliam non audiat die festo. Nomine domesticorum gaudentium privilegio audiendi sacrum in privato Oratorio, intelligi non solùm domesticos Domino cohabitantes, verùm etiam, qui extra domum manent Domini expensis.

Dico 5. Dies prohibiti celebrationis in Oratorio privato sunt prima dies tantùm Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Epiphaniæ, Annunciationis, Assumptionis B. M. V. SS. Petri & Pauli, & omnium Sanctorum. vnde si quis istis diebus sacrum audiat in Oratorio privato, non satisfacit præcepto Ecclesiæ de audienda Missa. Garzias in Sum Dia. l. c. Sed Gab. à S. Vinc. l. c. tantùm numerat dies Paschatis. Pentecostes & Nativitatis.

Dico 6. Privilegium concessum habendi Oratorium privatum, cùm sit gratia personalis. extenditur ubicunq; Dominus fuerit. Itaq; potest Oratorium erigere in alio pago. & quàmvis nominatio loci in privilegio taxet locum particularem, intelligitur quòd demonstretur non determinetur. Aymon in Sum. Dia. Nec opus est nova approbatione Episcopi, dummodo ornatus ille, quo vsus fuit in primo Oratorio collocetur. Quitanadus ibid.

Dico 7. Regulares in Oratorio privato, possunt ministrare Sacramentum Eucharistiæ. Baunius & alii ibid. Quod intellige de petentibus ex devotione. Quia administratio Eucharistiæ non est vetita Regularibus, quando præceptum communionis non obligat. Busemb. de Euch. C. 2. d. 1.

Dico 8. Quando altare firmum, seu lapis qui altari superponitur, est consecratus, non est opus altari portatili, secus si non fuerit consecratus.

Vnde scias duplex esse altare, firmum vel stabile, & viaticum seu portatile, sic dictum, eò quòd de loco in locum transferri possit, cuius tanta longitudo & latitudo esse debet, ut in eo capi possit pes calicis & hostia consecrata. Stabile si sit consecratum, necessario debet esse lapideum aliàs potest esse ex alia materia, sed superponendum est portatile. Portatile verò cùm semper debeat esse consecratum, semper etiam debet esse lapideum.

Dico 9. Sede vacante possunt Regulares adire Episcopum viciniorem pro consecrando altari, sicut & eum vocare pro consecranda Ecclesia, ex concessione Sixti IV. & Eugenii IV. Gab. V. Altare. Non sunt consecranda altaria sub quibus sunt cadavera mortuorum. S. Cong. apud Lez. t. 3. qq. Regul. V. Altare. nisi sint Sanctorum. Arm. V. Alt. Et sic reponere cadavera sub altaribus vel gradibus eorum non licet, Sacra Cong. apud Lez. l. c. Et Episcopo Ternensi mandatum fuit amovere sepulchra, quæ extarent subtus altaria, vel ipsorum bradellam. apud Lez. Ex quibus à fortiori patet, si essent aliqua altaria quæ continerent cadavera, non esset celebrandum in eis, sive essent laicorum, sive prælatorum. Lez.

Dico 10. Altaria erigere in Ecclesijs consecratis, non licet in jure communi stando, sine Episcopi consensu, sub pœna depositionis Clericis, & excommunicationis, laicis. in Ecclesijs verò non consecratis, licitum est id Presbyteris. Similiter in Ecclesiis consecratis, nulli licet absq; consensu Episcopi altaria destruere, ex paritate rationis. In Ecclesijs verò non consecratis quilibet jure suo potest altaria non consecrata destruere, Lez. quoad omnes partes.

Dico 11. Probabile est privilegium Regularibus concessum (ut ubiq; locorum celebrent in altari portatili) non esse omnino à Trid. revocatum, sed solum in casu quo Episcopus id prohibeat, ita ut ipso non contradicente possint Regulares, & qui cum ipsis communicant in privilegiis in loco honesto celebrare, cum solo altari portatili. Lez. citans alios. Hoc tamen debet esse sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis, quod in tribus consistit, in oblationibus, decimis & primitiis.

Dico 12. Quàmvis Episcopus repugnet, possunt Regulares privilegiati celebrare Missam in altari portatili in grangiis seu prædiis suorum monasteriorum. Lez. referens alios. Item in cameris particularibus Religiosorum in casu extraordinario, vel propter infirmitatem vel communionem percipiendam, potest sacrum fieri cum solo portatili, etiam Episcopo contradicente. quia non sunt privatæ domûs, nec extra Ecclesiam. Pro hac conclusionis parte insinuat Lezana privilegium Pij IV, pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris Lateranensis, concessum post Trid. nam concessum 1565. 18. Maij.

Dico 13. Audientes Missam in die festo in infirmariis Regularium, in Oratorijs & grangiis, cùm ista ex Roderico & aliis, referente Gabriele à S. Vinc. in Summa

Summa V. Altare, veniant nomine Ecclesiæ Regularis, in qua fideles satisfaciunt præcepto de audienda Missa, etiam satisfacient audiendo eam in dictis locis.

Dico 14. Facultas erigendi altaria in Oratoriis, capellis & grangiis Regularium pertinet non ad solùm Provincialem, sed etiam ad Prælatum localem, non in virtute privilegii Patribus Societatis concessi, quia in virtute huius solûm ad Provincialem spectat, sed in virtute privilegii, Patribus D. Hieronymi in Hispania, concessi, vbi etiã, quod in Camera Prælati infirmi, altare erigi possit. Gab. l. c.

Dico 15. Altare privilegiatum est illud, in quo, vel cui indulgentia pro defunctis concessa est. Pro qua lucranda non est necesse, quod Sacerdos sit in statu gratiæ, Sicut nec in aliis indulgentiis pro defunctis requiritur.

Dico 16. Licet dicere Missam privatam de Requiem die Dominico infra octavam Omnium SS. in altari privilegiato, quia videtur, quòd Pontifex velit illam concedere, & idem de festo duplici, quod non procedit de aliis Missis defunctorum. Diana l. c. Resol. 28.

Dico 17. Quando altare privilegiatum conceditur ad septennium, tunc septennium non incipit à die concessionis, sed à die electo pro celebratione Missæ: Debet enim septennium esse vtile. Sic viri docti consulti, referente Gab.

Dico 18. Numerus Missarum dicendarum in Ecclesia, ubi conceditur altare privilegiatum aut indulgentia, non requiritur tanquam conditio necessaria ad valorem. Diana res. 10. & 11. cum Bordono. alii oppositum tenent.

Dico 19. Indulgentia altaris privilegiati (sicut & aliæ indulgentiæ pro defunctis) non suspenditur in jubileo, nisi hoc exprimatur. Destruitur tamen per destructionem Ecclesiæ aut Capellæ; secus, si per partes paulatim renovetur. Factâ electione altaris privilegiati, non potest ampliùs mutari locus, alii oppositum tenent, Gab. quoad omnes partes. Cùm hæc indulgentia sit difficilioris concessionis, non communicatur aliis Religiosis. Diana res. 20.

DISTINCTIO XLIX.

De violatione Ecclesiæ.

Dico 1. Violatur Ecclesia ob homicidium publicum. Quare non violatur per occasionem hominis purè casualem, aut factam in propriam defensionem, aut ab amente, aut ebrio, quam diu his non imputatur ad culpam. Item, si extra Ecclesiam percutis lethaliter, & percussus moritur in Ecclesia, non violatur. Sicut nec è contra, si absq; sanguinis effusione v. g. veneno lethaliter noceas in Ecclesia, & moriatur extra Ecclesiam. Nam mors ex homicidio secuta debet intra Ecclesiam inchoari & perfici, quàmvis occidens sit extra Ecclesiam. Et sic homicidium factum supra Ecclesiam, aut subtus eam vel extra portam, non violat, ait Samuel de Lub. V. Ecclesia, in simili de effusione sanguinis. Si judex suspendat reum in Ecclesia, violatur. Si tamen suspendat in parietibus ad extra, aut supra tectum, violatur solùm cæmiterium. item, si quis seipsum in Ecclesia occidit,

occidit, violatur. Immo ex martyrio facto in Ecclesia, violatur, cùm hæc occisio ex parte Tyranni, sit injuriosa loco sacro.

Dico 2. Violatur Ecclesia per effusionem sanguinis publicam, & mortaliter illicitam, & in magna quantitate. Et sic non violatur per effusionem sanguinis in propriam defensionem, aut purè casualem, aut naturalem, ut cùm è naribus effluit, aut medicinalem, ut, cùm quis in Ecclesia minuitur. Immo, vt docet Samuel de Lub. l. c. nec si quis alterius nares percutit, unde multus profluit sanguis, ista enim percussio levis est & non mortifera. Item, violatur Ecclesia per effusionem proprii sanguinis, si videlicet cum peccato mortali effundis, secus, si flagellando pro peccatis, aut casualiter, aut aliter licitè. Et ut Ecclesia violetur, non est necesse ut sanguis cadat in terram. Nam, etsi recipiatur in vase, aut accepto vulnere statim exis violatur Ecclesia. Nec est necessarium percussorem esse in Ecclesia. nam si extra Ecclesiam existens, percutis existentem in Ecclesia, violatur. Secus, si existens in Ecclesia, percutis existentem extra Ecclesiam.

Dico 3. Violatur Ecclesia pollutione voluntariâ & publicâ, & idem de coitu & non sufficit parva distillatio, quàmvis sit mortaliter peccaminosa. Dela-Cruz q. 3. de Sacrif. Missæ. quia sic non est effusio. Nec requitur ut semen cadat in terram. cùm Ecclesia non violetur ob contactum, sed ob irreverentiam factam loco sacro. Ecclesia non violatur per pollutionem naturalem, aut in somno sine culpa mortali. nec per pollutionem vel coitum occultum, à fortiori ab amente factum, sicut, nec per homicidium aut sanguinis effusionem occultam, etsi à duobus vel tribus sciatur, dum non publicatur. Quæ publicitas non exigit sententiam declaratoriam judicis, ut patet ex usu.

Dico 4. Si conjuges diu cogantur habitare in Ecclesia, nec extra eam ad coitum exire possint, sicut non peccant tunc coëundo, sic nec violatur Ecclesia, etsi talis coitus publicetur. At, si conjuges sine causa ibi coëunt, vtpote, si possint exire ad coitum extra Ecclesiam, aut si per breve tempus cogantur esse in Ecclesia, & facilè possunt abstinere à coitu ibi, peccant mortaliter petendo & reddēdo contra reverētiam loci sacri, & violatur Ecclesia si coitus publicetur.

Dico 5. Violatur Ecclesia sepeliendo in ea excommunicatum, & intelligitur post Concilium Constantiense de solo excommunicato non tolerato. Nam solus iste à nobis est vitandus. Violatur etiam Ecclesia sepeliendo in ea infidelem, & intelligit Dela Cruz per infidelem etiam puerum hominis Christiani non baptizatum, si separatim à matre sepeliatur, secus si in vtero matris. Sed per infidelem, talem puerum non intelligit, Sayrus, relatus à Bonac. de matr. d. 4. q. 4. punc. vltimo. Quod à fortiori currit si simul cum matre, quàmvis non intra eam existens, sepeliatur. Sayrus cum aliis. Non etiam per infidelem intelligitur hæreticus, cùm odiosa restringi debeant. Et sic per sepulturam huius non violatur Ecclesia. sicut nec per exercitium hæreticum, item per spurcitias hominum &c. quàmvis deceat & praxis habeat, saltem per Sacerdotem cum aliqua cæremonia esse reconciliandam & abluendam.

Dico 6. Violatur Ecclesia seu potius exacratur, si parietes ita ruant, ut sit necesse quòd reædificetur, saltem quoad majorem partem. Secus si paulatim successive ruant, & sic successive reparentur. nam tunc non amittitur consecratio. nec sufficit quòd tectum ruat, nam vnctiones & cruces consecrationis Ecclesiæ, non in tecto sed in parietibus fiunt. Quòd si Ecclesia tantùm sit benedicta, & parietes ruant, non amittit benedictionem, cùm tantùm terra benedicatur, & sic durante terrâ & pavimento durat benedictio.

Dico 7. Violatâ Ecclesiâ violatur cæmeterium. Cùm accessorium sequatur naturam principalis. Non è contra. Et dicitur Ecclesia quod manet versus parietem internum, clauso ostio. Aliud verò quod manet extra, etiam sacristia, non venit nomine Ecclesiæ. Et hæc violatio non habet locum in oratorijs, sed in Ecclesijs, consecratis aut benedictis. sicut & quando res non publicatur non censetur violata. Hæc, exceptis nonnullis ex Dela Cruz q. de Sacrif.

Dico 8. Polluta seu violatâ Ecclesiâ polluitur altare stabile, ita ut reconciliatione indigeat, non tamen exacratâ Ecclesiâ exacratur altare. Mosc. p. 9. Element ad Sac. conf. est autem exacratio, quando res est de novo consecranda ob amissam formam & vsum. Nec sequitur licere in tali altari celebrare, cùm extra Ecclesiam non liceat celebrare. Solùm enim sequitur non indigere novâ reconciliatione.

QVÆSITVM.

Quomodo Ecclesia reconcilianda?

Respondetur Ecclesia tantùm benedicta, & deinde polluta, potest per aspersionem aquæ, non tamen de necessitate ab Episcopo benedictæ, reconciliari à simplici Sacerdote, & quidem secundùm Dianam quàmvis non adsit facultas Episcopi. Si Ecclesia erat consecrata, debet reconciliari à proprio Episcopo, vel si à simplici Sacerdote, tunc de licentia Papæ, habitâ tamen aquâ ab Episcopo sacrata cum salè, vino & cinere, vel saltem Episcopus dispenset, ut in ea celebretur. Docent nonnulli Prælatos Regulares habere privilegium reconciliandi proprias Ecclesias, & hoc cum aqua ab eis benedicta, ubi Episcopus per duas dietas abest. Dela Cruz de statu Relig. L. 2. C. 5. d. 9. continet autem dieta 7. leucas per Sylv. V. Benef.

Adverte ex Bonac. de Matr. disp 4 q. 4. puncto vltimo, & aliis DD. non esse necessariam reconciliationem, quando Ecclesia fuit occultè violata, & post violationẽ antequam publicetur violatio, conficiatur in ea Missæ sacrificium. Nam Ecclesia censetur sufficienter reconciliata per præsentiam SS. corporis Christi D.

Dico 9. Peccat mortaliter, qui celebrat in Ecclesia violata, sed non incurrit excommunicationem vel irregularitatem, est tamen suspensus ab ingressu Ecclesiæ, ut docet Lapus apud Arm. Quòd si in tali suspensione celebret, fit irregularis. Alii, cum quibus Bonac l. c. negant incurri aliquam censuram.

Aliquando tamen licet celebrare in Ecclesia violata, 1. ex privilegio ut Prædicatore

dicatores & Minores si enim privilegio gaudent celebrandi extra Ecclesiam (secundùm limitationem tamen in superiori distinctione attactam) à fortiori in Ecclesia violata. 2. de licentia Episcopi, requiritur tamen necessitas, licèt non ita evidens 3. quoties ob necessitatem licet celebrare extra Ecclesiam, licebit à fortiori celebrare in Ecclesia violata. cùm hæc sit decentior locus.

Dico 10. Si Ecclesia inter celebrandum violatur, & Sacerdos inchoaverat canonem, perficiat suum ministerium, aliàs omittat quousq; Ecclesia reconcilietur. Bonac. cum aliis l. c. Quòd si tantùm erat benedicta, ipse Sacerdos potest eam statim reconciliare.

ADDITIO.

De Exacratione Altaris.

Dico 1. Altare stabile exacratur. si ita frangatur, ut in nulla eius integra parte, saltem major pars calicis & hostiæ possit consistere 2. Si moveatur junctura, quâ mensa stipiti adhæret. quia in illa conjunctione præcipuè intelligitur esse consecratio altaris. & hoc ubicunq; sepulchrum sit. Scias, sepulchrum dicitur locellus in ipsa mensa vel in basi altaris, in quo conditæ sunt reliquiæ. 3 Si sepulchrum frangatur, vel amoveatur vel minuatur. Adverte ex Samuele de Lub. V. Altare, non exacrari altare, si sepulchrum modicè frangatur, ita ut non sint duæ partes. Aliqui negant per fractionem vel amotionem sepulchri altare exacrari.

Dico 2. Altare portatile exacratur. 1. Si removeatur lapis à ligno, quando sepulchrum est in ligno. 2. Si frangatur, amoveatur &c. repositorium reliquiarum. 3. Si lapis notabiliter frangatur, vt supra de stabili. Nota ex Samuele l. c. Non exacrari, quando lapis est in ligno & sepulchrum in lapide, & amovetur lapis à ligno.

Ex dictis collige. cum DD. de ipso sepulchro dubitet. Si casu aliquo tantùm sigillum sepulchri frangeretur, puto non esse tantopere timendum de exacratione altaris.

DISTINCTIO L.

De tempore celebrationis, vbi, an pluries eodem die?

Dico 1. Ordinariè nequit inchoari Missa ante initium auroræ seu primam lucis irradiationem, & hoc debet moraliter taxari nam etsi aurora non sit semper æqualis, at omni tempore licet inchoare Missam horâ & dimidiâ ante solis ortum, hoc est ante manifestos Solis radios. De la Cruz q. 3 de Sacrif Missæ cùm Ledesma. Immo aliqui dicunt, tunc posse finiri & sic posse inchoari duabus horis, ante manifestos solis radios. quia ad faciendum sacrum requiritur dimidia hora.

Dico 2. Aliquando licet dicere Missam ante dictum tempus. 1. ob necessitatem

ſitatem v. g. cauſa itinerandi, aut ut audiatur à laboraturis Item ad communicandum infirmum morti proximum. Dela Cruz l c. Led. C. 19. de Euch. 2. Nocte Natalis D. poteſt dici prima Miſſa illico poſt mediam noctem. Immo & aliæ duæ poſſunt dici tunc. Led. & Dela-Cruz judicat probabile, cùm oppoſitum dicat probabilius.

Noſtri etiam Religioſi per communicationem cum Patribus Benedictinis Montis Serrati (quibus id concedit Alex. VI. Bulla 13.) poſſunt dicere Miſſam duabus horis poſt mediam noctem de cauſa ſufficienti. Scias Privilegium conceſſum vni monaſterio extendi ad alia vtriuſque ſexûs, deinde ad participantes. Gab. à S. Vinc. in Sum, Morali V. Privilegium. Quod ſupponit Iacobus à S. Ant. in ſuis Conſult. Canon. Conſult. 2. reſol. 4. n. 191.

Dico 3. Miſſa inchoata ante meridiem poteſt poſt meridiem terminari, ſed eam inchoare poſt meridiem ordinariè eſt mortale. DD. apud Led. cit. Et licèt fuerit quondam uſus celebrandi poſt meridiem horâ tertiâ, jam tamen vetatur per Pium v. in motu incipiente. *Sanctiſſimus in Christo Pater.* an. 1566.

Dixi, *ordinariè.* Nam ex cauſa rationabili, poteſt inchoari Miſſa poſt meridiem. 1. Si in feſto ſolemni durat Miſſa ſolemnis & Concio duabus v. g. horis poſt meridiem, poteſt Miſſa privata inchoari finitâ concione. Dela-Cruz cit. quia continuatur adhuc præſens feſtivitas. 2. ratione itineris poteſt Miſſa celebrari in feſto poſt meridiem, dum tamen tempus vnius horæ non excedatur. Soto L. 10. de Iuſt. q. 5. a. 4.

Noſtri etiam Religioſi, per communicationem privilegiorum, quam habent à Leone X. Bul. 33. cum Minoribus, Auguſtinianis, Carmelitis, Servis B. M. V. & Minimis (Minores autem per Clementem VII. Bul. 2. participant privilegia & gratias conceſſas & concedendas Mendicantibus & non Mendicantibus) celebrare poſſunt uſq; ad tertiam horam poſt meridiem. quod privilegium conceſſit Eugenius Bul. 11. Cæleſtinus itinerantibus.

Quæritur. V. ſimplici communioni præfigatur tempus?

℞ quòd non. Quare licet, quacunq; hora communicare. congruum tamen in hoc conformari tempori celebrationis. Circa cõmunionem adverte 1 Sumptâ hoſtia non ſtatim ſpuatur. Si oportet, tunc in loco honeſto. 2. non ſtatim comedatur. Si fiat, non peccatur. nam C. ſi manè. de conſec. diſt. 2. eſt abrogatum. 3. Hoſtia leniter ſumatur, ânterioribus dentibus teratur, non totaliter conteratur. per os non volvatur, ſed linguâ molleſiat, ne aliqua pars dentibus adhæreat.

Dico 4. Sacerdos ex cauſa rationabili poteſt aliquando eodem die plures Miſſas dicere. 1. Die Natalis Dñi celebrantur tres, cuius congruentiam aſſignat D. Thomas. Nam illæ tres Miſſæ ſignificant triplicem Verbi nativitatem ſcilicet Divinam, humanam, & per gratiam. 2. Quando ſub finem vnius Miſſæ ſupervenit Epiſcopus, vel habens quaſi Epiſcopale juriſdictionem Ordinarius Prælatus, vel alius princeps ſæcularis, vel etiam aliqui itinerantes die feſto 3. Quando ſub

do sub finem Missæ intrat corpus defuncti sepeliendum cum Missa. 4. si non esset reservata Eucharistia, & dandum esset viaticum moribundo. 5. ad benedicendas nuptias, magnâ congruentiâ vrgente. 6 ob rationabilem causam à viro prudenti & probo judicandam. v. g. si eodem die duæ Missæ celebrandæ, vna festi, altera vigiliæ, rogationum, aut defunctorum. 7. si sacerdos præficeretur duabus Ecclesiis Parochialibus ob earum paupertatem, & hæ essent valdè distantes. seu, quod huic simile, si in festo solemni Ecclesia non caperet omnes fideles. sed tunc satius extra Ecclesiam celebrare.

Et in dictis casibus supponitur, quòd secundam Missam dicens sit jeiunus, ita ut in prima Missa non sumpserit lavatorium, sed solùm sanguinem cum hostia. Ita C. ex parte de celeb. Miss. Item supponitur non adesse alium Sacerdotem, qui velit celebrare.

Adverte. Primum casum concedit vsus. vltimum & ei annexum necessitas. Idem de quarto dici potest. alii non practicandi, nisi consuetudo concedat.

DISTINCTIO LI.

De vasibus & vestibus pro Missa. vbi etiam de candela, crucifixo, & coadjutore.

DIco 1. Tenemur sub mortali celebrare cum calice & patena ab Episcopo consecratis, vel si à simplici Sacerdote, ex commissione Papæ. Abbas Sacerdos & benedictus consecrare potest calices, sicut & altaria. Et quondam poterat pro aliis Ecclesiis. Sed anno 1631. 13. Martii, declaravit Sacra Cong. Abbates solùm pro suis Ecclesiis posse benedicere ea, pro quibus requiritur vnctio sacra, ut in benedictione calicis & altaris. Hoc autem privilegio non gaudent alii Religionum Prælati, etiam communicantes, quia Abbates benedicuntur, quod alii Prælati non habent. Miranda in Summa Dianæ. V. Abbas. Nota ex C. vltimo de celeb. Miss. pœnam depositionis eum incurrere, qui celebrat sine calice consecrato.

Dico 2. Tam diu durat calicis consecratio, quousq; taliter dividatur, quòd amittat formam, & qualitatem suo vsui convenientem. Licèt autem superficies calicis & patenæ, vbi recipiuntur species iterum deauretur, non amittitur consecratio secundùm aliquos in Summa Dianæ. V. Vasa Sacra.

Dico 3. Si calicis copa intus deaurata paulatim amittat deaurationem, non eget novâ consecratione, ait Led. cum communi. Amittitur tamen consecratio, cùm copa calicis dividitur à pede per fractionem. Secus si pes calicis sit tornatilis, non amittitur consecratio ex hoc solo, quòd pes à copa separetur.

Dico 4. Calix debet esse aureus, argenteus, vel stanneus, & erit mortale secundùm Dela C. q. 3. de Sacraf: Missæ celebrare cum calice ferreo, plumbeo aut vitreo. Quia hæ & similes materiæ habent multa inconvenientia, aut quia sanguis potest effundi propter fractionem, ut in vitreo aut nimis vasi adhærere, ut in aliis. ita ille. admittunt aliqui posse esse ex plumbo. An verò vas in quo recipitur

cipitur euchariſtia pro communicandis fidelibus, debeat eſſe aureum, argenteum vel ſtanneum, non determinatur in jure. An verò debeat conſecrari, etiam non præcipitur in jure, & à viris piis talis conſecratio omittitur. Congruum tamen eſt conſecrari, cum immediatè Euchariſtiam tangat.

Dico 5. Oportet ut ſuperior pars altaris tobalia per totum tegatur, deinde ut ſuper aram lapideam extendatur linteum, tandem requiritur corporale. Et quidem tobalia & corporale requiruntur ſub mortali, illud ſecundum linteum ſuper aram ſub veniali Fern. cum aliis parte 3. C. 5. §. 11.

Adverte. Prælati Regularium & iſtis abſentibus eorum Vicarij, poſſunt benedicere non tantùm veſtes Sacerdotales, & alia ornamenta Eccleſiæ, ſed etiam corporalia. Dela-Cruz de ſtatu & privilegiis Regularium, L. 2. C. 5. d. 8. Gavantus in nova editione allegat Sacram Congregationem abrogâſſe conſuetudinem benedicendi præfata apparamenta Eccleſiarum non ſibi ſubjectarum.

Tam diu corporale manet benedictum, quàm diu poteſt recipere calicem cum hoſtia, licet in aliis partibus ſit ruptum. Fern. l. c. cùm Sylv. Scias. Duo priora apparamenta non neceſſariò debere benedici. Quæritur, ex qua materia debeant eſſe hæc apparamenta? Item palla & purificatorium? ℞. tria prima apparamenta debent eſſe de lino, corporale tamen in extremitatibus poteſt eſſe ſericeum, vel auro elaboratum. Idem de purificatorio, quòd tamen non neceſſariò debet eſſe benedictum, cùm nulla eius in ritualibus reperiatur benedictio. Quantum ad pallam, docet Sotus apud Fern. l. c. §. 12. poſſe eſſe ex auro, ſerico, vel rete ſubtiliori.

Dico 6. Veſtes Sacerdotales pro celebrando ſunt amictus, albá, cingulum, manipulus, ſtola & caſula. Stola ſervire poteſt pro manipulo & è converſo, cùm talia indumenta non habeant determinatè diſtinctam figuram. Villalobos & alii. Immo ſtola ſervire poteſt pro cingulo. Veſtes Sacerdotales debent eſſe benedictæ, ſub mortali. Quam benedictionem non amittunt, ſi pars aliqua non benedicta illis aſſuatur, vel ſcindantur aliquantò niſi ad proprium uſum fiant ineptæ. Qualiter v. g. alba fit inepta ſi manica abſcindatur, & ſic deinde annexâ, alba rebenedicenda, ſecundùm communem. Cingulum tamen fractum poteſt necti, ſi altera pars non ſufficiat. Sa & March.

Dico 7. In neceſſitate v. g. ad implendum præceptum die feſto, Sacerdos ſemel vel bis celebrare poteſt abſq; ſtola, vel manipulo, &c. benedictis. Summa Dianæ V. Veſtes Sacerd. cum Liamas. Qui extra neceſſitatem non adhibet cingulum benedictum, non damnandus peccati m. ob parvitatem materiæ. Immo ob eandem rationem non peccat mortaliter, ſi non adhibeat cingulum, modò aliquid vices eius gerat. An verò in gravi neceſſitate liceat prorſus celebrare ſine manipulo vel ſtola, affirmant nonnulli. Sed præciſo ſcandalo, ſatius eſt non celebrare.

Dico 8. Peccant venialiter ſæculares tangendo abſq; neceſſitate, aram, calicem, patenam, aut corporalia, Idem de purificatorio judico, ob proximum ſervitium

vitium

vitium ad Eucharistiam. Immo si in calice vel corporali sit Eucharistia, non Sacerdotes aut non Diaconi tangendo ista sine necessitate peccāt mortaliter Post primam tamen lotionem factam saltem à Subdiacono licitè traduntur corporalia & purificatoria mulieribus maximè Religiosis iterum lavanda.

Dico 9. Crucifixus in altari sub tempore Missæ est habendus, sed non est mortale omittere. Idem de velo super calicem. Si bursa seu repositorium corporalis non adhibeatur, nec venialiter peccatur.

Dico 10 Tempore sacrificii necessaria candela accensa cerea sub mortali, non tamen sub eadem obligatione sunt duæ necessariæ. Fern. l. c. cum Grasso. In necessitate præciso scandalo celebrare cum lucerna olei aut lampade olei, vel etiam cum una candela tantùm ex sebo, non est mortale secundùm Bonac. q. vltimâ de Euch. p. 9. cum aliis.

Dico 11. Meliùs est non celebrare (nisi aliàs festum sit solemnissimum) quàm celebrare sine coadiutore seu ministro. Cùm hoc stat licere celebrare, sine ministro, v. g. die festo, pro dando viatico, aut dum adest similis necessitas. Sed nunquam licet mulieri, etiam deficiente viro, ministrum agere. & stante necessitate satius carere ministro, ut probat Bonac. l. c.

DISTINCTIO LII.

De Cæremonijs Missæ.

Dico 1. Est peccatum mortale omittere v g Epistolam, Evangelium, aut integram orationem canonis est communis. cum sic fiat transgressio præcepti in re gravi. Omittendo, parvam partem, etiam canonis Missæ, tantùm est veniale, ob parvitatem materiæ. Item *Gloria* vel *Credo*, vel in canone nomen alicuius Sancti. Excusat etiam à peccato Gab. à Vinc. V. Missa, ex aliqua infirmitatis causa celebrantem capite cooperto. Sicut multi, excusant in solemni Missa audientem epistolam vel evangelium & non legentem.

Dico 2. Si Missa diei sit de feria, potest tunc dici alia votiva aut de defunctis, patet ex usu. Immo si festum non sit duplex, potest ex causa rationabili dici Missa votiva, aut de defunctis. Quod procedit de Sacerdote in particulari. Nam Missa conventualis debet esse Missa diei. Sic præcipitur C. cum creatura de celeb. Miss. an verò Sacerdos particularis possit pro Missa petita dicere aliam? ℞. optimè facit dicendo Missam diei. quia sic conformatur regulis Missalis, & alias una Missa æqué prodest ac alia. Immo peccat, qui in festis solemnibus dicit aliam Missam. Vide d. 44. conc 5.

Dico 3. Extra diem festum alicuius Beati, non licet recitare eius officium, nec eius commemorationem facere in fine officii, aut in Missa. hoc enim proprium est Sancti Canonizati Gab. V Beatus & Makowski trac. 1. supra. Decal. disp. 1. q. 5. a. 1. Et recitans officium extra diem festum non satisfacit. Makowski l. c. & probat ratione. Adverte dum authoritate Ordinis tale festum propter con-

 currenti.

currentiam aliorum transfertur, non censetur extra proprium diem celebrari. cùm & hunc, illi Sũmus Pontifex, approbãdo Breviariũ, interpretativè concedat.

Dico 4. Quando conceditur facultas celebrandi Missam aliquibus Religiosis de aliquo beatificato in suis Ecclesiis, non licet ipsis in aliis Ecclesiis de eodem sancto Celebrare. Si tamen id semel vel bis fieret, non videtur mortale incurri. Ita Makowski l. c. & apud eum Granado. Sed vix credo à Religiosis extra manentibus id practicari, nec puto circa hoc tam rigidam Sedis Apostolicæ intentionem. nisi exprimatur. Immo absolutè loquendo potest Religiosus de suis Beatis extra proprias Ecclesias celebrare diebus pro quibus concessa est facultas celebrandi. Ita mihi post primam impressionem respondit Reverendissimus P. M. Iacobus Ricci Procurator Gen. O. Præd. allegans Pasqualigum id fundamentaliter probantem.

Dico 5. Quando conceditur facultas Sacerdotibus certæ Religionis ut Missam celebrent de Beatificato, tali facultate frui non possunt alii Sacerdotes. Ita expressè determinavit Sacra Cong. Cardinalium apud Gavantum in Enchir. Episcop. V. Missæ ritus n. 1. Ratio. Quia Alex. III. C. de reliq. & vener. Sanc. prohibuit aliquem colere publico cultu sine facultate Papæ.

Dico 6. Missæ Regularibus concessæ non possunt dici ab aliis etiam in eorum Ecclesiis. Sic declaravit Sacra Cong. Card. apud Gavantum to. 1. p. 3. tit. 10. n. 16. Missa tamen de Rosario, quæ incipit. *Salve radix Sancta*. potest dici ab omnibus Sacerdotibus ut colligitur ex Brevi Clem. X. quod incipit *Cœlestium munerum* 671. ut mihi respondit Reverendissimus P. M. Sacri Palatii. 1691.

Dico 7. Bulla Pii V. præfixa Missali Romano præcipiens Missam juxta ritum & formam in eo præscriptam, legendam esse, non obligat sub m. ad observantiam singularum rerum, quæ in eo præscribuntur, sed pro gravitate earum. Fillucius to. 1. tr. 5. C. 5. n. 140. & alii. Et sic si quis diceret, Missam cum Passione, quæ legitur infra hebdomadam sanctam non peccaret mort. Castaldus in Summa Dianæ V. celebrare. Ubi nota petenti talem Missam, legenda est votiva de Passione. Idem docet, Missam cuiuscunq; Sancti posse ex devotione dici extra diem, mutato nomine festivitatis in commemorationis. Tandem sicut Sacerdos in Dominica, aut festo Apostolorum &c. potest non dicere Missam, ita potest sine mortali dicere aliam à currente. Quia præceptum de Missa currente, secluso scandalo, non videtur latum sub mortali Summa Dia. l. c. ex Villalobos.

Dico 8. Non peccat mortaliter Sacerdos, si dum se sacris vestibus induit relinquit orationes solitas. est contra Sylvium. Quia ut patet ex superadictis non omnes regulæ Missalis obligant ad mortale, sed illæ tantùm quæ sacrificii essentiam vel quasi essentiam & partem præcipuam, ut supra diximus, de epistola & evangelio, continet. Reliquæ verò sunt instructiones.

Dico 9. Omittere Missam incœptam est mortale, nisi adsit causa urgentissima, & punitur talis pœna suspensionis. nulla tamen incurritur excommunicatio. Ex causa legitima licet 1. si inchoatâ Missâ superveniat infirmitas, ita ut commo-

commodè perficere nequeas. 2. si inchoata Missâ recordaris te non esse jeiunum, aut esse excommunicatum, suspensum, interdictum, aut irregularem. nisi timeatur scandalum, vel iam inchoatus canon. 3. si excommunicatus non toleratus nolit exire a Missa & alias canon non dum inchoatus. Et idem si non dum incœpto canone ponitur cessatio à Divinis, vel violatur Ecclesia, & alias non habetur privilegium celebrandi tunc. Quòd si inter celebrandum ponatur interdictum, perficienda Missa januis clausis.

Dico 10. Ablato scandalo, ob insignem personam, aut ob alios, qui tenentur audire Missam, licet repetere epistolam vel evangelium immediatè ante finitum. Immo id facere sine causa, non videtur mortale Ledesmæ.

DISTINCTIO LIII.

De defectibus in Missa occurrentibus.

Dico 1. Si sumpto calice reperis esse aquam, deglucies eam secundùm Ledesma & De la Cruz. Nam excusaris tunc à præcepto sumendi Eucharistiam jejunus, & consecra vinum, & sume statim, & sic perfice sacrificium cum speciebus panis iam sumptis. & hoc cum in publico celebratur, ob vitandum scandalum. Adu: ex Voscicensi 3. p. Tyrocinii Artis Pœnitentiæ C. 8. §. 11. necessarium esse oblationem præmittere, saltem mente tenus, hoc est cogitatione formare oblationem illius vini, quod sive Sacerdos, sive etiam minister loco primæ ablutionis) infudit, super residuum aquæ, (& si nihil aquæ remansit, apponenda est alia) deinde consecret, incipiendo ab illis verbis, *simili modo postquam cœnatum est*, usq; ad illa inclusivè, *hæc quotiescunq; feceritis in meam memoriam facietis* tandem sumat cum reverentia absq; aliqua mora, prætermissis aliis ne populus errorem intelligat. Ita ille. Probabilior est sententia Divi Thomæ (præcedens enim est Scoti) utpote Missalibus præfixa nimirum si scandalum non timeatur, aliam hostiam, præmissâ saltem mentetenus oblatione, cum vino consecrandam, & resumendum à verbis *qui pridie &c.* Quòd si talis defectus cognoscatur ante sumptionem hostiæ, ponatur tantùm vinum cum aqua & resumatur ab illis verbis, *simili modo &c.* cum ambæ species tunc sint simul.

Adu: ex Mosc. l. c. prosequendam in tali casu Missam more solito (etiam elevando) usq; ad finem, & post sumptionem corporis & sanguinis Christi sumatur aqua loco vini consecrata; si nondum hausta, tantùm enim ob vitandum scandalum, concessum fuit supra eam sumere. Quam doctrinam de prosecutione Missæ etiam elevando, intellige quando vtraque materia consecratur. Aliàs prosequenda ubi dimissa.

Dico 2. Si defectus sit in hostia v. g. si sit hordeacea tunc hoc cognito ante consecrationem ponatur alia hostia, & eâ simul cum vino oblata repetatur canon ita comm: quòd si non inveniatur hostia tri[t]icea, tunc non procedatur ulterius, cùm nulla in vino, ut suppono, sit facta consecaatio. Si defectus iste cognosca-

gnoſcatur conſecrato vino & non ſumpto, ſecundùm Palud. & alios, ſufficit conſecrare hoſtiam, & idem dicendum quando defectus iſte cognoſcitur ſumpto vino, cùm ordo conſecrandi priùs hoſtiam, non ſit neceſſarius. Secundum D. Thomam debent poni novæ ſpecies panis & vini, ſi hoc advertatur poſt ſumptum ſacrificium. & factâ prius oblatione, reſumendo à canone, vel ſecundùm alios à verbis, qui pridie &c. conſecrare.

Dico 3. Si de intentione & forma ſit probabile dubium, repetatur ſub conditione, ſaltem tacita, ſine aliis verbis canonis, Si dubium ex ſcrupulo, deponatur, & nihil ſuppleatur. Scias, de intentione non poſſe eſſe tam fundamentale dubium, cùm hoc ipſo quòd feceris facienda ante celebrationem, hoc ipſo intentionem habueris.

Dico 4. Defectus accidentalis gravis v. g. ſi panis ſit fermentatus, vel ſi vino non ſit mixta aqua, ſuppleatur ante conſecrationem, non verò poſtea, ſi hoſtia ſit cum macula aut fracta, aut vinum parum acidum, ponatur alia materia etiam poſt oblationem, ſi non timeatur ſcandalum Quòd ſi non ſit alia materia, cum illa celebrabis, ſed ſecluſo ſcandalo.

Dico 5. Dum Sacerdos una ſaltem ſpecie conſecratâ ob infirmitatem ultra procedere non valet ſubſtituatur alius pro peragendo ſacrificio. Et hic incipiet ab illo puncto, ubi alter ceſſavit. Et ſubſtituatur, ſi fieri, poteſt jejunus, aliàs per non jejunum peragatur.

Nota, ſi Sacerdos ſupervivat, cum eo hoſtia dividenda. Item nota, nonnullos docere, alium Sacerdotem non obligari ad complendum ſacrificium infirmi.

Dico 6. Si ſpecies conſecratæ ſint venenatæ, ſerventur donec corrumpantur, & poſtea in piſcinam mittantur. Species tamen vini in panno aut ſtuppa receptæ comburantur, & cineres in piſcinam mittantur. Sic enim eas ſtatim comburere, antequam exſiccentur, immane eſt ſacrilegium, ait Armilla, & ob eandem rationem particulam hoſtiæ manui adhærentem, manum candelæ apponendo, comburere, ſimili non caret ſacrilegio. Remotâ ergo ſpecie venenatâ ponatur alia, reſumendo à verbis, *qui pridie &c.* ſi eſt hoſtia. vel à verbis *ſimili modo*, eſt vinum.

Dico 7. Si aranea vel aliud animal cadat in ſpecies vini, ex quo reddantur venenatæ, fiat de illis ut dictum eſt in concluſione præcedenti. Quod ſi ſpecies vini non efficiantur venenatæ, ſumantur à Sacerdote cum illo animali, ſi fieri poteſt ſine periculo vomitûs, vel alterius casûs. Alias extracto animali & priùs loto, comburatur animal & cinis in piſcinam mittatur, & ſpecies ſumantur.

Dico 8. Si hoſtia diſpareat, tunc alia hoſtia accipiatur, & factâ priùs oblatione, reſumantur verba, qui pridie &c & conſecrationis. Idem ſimiliter faciendum, ſi totus ſanguis effundatur. Si tamen aliqua pars hoſtiæ aut ſanguinis manet, cum eis ſacrificium perficiatur.

Dico 9. Si ſanguis cadat in terram, radatur, & raſuræ comburantur & mittantur in piſcinam. Si cadat in tabulam, tapetem, vel lapidem, lambantur à Sacerdote,

cerdote, deinde radantur, & cinis mittatur in piscinam. Si cadat in linteum altaris, quodcunq; illud sit, etiam ultimum, in corporale, aut vestem Sacerdotalem, laventur hæc ter super calicem, & lotio mittatur in piscinam. De linteo tamen, dicitur in Missali Romano, quòd pars tacta à sanguine lavetur, deinde comburatur, tandem locio cum cineribus in piscinam mittatur.

Quæritur. Quid censendum, si Sacerdos turbatus, nesciens quid agendum Missam sine essentiali supplemento compleat, R. 1. si ex ignorantia, (quæ hic locum non ita facilè habet) & perturbatione vehementi omittat, non peccat mortalter. Samuel de Lub. V. Missa cum Sà. ℞. 2. si antè benedictionem errorem advertat, suppleat, si post, relinquat, nam sic non esset perficere sacrificium, sed iterare. S. Antonius apud Armillam V. Missa. Mosc. l. c. non restringit ad benedictionem, tantùm enim dicit, si Missam compleverit. V. dicta d. 40. Conc. 2. quæ huc probabiliter applicari possunt.

Quæsitum appendiculare ad prædicta.

An Regulares possint exponere Eucharistiam publicè adorandam sine licentia loci Ordinarij.

RESpondet, Gab. à S. Vinc. V. Euch. Regulares non possunt publicè exponere Eucharistiam adorandam sine causa ab Ordinario approbanda, præter illas vices, in quibus ex vi suarum constitutionum, aut ex usu legitimè introducto eam exponunt, ut tempore suorum capitulorum &c. & refert S. Congregationem Rituum 17. Aug. 1630. & 1. Apr. 1632. Iacobus verò à S. Ant. L. Consult. 2. res. 4. absolutè in favorem Regularium docet, & satis fusè tractat.

DISTINCTIO LIV.

De natura, institutione, & necessitate Sacramēti Pœnitentiæ.

DIco 1. Pœnitentia ut de ea in præsenti & sequentibus agimus; est *Sacramentum in actibus pœnitentis & absolventis consistens, à Christo D. institutum per modum judicij emendativi, ad peccatorum remissionem.* vel etiam, secundùm Moscicensem, *Sacramentum remissionis peccatorum post baptismum commissorum.* Pœnitentia verò ut virtus. *est quâ dolemus de peccato prout est offensa Dei.* Ex quo patet Pœnitentiam dupliciter sumi posse.

Dico 2. Actus externus pœnitentis & Sacerdotis absolventis est Sacramentum tantùm. Interior pœnitentia scilicet dolor, est res & Sacramentum simul. remissio peccatorum est res tantùm. Quid sit esse Sacramentum tantùm, rem Sacramenti tantùm, rem & Sacramentum simul, diximus distinctione primâ huius tractatûs.

Dico 3. Sacramentum Pœnitentiæ fuit institutum à Christo D. quando post resurrectionem dixit, *accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remit-*

tuntur

tuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Trid. Seff. 14. C. 1. Negari tamen non debet, institutionem huius Sacramenti in Cœna D. inchoatam per collationem characteris Sacerdotalis, in illis verbis Matt. 16. *tibi dabo Claves regni cælorum, quodcunq; solveris super terram &c.* fuit promissum. Lucæ verò ultimo, *oportebat prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum* promulgatum. Finis institutionis huius Sacramenti fuit, ut peccator, qui per peccatum à Deo recesserat, per gratiam in pristinam amicitiam redeat.

Dico 4. Supposito peccato m. Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium necessitate medii ad salutem æternam, in re quidem susceptum, dum datur copia Confessarii. sufficit tamen in voto, dum non datur copia Confessarii. Quid sit necessitas medii & quomodo distinguatur à necessitate tantùm præcepti, vide dist. 11. Tunc dicitur Sacramentum in re susceptum, quando in seipso, actu, & realiter recipitur tunc verò in voto, quando intenditur quòd data occasione recipietur. Adverte. Quando aliquis per Sacramentum Pœnitentiæ in voto susceptum justificatur, requiritur actus contritionis seu dolor perfectus de peccatis.

Dico 5. Quando per Sacramentum Pœnitentiæ in voto tantùm susceptum remittitur peccatum, non est necessarium tale votum esse explicitum, sed sufficit implicitum, hoc est inclusum in generali proposito servandi omnia præcepta. Fernandez p. 3, C. 6. §. 1. ex S. Thoma.

DISTINCTIO LV.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ in communi.

DIco 1. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata commissa post baptismum. Hæc materia alia est necessaria, alia voluntaria seu sufficiens. Mortalia non dum confessa, sunt materia necessaria. Venialia sunt materia voluntaria seu sufficiens, Ideò mortalia nondum confessa sunt materia necessaria, quia per se loquendo necessariò debent in confessione exprimi. Venialia verò, item mortalia iam confessa dicuntur materia voluntaria, quia possunt in confessione omitti. Dicuntur etiam materia sufficiens, quia licèt non habeantur mortalia non dum confessa, & solùm confiteamur venialia, vel mortalia iam confessa, sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Dico 2. Peccatum actuale ante baptismum commissum non est materia huius Sacramenti. Nam hoc peccatum est commissum extra Ecclesiam. & sic non debet ab ea judicari. Et idem de peccato cum baptismo commisso, ut si dum actu baptizaris, furari intendas. Per quid autem tale peccatum baptismum concomitans deleatur, vide dist. 18. Actuale tamen cum baptismo commissum, & post baptismum continuatum, est materia huius Sacramenti.

Dico 3. Materia proxima huius Sacramenti, sunt tres actus pœnitentis scilicet cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Primi duo sunt essentiales, nec hoc Sacramentum sine illis potest ullo modo confici. Tertius potest

test dupliciter sumi, vel in re, vel in voto, quod votum in præsenti idem dicitur ac propositum satisfaciendi. Si satisfactio sumatur primo modo, non est pars essentialis sed integralis, quia ante impletam satisfactionem, recipitur verè Sacramentum Si secundo modo, est pars essentialis. Nam nemo verè dolet, si satisfacere non intendat.

DISTINCTIO LVI.

De Contritione & Attritione.

DIco 1. *Contritio est dolor de peccatis assumptus propter Deum summè dilectum, cùm proposito confitendi & satisfaciendi.* per illas particulas, *propter Deum summè dilectum*, datur intelligi, quod contritio debeat esse tantus dolor, ita, ut si in una libra ponerentur omnes creaturæ simul, & in altera parte solus Deus, magis, teneremur non offendere Deum, quàm curare de esse creaturarum. Per illam particulam, *propter*, datur intelligi, quòd motivum seu excitativum huius doloris, non debeat esse aliqua creatura, sed ipsemet Deus

Dico 2. *Attritio est dolor de peccatis assumptus propter pœnas inferni, vel propter deformitatem peccati, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Per illas particulas, *propter pœnas inferni &c.* non datur intelligi, quod finis attritionis sint pœnæ inferni &c. aliàs attritio esset actus vitiosus, poneret enim ultimum finem in creatura. sed datur intelligi, quòd pænæ inferni &c. sint tantùm motivum & excitativum huius doloris. finis enim debet esse ipsemet Deus. Et in hoc attritio cum contritione convenit, differt autem in motivo. quòd attritio sit propter pœnas inferni &c. contritio verò propter Deum summè dilectum.

Dico 3. Contritio vocatur à Theologis dolor perfectus, attritio, imperfectus. Quia per illam sine Sacramento in re suscepto, iustificatur homo, per hanc verò extra Sacramentum non iustificatur homo. Quia tamen per attritionem intra Sacramentum, idem consequimur quod per contritionem extra Sacramentum, ideo Theologi dicunt, attritum recipiendo Sacramentum Pœnitentiæ, fieri contritum.

Dico 4. Sunt & alia motiva supernaturalia, ob quæ detestari possumus peccatum Christianâ attritione, præter attacta in secunda conclusione. Quare detestari possumus peccatum propter amissionem gratiæ vel gloriæ. Immo detestari possumus peccatum verâ attritione ex motivo pœnarum temporalium, si tamen considerentur ut inflictæ à Deo, Deiq; iram ostendunt, & quoddammodo æternum supplicium inchoant. Fernandez 3. p. C. 6. § 5. cum Suarez, qui tamen loco cit. hæc motiva reducit ad metum pœnarum inferni. Et sic sufficienter motiva attritionis in definitione attritionis adduximus.

Dico 5. Vt attritio sit pars huius Sacramenti, non est opus ut existimetur contritio, sed sufficit cognita attritio, modò sit vera attritio. Fern. l. c. cum aliis. patet ex Conc, Trid. Sess. 14. C 4. quod absolutè asserit attritionem esse suffi-

 cientem

cientem materiam huius Sacramenti, & diſpoſitionem ad gratiam conſequendam. Si verò opus eſſet ut exiſtimaretur vera contritio, Concilium declararet conditionem tam neceſſariam. Non etiam neceſſarium ut hæc præcedat confeſſionem, ſufficit enim quòd præcedat abſolutionem, eſt contra Konich patet ex praxi Confeſſariorum, abſoluta confeſſione ad dolorem excitantium.

Dico 9. Attritio neceſſaria ad hoc Sacramentum, debet eſſe ſupernaturalis. Nam attritio Sacramentalis eſt diſpoſitio ad gratiam juſtificantem. quæ eſt entitas ſupernaturalis, ergo & ipſa attritio debet eſſe ſupernaturalis. Et oppoſitum damnatur ab Innoc. XI. propoſitione 57.

Dico 7. Attritio, quæ in re non eſt attritio, ſed ſolùm exiſtimatur vincibiliter vel invincibiliter attritio, non ſufficit ad hoc Sacramentum. Nam error exiſtimationis, non facit ut res, quæ ex ſe non eſt ſufficiens, per errorem reddatur ſufficiens.

Dico 8. Non requiritur, ut de ſingulis peccatis diſtinctos dolores habeamus, ſed ſufficit de omnibus unico actu dolore, eſt contra nonnullos ex antiquioribus. Quia nullum datur præceptum præcipiens hanc multiplicationem dolorum. Hæc ſententia locum habet, licèt peccator habeat graviora & leviora mortalia.

Dico 9. Probabile eſt, dum quis tenetur conteri extra Sacramentum Pœnitentiæ, v. g. in articulo mortis, vel quando urget neceſſitas communicandi & deeſt Confeſſarius &c. non eſt neceſſarium ut contritionem præcedat recordatio omnium peccatorum, ſed ſufficit generalis & confuſa omnium cognitio. Caiet. 3. p. q. 87. a 1. Nam præceptum examinis conſcientiæ in particulari ſolùm obligat in ordine ad confeſſionem ut ſit integra. Oppoſitum putat probabilius P. Magiſter Reynerus Cathedraticus Viennenſis in manuſcriptis de Pœnit. docet tamen non requiri tam rigoroſum examen, ſicut requiritur pro confeſſione Sacramentali. Probat ex illo Iſaiæ 38. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Item ex S. Th. 1. 2. q. 113. a. 5. ad 3. ibi. *tempore præcedente juſtificationem oportet quod homo ſingula peccata, quæ commiſit deteſtetur, quorum memoriam habet.* Si tamen tempus non concedat, ſufficiet recogitatio peccatorum in genere, cum voluntate tamen ſaltem implicita particularis diſcuſſionis datâ commoditate. Adverte, varias eſſe utilitates huius diſcuſſionis. 1. ſi aliquid reſtituendum 2. ſi occaſio peccati tollenda, vel remedium adhibendum ad præcavenda peccata. 3. propter ſatisfactionem condignam pro peccatis. 4. ut certiùs ſit nos omnia peccata deteſtari.

Dico 10. Si Confeſſarius advertat pœnitentem in aliquod peccatum valdè inclinatum, non ei ſpecialiter inculcet dolorem circa tale peccatum, timendum enim, ne dum ſpecialiter in memoriam revocatur, minimè illud ex animo deteſtetur. ſufficit ergo inculcare actum doloris in communi.

Dico 11. Si quis receptâ jam abſolutione recordatur, omiſiſſe inadvertenter aliquod peccatum, & mox confitetur & abſolvitur, non tenetur novum dolorem pone-

rem ponere. Item si scrupulosus recepta absolutione petit novam absolutionem, per novam confessionem, non tenetur novum dolorem ponere, sed sufficit præcedens. Similiter si moribundus absolvitur, & deinde respirat parumper & aliud confitetur & absolvitur, sufficit præcedens dolor si fuit universalis, & moraliter perseverans. Ita P. M. Reynerus citatus, dicens hanc sententiam esse communiorem & constare ex praxi Confessariorum, qui in prædictis casibus non exigunt novum dolorem. Nec tamen idem putes de absolutione. hæc enim debet multiplicari, ut peccatum indirectè remissum, directè remittatur.

Adverte circa illud, *moraliter perseverat* nonnullos docere si vesperi conscientia examinatur & dolor elicitur cum respectu ad confessionem manè faciendam, non esse necessarium novum dolorem manè ponere.

Dico 12. Nemo tenetur habere dolorem de peccatis jam remissis, quando memoriæ occurrunt, est contra Richardum & alios ex antiquis, nam præceptum doloris de peccatis obligat ut nos reconciliemus Deo. ergo non obligat, quando sumus reconciliati.

Dico 13 Nemo tenetur statim conteri post peccatum. Neq; quando peccatum nondum confessum memoriæ occurrit, neq; diebus festis & Dominicis. Hæc omnia patent ex communi praxi Pœnitentium & Confessariorum. Pœnitentes enim non confitentur, si in prædictis casibus non conterantur, nec Confessarij interrogant an pœnitentes in dictis casibus peccaverint.

Dico 14. Tenemur conteri non solùm in periculo & articulo mortis, sed etiam aliquando in vita, nimirum quando diu in mortali persistimus. Nam Deus graviter punit eos, qui differunt pœnitentiam. Vnde Isaiæ 15. dicitur. *omnes in cæde corruetis, propterea quòd vocavi & non respondistis.*

Dico 15. Valde rationi congruit, quod docet M. Soto, Ledesma & alii, peccatorem transacto anno post commissum peccatum mortale, ad eliciendam contritionem obligari, ita ut si omittat novum peccatum mortale committat. Et hoc maximè verificatur in casu, in quo currit præceptum annuæ confessionis, & deest Confessarius. Nec huic obstat, quòd aliqui non confiteantur ejusmodi peccatum, talem enim obligationem ignorant.

Dico 16. Obligamur sub p. m. ad eliciendam contritionem, in casu pestis universalis, vel belli fortissimi in republica durantis, seu proximè imminentis, sicut & in casu alterius magni mali. Quia sicut tenemur pro tali malo avertendo Deum orare, ita obligamur comparare media necessaria & utilia ut exaudiamur. quale medium est esse in gratia. Credo tamen, sufficere contritionem virtualem inclusam in actu amoris Dei super omnia.

Dico 17. Docent aliqui non omnes tempore pestis, vel gravis belli teneri ad contritionem, sed illos tantùm qui infectis inserviunt, & milites, qui aliquid periculosum aggrediuntur. Quia in his calamitatibus mortis periculum, licet respectu totius communitatis sit vicinum, respectu tamen hujus vel illius, potest judicari non vicinum, sed remotum exceptis nonnullis, vel infectis deservienti-

 bus,

bus, vel civitatem aggredientibus. Hæc conclusio, aliam obligationem innuit, à præcedenti.

Dico 18. Obligamur ad eliciendam contritionem in casu gravissimæ tentationis, maximè, si homo credat, se illam tentationē superare non posse, nisi per contritionem convertatur in Deum & constituatur in gratia ut exaudiatur.

Dico 19. Præceptum contritionis in omni casu potest suppleri per Sacramē: Pœnitentiæ. Ita communior contra Suarez & Valent. Quia in lege Evangelica præceptum contritionis commutatum est in præceptum Sacramenti Confessionis. Ergo in omnibus casibus in quibus ex se obligat contritio, suppleri potest per Sacramentū Confessionis. Et sic post Confessionem in articulo mortis cum attritione factā, nemo tenetur actū contritionis elicere, ut securus maneat de salute.

Dico 20. Quando exercendus est actus exigens hominem in gratia, si homo in p. m. tenetur elicere contritionem, v. g. quando administranda Sacramenta, vel quando suscipienda Sacramenta vivorum. Sacramentum tamen Eucharistiæ licet possit distribui præmissâ contritione, non tamen suscipi nisi præmissâ confessione. Trid. Sess. 13. C. 7.

Dico 21. Non tenemur detestari effectum bonum subsecutum ex actu peccāti. Quare potest adulter complacere de filio suscepto ex adulterio. Et ideo complacemus de Christi D. redemptione subsecuta ex impia Iudæorū occisione, non tamen complacemus cum reduplicatione, hoc est, quatenus est subsecuta ex impia occisione.

Dico 22. Iustificatus per contritionē tenetur eadem peccata, de quibus fuit contritus, in Sacramento Pœnitentiæ detegere. Ita definivit Sixtus V. contra Petrum de Osma. Quia actus contritionis includit votum confitendi peccata.

Dico 23. Contritionem comitatur propositum vitandi peccatum super omne vitabile. Et licèt sit securiùs habere tale propositum explicitè, probabile tamen est multis DD. sufficere implicitum. Hoc enim ipso quod aliquis verè doleat, censetur velle vitare peccatum super omne vitabile. Si ex antiquis Theologis oppositum nonnulli docere videntur, explicandi sunt de necessitate secundùm quid, & ad meliùs esse.

Dico 24. Confessarius post auditam Confessionem datamque admonitionem, si necessaria fuit, interroget pœnitentem de firmo proposito. Item an doleat quòd summum bonum offenderit? quod non solùm dum rudes audit servandum, sed propter majorem securitatem, etiam dum audit cultiores sæculares, potest enim contingere, informando dolore esse ignaros. Immo idem servandum puto dum audiuntur nonnullæ personæ spirituales, potest enim evenire ex conscientia erronea velle differre post absolutionem, dolorem.

DISTINCTIO LVII.

De necessitate Confessionis.

Nota

NOta ex S. Raym. apud Armillam V. Conf: Confeſſio eſt legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio.

Dico 1. Non tenetur peccator ſtatim ac peccavit confiteri S Th in ſupplemento 3. p. q. 6. a. 5. Nam præcepta affirmativa, quale eſt hoc, ſolùm obligant in certis caſibus, & non ſemper.

Dico 2. Præceptum confeſſionis obligat. 1. in articulo & periculo mortis. cenſetur periculum mortis ut in ſuſcipiente periculoſam navigationem, in fœmina tenera primò paritura. Item quæ cum difficultate parit &c. 2. obligat. quando ſumenda eſt Eucharistia, ut dictum eſt ex Trid. 3. ſemel in anno. Quod præceptum conſuetudine alligatur tempori, videlicet circa Paſcha, ait Moſc. 2. p. Tyrocinnii Artis Pœnitentiæ. §. de Conf: annuali 4. ſi tentatio non aliter ſuperanda putetur.

Dico 3. Quo ætatis anno præceptum confeſſionis annuæ obligat, non poteſt certa regula ſtatui. cùm non æqualiter ad uſum rationis perveniamus. unde obligat, cùm quis ad annos diſcretionis pertingit, & habet conſcientiam peccati m. Fernandez p. 2. C. 8. §. 3. allegans communem. Nonnulli docent, pueros poſt ſeptennium hoc præcepto obligari, quando rationis uſus in eis elucet, non autem antea, etiamſi rationis uſum habeant. nam hoc eſt per accidens, ad quod Eccleſia non reſpicit. Hoc certiùs pueros in articulo mortis ante ſeptennium conſtitutos, peccati m. conſcios, obligari ad confeſſionem. Si dubium de uſu rationis, & ſic & de peccato, abſolvantur ſub conditione. nam ſic eligitur pars tutior, & iniuria Sacramenti ceſſat per conditionem. Immo id fieri poſſe, quando pueri confitentur extra articulum mortis, putat Diana.

Quæritur. Ex quibus ſignis colligitur perveniſſe puerum ad uſum rationis? ℞. Cum puer ob malè factum verecundatur & interrogatus an liceat innocentem occidere, aliena invadere, ſuperiori maledicere, & alia huiuſmodi, negativè reſpondet, & interrogatus, an bonum ſit eſurienti panem porrigere, adire Eccleſias &c. affirmativè reſpondet. Fern. l. c. ex Nau.

Dico 4. Qui non habet niſi venialia, non tenetur præcepto annuæ confeſſionis. ita comm: talis tamen tenetur ſe ſiſtere Parocho, ut eum cum reliquis ad communionem admittat, ad quod Parochus tenetur. Hinc collige Clementinam unicam de ſtatu Monach. ubi præcipitur Religioſis S. Benedicti, ut ſemel in menſe confiteantur. non obligare ſub mortali, quando non adſunt mortalia.

Dico 5. Si factâ confeſſione annuâ recordaris mortalis inculpabiliter omiſſi, potes illud reſervare pro confeſſione anni ſequentis, niſi aliàs velis ſumere Eucharistiam. Soto. Medina & comm. apud Dela Cruz de Pœnit. q. 3. Nam iam implevisti præceptum confeſſionis annuæ confitendo integrè moraliter omnia peccata, quorũ recordabaris poſt ſufficiens examen. ergo non teneris ad amplius.

Dico 6. Non tenemur ſub p. m. confeſſionem annuam prævenire, ſi adſit periculum obliviſcendi multa peccata. Fern. l. c. ex Sylv. Soto & aliis. nam ſolùm tenemur ad confeſſionem eorum quorum recordamur adhibito priùs ſuffi-

cienti examine. Idem docet Dela-Cruz l. c. de eo, qui timet, quòd non erit ei Confessarius pro casibus reservatis, quòd non teneatur prævenire confessionem.

Dico 7. Tenemur præceptum annuæ confessionis prævenire, si in fine anni, quando urgebit præceptum, non speratur copia confessarii. Armilla V. Conf. Sacram. & multi alii quia ubi periculum imminet tollenda est mora. Idem, & à fortiori dicendum de eo, qui timet non habere confessarium tempore mortis, tenetur sub p. m. anticipare. Sicut in die festo, qui prævidet se non posse tempore debito Missam audire, tenetur sub m. anticipare.

Dico 8. Qui per annum præceptum confessionis non implevit, tenetur datâ opportunitate confiteri, ut cum multis docet Villalobos. Quia annus assignatur, ut non prætereatur, non verò ut eo præterito cesset obligatio præcepti. Opposita sententia propter authoritatem D. Antonini & Sylv. est probabilis. Positâ primâ opinione, secundùm Bonac. toties peccatur quoties oblatâ opportunitate confessio omittitur. Secundùm Nugnum, unum tantùm peccatum committitur, eò quidem gravius, quò diutiùs confessio differtur.

Dico 9. Præcepto confessionis annuæ non satisfit per confessionem voluntariè invalidam, v. g. ex defectu doloris, propositi &c. ita determinavit Alexander VII. damnando propositionem 14tam. Quia Ecclesia præcipit confessionem quam Deus fieri mandat. cùm non ponat novum præceptum, sed solùm tempus determinet. Deus autem mandat validam confessionem.

Dico 10. Parochus nequit tempore Paschali Eucharistiam negare pœnitenti confesso Sacerdoti Mendicanti approbato. præsertim si confessionis testimonium afferat. Mendicantes enim ad hoc habent facultatem à Sacerdote omnium fidelium propriissimo, ut authoritate Conciliorũ, Summorum Pontificum & 50. Doctorum probat Franciscus Fontanus Tali tamen pœnitenti mandetur ut in propria Parochia cõmunicet Idem privilegium innuit Opat. de Pœn. d. 11. q. 3.

Dico 11. Transgressoribus præcepti de facienda confessione annua, nulla est certa imposita pœna, sed solùm imponenda. Nam in C. utriusq; &c solùm dicitur ut arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & careant Ecclesiasticâ sepulturâ, quæ pœna ut apparet non est imposita, sed primò per judicem Ecclesiasticum imponenda. In Synodalibus tamen constitutionibus solet apponi pœna excommunicationis, latæ vel ferendœ sententiæ.

Adverte. Qui faciunt confessionem annuam voluntariè invalidam. incurrunt prædictas pœnas, ut sunt publici usurarii, &c Suarez & alii. quia re ipsâ non confitentur. Quas tamen pueri post septennium non incurrunt usq; ad annum 14. puellæ verò ad annum 12.

Dico 12. Qui inculpabiliter omisit peccatum m. in confessione, tenetur illud confiteri ante communionem, vel communionem relinquere nisi sit in scamno communicantium. non tamen tenetur conteri. cum peccatum oblitum sit per Sacramentum Pœnitentiæ indirectè remissum. Tenetur inquam confiteri, ut sic directè ab eo absolvatur.

Dico

Dico ultimò. Sacerdos confeſſus Miſſam incipiens, ſi recordatur mortalis non tenetur conteri, ut immediatè diximus. Tenetur tamen, ſi concio intermediet, confiteri. Et uniuerſaliter loquendo ſi ante conſecrationem commodè & ſine ſcandalo confiteri poteſt, obligatur.

DISTINCTIO LVIII.

De conditionibus bonæ confeſsionis.

SEdecim ſunt conditiones bonæ Confeſſionis, ſequentibus verſibus contentæ.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda diſcreta, libens verecunda
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, & ſit parere parata.

Simplex. id eſt ſine admixtione hiſtoriarum, & aliorum impertinentium, quæ prudens Confeſſarius ſtudeat reſecare.

Humilis. tum quoad actum interiorem recognoſcendo ſe eſſe peccatorem, tum quoad actum exteriorem, verbis humilibus &c. flexis genibus; quod licèt non neceſſarium, congruum tamen, niſi aliqua cauſa excuſet.

Pura, id eſt bonâ intentione facta, ſcilicet ut Deum placet Eccleſiæ obediat &c. Quare ſi quis confiteretur propter imfamiam vel ut devotus appareret, & hoc principaliter intenderet, mortaliter peccaret. quia in hoc finem poneret. Si tamen ad confeſſionem faciendam propter infamiam fugiendam, vel quid ſimile, moveatur; pro principali verò fine habeat Deum & remiſſionem peccatorum, dignè hoc Sacramentum recipit.

Fidelis, id eſt vera. Nam ſi quis confitendo, ex induſtria utatur talibus verbis, ut peccata non adeò curentur à Confeſſario, peccat. Quam conditionem magis explicando.

Dico 1. Dicere mendacium in confeſſione de re, quæ non pertinet ad materiam confeſſionis, ex ſe tantùm eſt veniale, gravius quidem eo, quod eſſet dictum extra confeſſionem. quia irreverentia non eſt tanta ut inducat mortale. Propter eandē rationem negare in cōfeſſione veniale, non eſt plus, quàm veniale.

Dico 2. Affirmare in confeſſione veniale, quod pœnitens non commiſit, non dando aliam materiam, eſt grave ſacrilegium, quia forma profertur nulliter, utpote ſupra nullam cedens materiam. Affirmare verò veniale non commiſſum, ſimul cum aliis à ſe commiſſis non eſt mortale. Sylv. Sot. & alii. quia eſt defectus in materia non neceſſaria. Item deceptio Confeſſarii in re levi. & ideo Sacramento non fit gravis irreverentia.

Dico 3. Qui negat vel tacet, quod credit vel dubitat mortale, mortaliter peccat. ideo dubia pro dubiis, certa pro certis, ſunt dicenda, ita ut nec propter humilitatem liceat ſibi imponere mortale, aliàs eſt grave ſacrilegium, ſecundùm communem DD. eo quòd in materia neceſſaria judicium Sacramentale interturbetur, Confeſſariuſq; graviter decipiatur.

Frequens.

Frequens, De frequentia confeſſionis non invenitur præceptum, niſi ſemel in anno. In periculo & articulo mortis. Item quando adeſt mortale & ſumenda Euchariſtia, vel etiam ſi ſic judicatur vincenda aliqua tentatio.

Nuda, hoc eſt, ut non involuatur verborum obſcuritate, ſed ſic loquatur pœnitens, ut Sacerdos intelligat. quia in confeſſione latens morbus declarandus.

Diſcreta, id eſt prudenter facta, ut verbis honeſtis explicentur peccata & circumſtantiæ, & maximè in peccato carnis. Huc etiam pertinet, ut pœnitens ſit diſcretus, eligendo ſibi Confeſſarium bonum, & Confeſſarius in examinando, præcipuè puellas.

Libens, id eſt voluntaria, non timore pœnæ vel infamiæ facta. Pro qua conditione meliùs intelligenda.

Dico 1. Si Confeſſarius omnia interrogaret pœnitentem & pœnitens omnia confiteretur, tamen non fuiſſet confeſſus, niſi Confeſſarius interrogâſſet, tenetur in fine confeſſionis confiteri ſuam fictionem & dicere. Pater, veni cum animo non dicendi peccatum niſi interrogarer.

Dico 2. Confeſſarius debet interrogare de his, quæ ex ſe ipſo confitens non dicit, ut quando ſcit, vel probabiliter credit illum non recoluiſſe peccata vel circumſtantias neceſſariò aperiendas, debet ad memoriam reducere, alioquin indignum ſcienter abſolveret. eſt communis ſententia, cum integritas ſit de jure Divino. V. Moſc. in Exam. approb. tit. 2. q. 4. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Dico 3. Qui ad interrogata tantùm reſpondet, paratus tamen dicere peccata ſua ſi non interrogaretur, ſed rogat interrogari, ut meliùs confiteatur, ſatisfacit. quia non tenetur niſi vel ore vel ſigno affirmare vel negare.

Dico 4. Quilibet tenetur confiteri peccatum quàmvis Confeſſario manifeſtum. cùm non ſit notum in forma judicii. S. Th. apud Arm. V. Conf: & judico, ſufficienter ſic explicari. Pater, confiteor peccatum quod noſti me feciſſe.

Dico 5. Si Confeſſarius certò ſciat aliquem commiſiſſe p. m. de quo non facit ſibi conſcientiam, & ſic tale peccatum non confitetur, nec aliàs confeſſus, ut certò ſcit Confeſſarius, ſecundùm Gofredum. apud Arm. V. Confeſſio debet ei facere conſcientiam, nec eum abſolvere, ſed reputare indignum. Idem alii docent. Sed Megala in Summa Dia. V. Conf: quoad examen, putat in tali caſu abſolutionem impendendam, quia tenetur ſibi perſuadere, quòd pœnitens excuſetur ab illo peccato explicando, ut ſæpè contingit. aliàs ritè diſpoſitum non abſoluere gravis injuria. Quòd ſi res dubia, & opiniones DD. variæ an ſit p. m. quod reticetur. Si Confeſſarius ſit ordinarius, pœnitentem admoneat, tamen in ſua opinione perſiſtentem, tenetur ſecundùm Armillam & alios abſolvere. Si verò non ſit ordinarius, & aliàs tenet firmiter eſſe mortale, poteſt quidem abſolvere, ſed non tenetur, ait Armilla. ſed melior aliorum opinio, quòd teneatur, cùm pœnitens ſit diſpoſitus, ſequendo enim opinionem probabilem, prudenter operatur.

Dico 6. Si Confeſſarius audiat aliquem dicentem peccâſſe cum altero, non poterit

poterit alterum interrogare de hoc peccato in ſpeciali, ſed in generali tantùm. v. g. ſe recolligat, an non recordetur alicuius adhuc peccati. Arm, loco cit. cum S. Antonino Niſi abeſſet revelatio ſigilli, etiam indirectè.

Verecunda, Pudor enim magna pars eſt pœnitentiæ ex C. 1. de pœnit. diſt. 6. *Integra*, quæ conditio quia longiorem exigit diſcuſſionem, ſpecialiter tractabitur. *Secreta*, Circa quam conditionem.

Dico 1. Ex vi præcepti confeſſionis non tenemur confiteri per interpretem ſi aliter confiteri non poſſumus etiam in articulo mortis Dela-Cruz de Pœnit. q. 3. & alii. Quia confeſſio nobis præcepta ſolùm eſt quæ fit ſecretè.

Dico 2. Ex charitate tenemur in articulo vel periculo mortis per interpretem confiteri. Nam ex charitate tenemur providere noſtræ ſaluti ſpirituali modo poſſibili, non ſuppetit autem alius modus moraliter poſſibilis, cùm contritio difficilis, nec de ea conſtare poſſit. Dela Cruz l. c.

Dico 3. Qui non poteſt confiteri niſi per ſcriptum, quia vel ipſe mutus eſt, vel Sacerdos ſurdus, tenetur confiteri, non ſolùm ad ſatisfaciendum præcepto Divino v. g. in articulo mortis, ſed & Eccleſiaſtico de annua confeſſione. Fern. p. 2. C. 8. §. 3. referens D. Thomam, Sylv. Palud. Caiet. & Pet. Soto. Quia hoc præceptum obligat, cùm commodè poteſt impleri, tali autem modo poteſt commodè impleri. cùm adhiberi poſſit diligentia, quâ ſcriptum ſtatim rumpatur, ne manifeſtetur. Mutus etiam, qui ſcribere neſcit, tenetur per nutus confiteri ad ſatisfaciendum Divino & Eccleſiaſtico præcepto, cùm ex hoc modo confitendi nullum ſequatur incommodum. Obſerva in tali caſu facilè dari confeſſionem non integram materialiter quare dum mutus auditur, Confeſſarius ſe non adeò excruciet.

Dico 4. Qui in mortis articulo, ex charitate in ſe ipſum per interpretem confiteri tenetur, non tenetur omnia peccata confiteri, ſed ſufficit unum vel alterum, de quo minor verecundia. Nugnus & alii. Quia videtur adeſſe ſufficiens cauſa excuſandi talem ab integritate materiali confeſſionis. Idem dicendum, quando confeſſio publicè fieret, ut in naufragio, incendio, tempore peſtis, quando plures peſte infecti ſimul manent, & Confeſſarius timet ne inficiatur. In his enim & ſimilibus caſibus moneat Confeſſarius ut unum vel alterum peccatum dicant, de quo non tantopere verecundantur. In his caſibus licet plures ſimul abſolvere, dicendo, *ego vos abſolvo &c.*

Lachrymabilis, hoc eſt cum diſplicentia omnium peccatorum commiſſorum, ſupra omne odibile, & cum propoſito vitandi ſupra omne vitabile. Non tamen requiritur credere ſe amplius non peccaturum, ſed ſufficit proponere id conari ope Divinâ.

Accelerata, hoc eſt non dilata, ne ſubitò morte præventus non hbeat ſpatium (pœnitendi.

Fortis, id eſt ſuperans timorem mundanum & verecundiam, ne fortè propter hæc omittat aliquid neceſſariò confitendum.

Accuſans, id eſt ſibi imputans, non cœlo vel alteri, quia voluntas hominis

 non

non poteſt cogi, licèt poſſit perſuaderi. Huc etiam pertinet complicem non eſſe revelandum. Sed de hoc poſtea.

Parere parata. Pœnitens enim tenetur ſatisfactionem acceptare. Item in relinquendis peccatorum occaſionibus Confeſſario obedire.

DISTINCTIO LIX.

De integritate Confeſsionis.

NOta. Confeſſionem dupliciter poſſe eſſe integram, ſcilicet materialier & formaliter. Eſt integra materialiter, quando aliquis habet v. g. 10. peccata & omnia confitetur. Eſt integra formaliter, quando rationabili examine facto confitetur omnia ſibi occurrentia. Sufficit Confeſſionem eſſe integram formaliter. Deus enim non plus exigit, quàm poſſimus. Confeſſio materialiter integra, dicitur integra phyſicè. formaliter integra, dicitur integra moraliter.

Dico 1. Ad integritatem confeſſionis neceſſarium eſt examen conſcientiæ, quare pœnitens circa peccata mortalia, tenetur tantam inquiſitionem præmittere, quantam adhiberet in negotio arduo, ſeu quanta judicio prudentis viri judicatur ſufficiens ad omnia peccata in memoriam revocanda. Hanc inquiſitionem ſufficit eſſe mediocrem, & non neceſſaria, ſumma, Bonac. ex Nau. & aliis. Qui pluribus involuti negotiis, qui parvæ memoriæ, qui diu non confeſſi, magis tenentur conſcientiam examinare.

Dico 2. Qui confeſſus eſt non præmiſſo examine conſcientiæ, tenetur ad novam confeſſionem peccatorum, etiamſi negligentiam in confeſſione aperuerit, & abſolutionem ob cauſam urgentem obtinuerit, quæ cauſa urgens non cenſetur, ſi quis intendat lucrari indulgentias, & ſit magnus concurſus. ex determinatione Innoc. XI. damnantis propoſitionem 59. Nam per hoc, quòd ſuam negligentiam ſit confeſſus, non cenſendus conſcientiam examinâſſe. Nau. & alii apud Bonac. Quod procedit, ſi Confeſſarius non ſupplevit defectum examinis per diligentem interrogationem. Nam talis defectus ſuppleri poteſt per Confeſſarium, ut ſæpius accidit in rudibus, qui neſciunt peccata præmeditari. Scias maius ſupplementum requiri in illis, qui confeſſionem diu diſtulerunt, unde interrogandi, quando confeſſi. Vt verò aliâ vice paratiores veniant, inſtruendi, ut ſaltem per decem præcepta diſcurrendo ſe præparent, quodlibet præceptum in particulari conſiderent, videantq; an aliquid contra tale præceptum commiſerint. quia autem neſciunt nonnulla peccata contra decalogum ſaltem reductivè militare, Confeſſarius ſuppleat.

Dico 3. Non peccant mortaliter, nec indignè accedunt ad confeſſionem, homines rudes, qui modica diligentiâ adhibitâ accedunt ad Confeſſarium, animo reſpondendi ad interrogationes Confeſſarii. Zerola & alii.

Dico 4. Si Confeſſarius advertat pœnitentem notabiliter defeciſſe circa examen conſcientiæ, nec poteſt defectum per interrogationes ſupplere, debet

cum

cum remittere, & monere, ut debitam præmittat diligentiam, & redeat, integritas enim est de jure Divino. Hoc intellige, nisi adsit periculum mortis. In tali enim casu, confessarius eam diligentiam adhibeat, quam pro circumstantia temporis & qualitate personæ judicaverit expedire, eâque adhibitâ absolutionem impendat.

Dico 5. Quando confitemur tantùm dubia peccata, tunc adiungendum est aliud peccatum, iam confessum, quàmvis veniale. aliàs Sacramentum conficiendum esset sub conditione, quod nonnisi urgente necessitate faciendum. Eodem modo quando aliquis confitetur, & Confessarius vel videt materiam non esse sufficientem, vel dubitat, dicatur peccatum ex præterita confessione, ut Confessarius habeat materiam certam absolutionis.

Dico 6. Quando pœnitens pro una parte habet rationem probabilem quòd peccaverit mortaliter, & pro alia parte etiam probabilem quòd non peccaverit mortaliter, non tenetur confiteri tale peccatum. debet tamen dubium deponere, & vni parti adhærere. cùm in dubio de peccato, secundùm omnium sententiam, non liceat operari. Immo etsi habeat rationem probabiliorem, quòd peccaverit mortaliter & minùs probabilem, quòd non peccaverit mortaliter, non tenetur confiteri tale peccâtum. Quia homo in rebus practicis potest sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, & tutiori, quando in rebus non imminet periculum, ut docetur in tractatu de Conscientia. Et propterea in administratione Sacramentorum quando imminet periculum de valore actûs, non licet sequi opinionem probabilem relictâ tutiori ut determinavit Inn XI. Adverte. Dum pœnitens ex una parte judicat probabilitate fundamentali se peccâsse mortaliter, ex alia verò parte tantùm suspicatur seu leviter opinatur, confiteri tenetur.

Dico 7. Sufficit unum vel alterum peccatum confiteri v. g. in infirmitate, si sic casus suadeat. Item, quando assistunt alii, qui abscedere nequeunt, ut in naufragio, ante pugnam &c. Item quando Sacerdos rationabiliter timet contagium infirmitatis, si integram audiat confessionem, ut tempore pestis. Nota In primo & ultimo casu dicendum peccatum, quod magis conscientiam pungit. In secundo, quod minus gignit scandalum. Fernandez 3. p. C. 6. §. 6.

Dico 8. Probabile est, quòd infirmus, item mutus non valens explicare peccatum m. vel veniale, etiam in genere, sit absolvendus, si declaret in generali se peccâsse, & ostendat signa doloris. D. Ant. cum Hostiensi 3. p. tit. 1 C. 2. Nau. in Man. C. 21. Corduba L. 5. q. 19 & alii. Quæ sententia maximè in necessitate sequenda, & absolutio, saltem sub conditione, danda.

Dico 9 Si infirmus petiit Confessarium cum signis doloris, & veniente Confessario privatur usu rationis, nec valet signa doloris ostendere, potest absolvi. Pro hac refertur canon 12. Conc. Araucani apud Labat. in 3. p. tra. 3. disp. 2. dub. 3. & apud Gonet. in Manuali Thomistarum de Pœnit. C. 6. Rituale Pauli V. cum praxi Ecclesiæ. Oppositū suadere conatur Dela Cruz q. 3. Pœnit.

Dixi, *Veniente Confessario*. Nam Confessarius absens in nullo casu absolvit ut determinavit Clemens VIII. 20. Iunij. 1602.

Dico 10. Si testes non in præsentia moribundi testantur de signis doloris, nequit Confessarius absolutionem impendere, aliàs absolveret in absentia confessum, cùm moribundus per testes confiteatur. Ita Gonet l. c. cum multis aliis. Oppositum docet Bonac. nec improbabile judicat Gonet.

Dico 11. Confessarius invalidè absolvit moribundum, qui non audit, nec loqui potest, sed pugno pectus pulsat, & oculos in cœlum tollit, vel ad imaginem se vertit cum suspirijs. Quia signa doloris adhibenda sunt in ordine ad claves, vocando Sacerdotem. Ita Megàla in Summa Dianæ V. Confessionis modus, & rationabiliter. Oppositum docet Chapeavilla, cuius sententia in Summa Dia. vocatur pia, & suadenda, ut talis sub conditione absolvatur.

Dico 12. Non potest dari absolutio, etiam sub conditione, moribundo, qui nec Confessarium vocavit, nec signa doloris dedit. Ita comm. Theol: quia nequit dari absolutio, ubi nulla præcessit accusatio. Oppositum docuit Greg. XV. dum erat Archiepiscopus Bononiensis, & nonnulli recentiores Casuistæ & testantur practicatum à Clem. VIII. cum quodam quem cadere vidit è fabrica D. Petri. Procedit autem sermo de moribundo aliàs bonæ vitæ. Hanc sententiam improbabilem, & merito, vocat Gonet l. c. Historiam de Clemente, re bene examinatâ refert esse fabulosam. Contrariatur etiam Rituali Pauli V. Vbi inter alia. *Nec absolvat eos, qui talis beneficij sunt incapaces. quales sunt qui nulla dant signa doloris.*

Dico 13. Tempore naufragii, seu alterius magnæ necessitatis, sufficit ut quilibet dicat unum peccatum, & deinde omnes absolvantur, dicendo *ego vos absolvo &c.* Si tanta turbatio esset, ut ne unum quidem peccatum dici posset, dicat Confessarius, qui confiteri volunt, genuflectant & de peccatis doleant, & deinde absolvat. Hæc coincidit cum conclusione octava.

Dico 14. Si Confessarius audivit dimidiatas confessiones, quia videlicet timuit, ne dum unius confessionem integre audiret, alter moriatur, tenetur, si superviuant & commodè fieri possit, confessionem perficere. Quando enim propter rationabilem causam peccatum in confessione omittitur, est deinde explicandum, secundùm bonam Theologiam, quia cum tantùm fuerit indirectè remissum, restat ut directè remittatur.

Dico 15. Potest omitti in confessione peccatum m. si ex illius confessione timeatur rationabiliter grave damnum sive proprium sive alienum, etiam in articulo mortis. Medina in Sum. L. 1. C. 4. & Bannez 2. 2. q. 33. a. 8. Adu. sola diffidentia non est causa rationabilis. Item adverte, si in casu conclusionis potest differri confessio debet differri. id est, si non est necessariò celebrandum vel communicandum.

Dico 16. Si non sit aliud remedium exprimendi peccatum, quàm revelando complicem, teneor exprimere peccatum, licèt reveletur complex S. Th. in 4. d.

4. d. 16. q. 3. a. 2 q. 5. ad 5. Quia complex voluntariè se faciendo socium in crimine, voluntariè etiam se subdidit, quantùm in ipso est cognitioni judicis de tali crimine quia voluntariè se fecit circumstantiam talis delicti. Marsilius, Nau. apud Fern. l. c. dicent. quòd nec possim. eò quòd infametur proximus. Sed hæc infamatio non est nisi materialis. Sicut quando aliquis infamatur ob ipsius vtilitatem & correctionem.

Dixi, revelando complicem. Nam secundùm Moscicensem in Exam approbandorum tit. 4. q. 3. & Fern. l. c. Si non sit socius criminis, non est integrè exprimendum peccatum v. g. frater oppressit sororem, tunc si Confessarius veniret in cognitionem personæ, nec posset differri confessio, non est integrè explicandum peccatum deinde tamen ignoto clariùs dicatur.

Dico 17. Secundùm Caiet. Sot. & alios, non tenetur obliviosus propter integritatem confessionis scribere peccata ne eorum multitudo excidat è memoria. Puto tamen sententiam Bonacinæ esse probabiliorem. Quia præceptum Divinum, ut est de integritate confessionis, non ex tam levi causa cessat obligare. evulgationi enim, quæ timetur, per destructionem chartæ potest occurri.

Dico 18. Faciens confessionem generalem non obligatur ad repetendum peccata antecedenter benè expressa, cùm iam in aliis confessionibus sint remissa. Vbi scias ex Bonac. & Sanchez dum quis confitetur generaliter non est necessarium, ut separatim dicat peccata antea confessa, & separatim nondum confessa, sed potest hæc miscere, modò peccata nondum confessa benè exprimat.

DISTINCTIO LX.

De Circumstantijs peccatorum?

QVæ in hac distinctione dicuntur pertinent ad præcedentem, novam tamen ponimus, ut distinctiùs procedamus.

Nota. Circumstantia peccati nihil aliud est, nisi accidens quoddam actûs humani peccaminosi. Alia est speciem mutans, hoc est alterius speciei malitiam induens v. g. circumstantia adulterij addita fornicationi facit, ut præter peccatum fornicationis distincta specie malitia inveniatur in eodem actu libidinis. Alia est intra eandem speciem aggravans peccatum. Alia minuens, alia nec aggravans nec minuens, sedimpertinens

Dico primò. Circumstantiæ mutantes speciem necessariò sunt confitendæ. Trid. Sess. 14. Can. 7. quia tales circumstantiæ constituunt novas species peccatorum. Idem de circumstantijs notabiliter aggravantibus secundùm communem. Immo N. Salazar ait, hoc tempore secundùm praxim rarus invenitur, qui non asserat confitendas esse circumstantias notabiliter aggravantes. & patet ex Catechismo Concilii Trid. de Pœnit. §. sed quoniam, ubi docetur etiam circumstantias quæ peccati gravitatem valde augent vel minuunt in confessione explicandas esse. Vnde quando S. Thomas docet non esse confitendas circumstantias

 aggravan-

aggravantes, solùm excludit ab obligatione confitendi. illas circumstantias quæ non notabiliter aggravant, ut circumstantia diei festi, non verò excludit ab obligatione confitendi circumstantias notabiliter aggravantes. Et sic circumstantia notabiliter aggravans furtum est necessariò explicanda. Item circumstantia incestûs. an cum matre, sorore, vel nepte &c. quàmvis secundùm D. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 1. hæ circumstantiæ non differant specie. Quòd si sit circumstantia extra secundum gradum, sufficit dicere, commisi incestum extra secundum gradum Dela-Cruz supra sextum præceptum a. 4. cum Led. Circa authoritatem D. Th. explicatam. V. Man. Gon. de Pœn. C. 5 §. 4.

Quæritur 1. vnde colligendum, esse circumstantiam speciem mutantem vel aggravantem? ℞. circumstantia speciem mutans tunc est, quando peccatum secundùm se consideratum contrariatur uni virtuti, & secundùm aliam rationem sibi adventitiam opponitur alii virtuti, v. g. dum aliquis furatur committit peccatum contrarium justitiæ, si verò in Ecclesia, contrarium religioni. Circumstantia aggravans tunc est, quando peccato accrescit nova ratio, absq; eo, quòd peccans distinctam virtutem transgrediatur. v. g. dum aliquis furatur 20 florenos, est circumstantia aggravans. eò quòd peccato nova ratio modalis accrescat, scilicet majoritas injustitiæ. Gangericus in annot in Sum. Caiet V. Conf: Quòd si dictum furtum distinctis actibus præfatam quantitatem attingeret, jam non circumstantia sed numerus peccatorum esset.

Quæritur 2. Vnde colligenda est circumstantia notabiliter aggravans? ℞. hac in re nequit certa regula assignari. Ideo totum negotium relinquitur prudentis arbitrio, conscientiæq; exulcerationi existimantis se excessisse ordinarium modum peccandi. Fern. p. 3. C. 6 § 6.

Dico 2. Septem sunt circumstantiæ, sequenti versu comprehensæ.

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

In dictione *Quis*, explicatur peccans, complex, & ille in quem peccatur. & hæc circumstantia explicetur v. g. in homicidio, an persona occisa sit Ecclesiastica, ansit parens &c, Item in peccatis luxuriæ, an cum soluta, uxorata, voto constricta, consanguinea &c. & idem de tactibus. cùm hi sint circumstantiæ coitûs, & pertineant ad speciem coitûs, cuius differentiæ explicandæ. Quæ doctrina subsistit, etiamsi prædicti tactus ex intentione tangentis non ordinentur ad coitum sufficit enim quod ex se ordinentur.

In dictione *Quid*, explicatur damnum & scandalum ex peccato secutum, quæ tunc imputantur, quando sunt prævisa & intenta saltem virtualiter, dum scilicet potuisti prævidere, & neglexisti. Et sic qui malo exemplo induxit alium ad peccandum, tenetur hoc in confessione explicare.

In dictione *Vbi*, explicatur circumstantia loci sacri. Nota ex Moscic. 3. p. Element. de circumstantiâ, *Vbi*. Nomine loci sacri non intelligitur hospitale, neque monasterium, neq; campanile (nisi sit in cœmeterio) immo neque tectum templi, sed solum templum & cœmeterium. Hæc circumstantia explicetur. 1. In homici-

homicidio, & effusione sanguinis. 2. In opere completo luxuriæ, quale etiam est pollutio. Non verò in cogitationibus, aspectibus libidinosis, turpiloquio. sicut nec in mendaciis, murmurationibus &c. cùm hæc non repugnent specialiter sanctitati loci ut judicant graves Theologi, sed an fœminam in Ecclesia, impudice tangens teneatur circumstantiam loci sacri explicare? ℞. negat Makovius tr. 6. super Decal. d. 3. q. 6. a. 1. & Homo bonus relatus in Sum. Dia. V. Circumstan. In furto. nam furari in loco sacro est sacrilegium. Scias, sacrilegium in materia furti committi, auferendo sacrum de sacro vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro. Circa secundum modum docet Mosc. l. c. & Samuel de Lub. V. Sacrilegium, licet sit sacrilegus, qui è loco sacro res etiam laicorum depositas vel locatas. mutuò aut commodato, vel loco pignoris traditas, furatur, non autem casu ibidem relictas, sicut & qui spoliat crumenam orantis in Ecclesia, non est sacrilegus. Circa tertium verò docet Lopez, quem sequitur Samuel, non committi sacrilegium. si calix quàmvis consecratus, non tamen pertinens ad Ecclesiam, extra Ecclesiam surripiatur. 4. explicetur circumstantia loci sacri, si extrahatur reus injustè ab Ecclesia &c.

In dictione, *quibus auxiliis*, explicantur instrumenta peccandi. Sed hæc circumstantia ordinariè non multùm aggravat, nisi in bello invasivo utaris auxilio infidelium contra fideles, vel hæreticorum contra Catholicos. Mosc. l. c. §. cum quo. Vel si utaris instrumento apto ad majorem injuriam, v. g. si personam dignam. propter majorem contemptum, percutias baculo &c. Dixi, *in bello invasivo*. nam in bello defensivo, oppositum dicendum.

In dictione *Cur*, explicatur circumstantia finis, & hæc explicetur. si addit novam malitiam, v. g. in furto propter mœchiam. Navarrus tamen censet, quòd non tenemur explicare furtum commissum propter mœchiam, sed sufficit dicere furatum esse, & mœchatum esse.

In dictione *Quomodo*, explicatur circumstantia modi. Quæ dicatur, & cùm mutat speciem, v. g. si abstulisti alienum vi, & cùm notabiliter aggravat, v. g. si aliquem per insidias occidisti. explicandus etiam modus operandi scienter vel ignoranter, si scientia aut ignorantia excusat, vel accusat peccatum.

Ad circumstantiam modi pertinere possunt, quæ annectuntur actui turpi, ut sunt oscula, amplexus, tactus, dicta, quæ tamen non sunt necessariò explicanda, sed sufficit dicere actum principelem. Pariter qui gladium arripit, equum conscendit, inimicum persequitur, tandem occidit, non tenetur nisi homicidium explicare, eò quòd prædicta ad homicidium ordinentur.

Adv: ex Mosc. l. c. §. quoties. Si quis tactibus impudicis vacaret. sed non in finem copulæ. & postea sequeretur copula, vtrumq; teneretur explicare. quia sic essent distincta peccata.

In dictione *Quando*, explicatur circumstantia temporis v. g. festi, sed hæc secundùm communem sententiam non est necessariò explicanda. Quare, si fornicaris die festo, non teneris circumstantiam festi explicare. Item explicatur cir-

cumstan-

cumſtantia durationis: Sed ſicut intenſio actûs ordinariè non confitenda, cùm ordinariè non multùm aggravet, niſi ſit extraordinaria, ut cum quis ita intensè alterum occidit, ut ſi poſſet, eum dilaniaret, ita duratio actûs non eſt confitenda, niſi ſit notabilis, ut ſi per tres horas v. g. durâſti in actibus, colloquiis, aut cogitationibus turpibus, ait Medina. Oppoſitum tamen ſecuritate non caret, niſi ſit valdè notabilis exceſſus.

Dices. Circumſtantias non ſufficienter enumerari à nobis, cùm dentur aliæ, ſcilicet *quoties* & *quantum*. ℞. ſecundùm Armillam, *quoties*, non eſt circumſtantia, ſed pertinet ad ſubſtantiam actûs, ſecundùm Fernandez verò, *quantum* reducitur ad *quid*.

DISTINCTIO LXI.

De numero Peccatorum.

DIco I. Numerus peccatorum mm diſtinctè in confeſſione explicandus. Ita determinatur à Trid. Seſſ: 14. can. 7. nec ſufficit dicere, aliquoties Arm. & alii. Quòd ſi non poſſit haberi, exprimat pœnitens numerum veroſimilem, addendo *plùs* vel *minùs*. quibus verbis ſatisfit pro aliquibus peccatis quæ ultra numerum confeſſum poſtea veniunt in mentem. *plus minuſvè* extenduntur pro numeri, cui adjunguntur, multitudine, quod arbitrio prudentis relinquitur. Navarrus docuit in numero centum peccatorum *plùs* vel *minùs* extendi ad decem. & Moſc. docet in numero denario extendi ad duo.

Dico 2. Si dicens vigeſies peccavi v. g. peccato furti, inveniat poſtea decies tantùm peccatum à ſe commiſſum, ſecundùm Bonac: non tenetur numerum retractare dicendo, ſe tantùm decies peccaſſe. Nam & id pœnitens bona fide fecerat, & confeſſio integra. cùm in numero majori contineatur minor. Quòd verò Confeſſarius ſit deceptus, id cedit in præjudicium pœnitentis, qui propterea, majorem quàm meruit, pœnitentiam reportavit.

Dico 3. Meretrix in proſtibulo inveterata non tenetur numerum peccatorum exprimere, ſed ſufficit exprimere tempus, per quod in malo perſeveravit. Canus & alii. Adverte quòd teneatur ſpecies peccatorum exprimere quantum fieri poteſt, ſi nimirum rem habuit cum Clericis, Religioſis, conjugatis, propinquis, ſi Sodomiâ peccavit &c. in quibus, utpote rarioribus, cenſeo numerum dicendum. Qui etiam in alio malo inveteratus ſufficit ei tempus malè inſumptum aperire. Item qui hæreſi v. g. decem annis detinetur, legens libros vetitos, ſæpiùs blaſphemans ſatisfacit manifeſtando hæreſim, ait Moſc. nam cætera facilè intelligere poteſt Confeſſarius ex tali ſtatu. ſi tamen facilè intelligit. Sciant Confeſſarij dum audiunt meretrices in malo inveteratas, & ſimiles, interrogent circa confeſſionem & communionem annuam, item, ſi cum vero propoſito deſerendi talem ſtatum, confeſſæ &c.

Dico 4. Qui in confeſſionibus inſufficienter expoſuerunt numerum, ijs dicendum,

cendum, ut modò dicant numerum, quem putant. Deinde monendi ut in sequenti confessione numerum declarent. quia cùm integritas sit de jure Divino, debet servari, quantùm possibile. Caveat tamen Confessarius ne pœnitentes perturbet circa numerum in præteritis confessionibus omissum, sed supponat Confessarium suo officio bene functum.

Dico 5. Qui continuato sermone ter falsò juravit, vel eandem personam continuo sermone pluries injuriavit. &c. Satisfacit dicendo falsò, juravi &c. nec tenetur numerum explicare. nam illa repetitio si fiat vno actu absq; interruptione, non est nisi unum peccatum Summa Dia: cum Zanardo. Qui etiam die jeiunii pluries notabiliter comedit, vnum peccatum committit. Qui verò pluries carnes comedit secundùm communem sententiam plura peccata committit, quæ doctrina. ad jeiunium ex voto, applicanda. sciat, qui fregit jeiunium non tenetur ampliùs ad jeiunandum, qui verò fregit abstinentiam à carnibus, vel à lacticinijs, prout diebus veneris & aliis diebus practicatur in Regno Poloniæ, tenetur adhuc ad abstinendum.

Dico 6. Posito, quod distribuens Eucharistiam in mortali, peccet mortaliter, (cuius tamen contrarium aliqui docent) si quis continuato actu multos communicat, unum peccatum committit. quia est unus moraliter actus, & unum convivium spirituale. unde sufficit dicere, ministravi semel Eucharistiam in mortali. Qui etiam in mortali existens excipit multorum sine notabili interruptione confessiones, unum tantùm committit peccatum, secundùm Rodriquez & alios. quia omnes confessiones audiuntur per unum actum moraliter.

Dico 7. Si intra aliquod tempus, quàmvis notabile, renouasti pluries cogitationes occidendi inimicum, non teneris explicare singulas renovationes. cùm illæ censeantur unum in genere moris. Mosc. l. c. §. quoties. Dela Cruz de Pœnit. q. 5. teneris tamen explicare tempus si sit valde notabile. Quòd si per actū contrarium tales cogitationes interrupisti, numerum explica.

Dixi, occidendi &c. nam si tales non ordinantur ad opus, erunt distincta peccata, & sic distinctè confitenda. ut si delectaris in cogitatione sistendo in ea. vel profers verba turpia sistendo in illis. Dela Cruz. l. c.

Notet Confessarius. Dum pœnitens confitetur homicidium non casuale vel furtum laboriosè commissum &c interrogandus de mora intentionis. potest enim de facili evenire, quòd diu hoc intenderit, modos & occasiones quæsierit. hæc autem notabilis mora, non est in confessione omittenda. Sicut & numerus dicendus si intentio per actus contrarios interrupta.

Dico 8. Retinens rem alienam per annum vel plùs, vnum tantùm peccatum committit secundum Aragonium, etiam si pluries occasio oblata fuerit, vel pluries propositum de non restituendo renovatum. Si tamen sæpiùs propositum mutaret, & tamen datâ opportunitate non restitueret, semper novum peccatum committeret, quod & teneretur in confessione aperire.

Sciendum. Quàmvis quò longior detentio, eò gravius peccatum, tamen in

ſententia docente circumſtantias notabiliter aggravantes non eſſe neceſſariò confitendas, non eſt obligatio explicandi moram voluntariæ detentionis. Qui etiam per actus contrarios interrupit voluntatem pravam non reſtituendi, & poteſt explicare numerum non tenetur explicare moram.

Dico 9 Ratione plurium objectorum plures malitiæ in eodem actu repeٌriuntur, unde & in confeſſione neceſſariò explicandæ. Et ſic, ſi quis uno voluntatis actu ſtatuit non jejunare totam quadrageſimam, tot peccata committit, quot ſunt jejunia quadrageſimæ. Idem dic de ſtatuente omittere officium Divinum per totum annum, aut volente occidere multos, aut cubare cum multis mulieribus. Item maledicens uno ſermone Deum, B. Virginem M. & B. Petrum, tria peccata committit, lædens uno verbo plurium famam, tot peccata habet, ſicut qui uno ictu multos occidit, multa homicidia, facit. docet tamen Moſc. l. c. qui maledicit Patri & ſimul toti familiæ duo tantùm peccata committit, quia familia in jure pro una perſona reputatur: idem tenet Facundez Rurſus, qui ſibi complacet de triplici actu nefando à ſe commiſſo, Qui in pollutione recogitat tres fœminas. Qui uno verbo, ad peccandum tres inducit, &c. tria peccata committit. Coniugatus etiam rem habens cum coniugata committit duplex adulterium & Religioſus rem habens cum Moniali duplex ſacrilegium.

Dico 10 Omittens ſacrum die Dominico, in quo incidit aliud feſtum de præcepto. Item, omittens jejunare in vigilia incidente in quadrageſima, unum peccatum committit, quia hæc præcepta reſpiciunt eandem virtutem. Præceptum de celebrando die Dominico & alio feſto, reſpicit virtutem religionis. Præceptum de ſervanda vigilia & quadrageſima reſpicit virtutem temperantiæ. Nec obſtat adeſſe plura præcepta, ex pluralitate enim præceptorum non ſumitur diſtinctio peccatorum ut docetur l. 1. ſed ex diſtinctione objectorum adæquatorum. Bonac. de Integ. Conf. cum Nugno & aliis. His benè conſideratis non contradicitur præteritæ concluſioni, & ſunt DD qui utramque ſine vitio contradictionis, tenent. Si tamen ex voto obligaretur ad audiendum ſacrum die Dominico, vel ad jeiunandum in quadrageſima, & omitteret, duo peccata committeret, quia contra duas virtutes faceret. Qui etiam furaretur rem ſacram de loco ſacro, unum ſacrilegium committeret, nec teneretur utramq; circumſtantiam dicere, ſed hanc vel illam. Facundez in Sum. Dian. & eadem ratio ac primæ partis. Item, qui de aliqua re pluries jurat, & poſtea non ſervat, unum peccatum eſt, & ſatisfit dicendo, violavi juramentum. Henriquez ibid.

Dico 11. Obligatus ad Officiùm Divinum ratione beneficii & Ordinis ſacri, & omittens, tenetur in confeſſione explicare hunc duplicem titulum obligationis. Bonac. & alii. Quia contra diverſas virtutes facit ratione Ordinis contra virtutem religionis, ratione beneficii. contra virtutem juſtitiæ.

Dico 12. Qui confeſſionem annuam facit invalidam reticendo p m. peccat contra præceptum divinum præcipiens integritatem confeſſionis, & contra præceptum Eccleſiaſticum, non enim ſatisfacit, ut determinavit Alexander VII. ſed

ſed

ſed an duo peccata committat controverſum. Quicquid tamen ſit tenetur vtramq; circumſtantiam explicare, docendo feci confeſſionem annuam inualidã.

Sciat Confeſſarius, Dum pœnitens confitetur furtum 100. v. g. florenorum, interroget, an uno, an diſtinctis actibus, nam ſi diſtinctis actibus, tot mortalia, ſi in notabili quantitate

QVÆSITVM.

Vnde colligenda diſtinctio numerica peccatorum?

Reſpondetur, colligendam eſſe, vel ex interruptione per notabile tempus, quod autem ſit notabile tempus, relinquitur judicio prudentis. vel ex interruptione per mutationem animi. vel ex conſummatione totali actûs. Sunt enim in actibus humanis nonnulli, qui habẽt certũ terminũ, in quo cõſummãtur, una v. g. copula maris & fœminæ, unum homicidium. hæc autem conſummatio actûs ita diſtinguit peccatum, ut licèt immediatè poſt aliud ſequatur, plura ſint peccata. Et ſic, qui per noctẽ cum amaſia dormivit, tenetur numerum copularũ explicare.

DISTINCTIO LXII.

In quo caſu repetenda, vel non repetenda confeſsio?

Dico 1. Confeſſio eſt repetenda, quando eſt nulla. Eſt autem nulla, quando defuit dolor neceſſarius vel propoſitum, vel non fuit integra. vel abſolvens non intendit abſolvere, vel non protulit formam, vel defuit juriſdictio ad abſolvendum, vel non habuit uſum juriſdictionis, eò quòd fuerit excommunicatus vel ſuſpenſus denuntiatus, vel notorius Clerici percuſſor. excommunicatus enim toleratus validè abſolvit, ſicut & ſuſpenſus. An verò interdictus & irregularis, denuntiati, validè abſolvant? controvertunt DD. tu ſequere ſecurius.

Dico 2. Non eſt invalida confeſſio; & ſic non repetenda, facta Sacerdoti habenti juriſdictionem, ita tamen indocto, ut neſciat judicare inter mortale & veniale, inter reſervatum & non reſervatum Henriq. & alii. in Summa Dia. Si tamen pœnitens elegit talem Confeſſarium, invalida erit confeſſio, ex indiſpoſitione pœnitentis. Niſi pœnitens doctus ignorantiam Confeſſarii tollat.

Dico 3. Si confeſſio eſt repetenda, & fit alteri confeſſario, diſtinctè omnia repetenda. Si fiat coram eodem, & hic recordatur ſtatûs pœnitentis, ſufficit dicere. accuſo me peccatorum quæ tibi confeſſus ſum. Si verò Confeſſarius nec diſtinctè nec confusè habet notitiam ſtatûs pœnitentis, repetantur diſtinctè peccata. aliàs non, ſi Confeſſarius confusè recordatur ſtatûs pœnitentis, vel ſaltem pœnitentiæ impoſitæ, ſi congruam imponere conſuevit. Armil. ex D. Bonau. & Palud.

Dico 4. Neſciens ſe eſſe excommunicatum, & non præmiſſâ ullo modo abſolutione ab excommunicatione, abſolutus à peccatis, verè abſolvitur. & ſic non tenetur iterare confeſſionem, ſed quærere ab excommunicatione abſolutionem

tionem. Caiet. apud Armil. V. Conf: Pari modo. dum ſcitur excommunicatio, & rogatur Confeſſarius, interea non abſolvit, ſed tantùm à peccatis, valida eſt abſolutio à peccatis, ſed Confeſſarius graviter peccat ſi cum advertentia faciat. Ex quo intellige præmittendam abſolutionem ab excommunicatione.

Dico 5. Sive culpabiliter, ſive inculpabiliter obliviſcatur pœnitens ſatisfactiònis, non tenetur repetere confeſſionem. Arm. cum Caiet. vocat tamen oppoſitum, ſecurius Quia per confeſſionem culpa fuit remiſſa abſq; ulla dependentia à ſatisfactione implenda. Satisfactio autem poteſt impleri aliis pœnis à Confeſſario imponendis. Suaderi etiam poteſt ſuſceptio alicuius indulgentiæ.

Dico 6. Habens caſus reſervatos, & vadens ad eum qui habet licentiam abſolvendi à reſervatis, & abſolvitur, & poſt modum recordatur de quibuſdam aliis reſervatis, non eſt neceſſarium confiteri coram habente à reſervatis. cum reſervatio oblitorum caſuum ſit ſublata per verba generalia, quæ in abſolutione adhibentur. Limitat Arm. V, Conf: Bonac. de Pœnit. q 7. pun. 6 & alii Si Confeſſarius ita univerſaliter intendit. ſed Moſc. in Exam approb. tit. 13 q. 6, abſolutè docet. ratio enim eius. quia ſtatim reſervatio tollitur ac homo à peccatis validè abſolvitur. Intellige, ab habente poteſtatem Alii etiam apud Bonac. l c abſolutè docent & probabiliter. Nam & pœnitens id petit interpretativè, & Confeſſarius cenſetur velle quantum poteſt abſolvere Hoc certiùs eſt; qui virtute Iubilæi vel ſimilis gratiæ abſolvitur, reſervatio oblitorum tollitur.

Docet Moſc. p. 4. elementorum ad ſac. conf Si quis tempore jubilæi habens peccata m. tam reſervata, quàm non reſervata, in confeſſione manifeſtaret tantùm reſervata, non reſervata verò celaret, ac proinde invalidè abſolveretur, is ſi poſtea rediret ad cor, poſſet à quolibet confeſſore abſolvi à reſervatis iam confeſſis. Nam peccatum reſervatum, ſemel cognitum ab Eccleſia ceſſat eſſe reſervatum. Ita etiam Henriq. item Ochagavia.

Dico 7. Dum Confeſſarius non habens facultatem à reſervatis abſolvit, validè abſolvit modò pœnitens præter reſervata, alia confiteatur, & bonâ fide procedat. conſequenter non tenetur iterare omnia, ſed ea tantùm, à quibus non potuit abſolvi, Idem judico, dum non expoſitus, confitentem mortalia & venialia abſolvit, & ſic rarò defectu expoſitionis Sacramentum Pœnitentiæ eſt nullum, ſi pœnitens bonâ fide procedat. hic tamen tenetur, re apertâ, coram expoſito mortalia confiteri.

Dico 8. Reconfiteri peccata toties per confeſſiones generales, quandoq; eſt bonum, ut eò faciliùs pœna peccatis debita dimittatur; quandoq; malum, quando propter hoc conſcientiæ redduntur inquietæ Ideo talibus conſulendum, dum ſemel, vel bis confeſſionem generalem fecerunt, non ampliùs iterent.

Dico 9. Licèt pœnitẽs omiſerit in cõfeſſione peccatũ m. ex oblivione vincibili, & ſic mortaliter peccaverit, confeſſio tamen fuit valida, nec repetenda. Dela C, de Pœnit q 3 dicens eſſe communem Evenit autem hoc dum pœnitens non adhibet ſufficientem diligentiam in examinanda conſcientia. Vnde ſufficit

in ſequen-

in sequenti confessione hanc negligentiam aperire. Hæc negligentia non sit crassa, aliàs confessio esset nulla, & repetenda. Adverte, licet in tali casu, confessio esset valida, informis tamen, quia sine fructu. Sicut, dum recipitur baptismus cum affectu ad p. m. valet quidem, nec repetendus, caret tamen fructu, id est non confertur gratia.

Datur etiam Sacramentum Pœnitentiæ informe, quando dolor est inefficax, non includens voluntatem absolutam vitandi peccatum, sed tantùm velleitatem, quæ excludit quidem omnem expressum affectum peccandi, non tamen implicitum, Dela-Cruz l. c. cum communi, ut ait.

DISTINCTIO LXIII.

De Satisfactione.

NOta. Sermonem procedere de satisfactione pœnæ, quæ remanet ablatâ culpa. Est autem satisfactio Sacramentalis, passio voluntaria pœnæ pro peccato, à Confessario imposita ad placandum Deum, cum proposito eum ampliùs non offendendi.

Dico 1. Confessarius tenetur satisfactionem imponere proportionatam culpis, juxta prudens arbitrium, Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Dixi, *juxta prudens arbitrium.* Nam magis attendi debet, præsens pœnitentis dispositio, quàm culpæ præteritæ gravitas. Confessarius etiam magis ad lenitatem propendeat. V. Conc. ultimam.

Dico 2. Licitum est Confessario aliquando, non imponere, aut saltem minorem imponere pœnitentiam. 1. Cum Pœnitens est in extremæ vitæ periodo, in qua iam nihil potest pati. quia frustra jubetur, quod impleri nequit. 2. cùm Confessario constat à pœnitente assumptam pœnitentiam sufficientem. 3. cùm pœnitens accedit nimis contritus. Contritio enim grandis multùm de pœna debita tollit. & in hoc casu judico minorem imponendam. 4. Quando pœnitens est ita imperfectus, ut timeatur eum non acceptaturum graviorem pœnitentiam, imponatur minor. melius enim est homines ponere in purgatorio quàm in inferno. addi possunt tali opera aliàs debita. v. g. auditio Missæ die festo &c. etiam satisfactio per alium implenda.

Dico 3. Satisfactio imponenda ante absolutionem. Quia est pars materialis. ergo rectus ordo postulat ut antecedat formam. Armilla docet parum referre quod ante vel post imponatur. addit tamen, meliùs esse, si ante. Cave ne inferas, idem sentiendum de contritione extra controversiam enim, quod antecedere debeat formam absolutionis.

Dico 4. Probabile est satisfactionem Sacramentalem posse esse opus internum. v. g. ut ægrotus mente proferat Nomen IESU. Si enim contritio, quæ est magis necessaria, est actus internus, cur non satisfactio? An verò opus animabus purgatorii applicandum possit in satisfactionem imponi? aliqui affirmant, aliqui negant, & securius.

Dico 5. Opera externa quæ imponi possunt in satisfactionem, sunt, jeiunium, oratio & eleëmosyna. Ieiunium comprehendit omnia opera pœnalia carni, quales sunt mortificationes. Oratio comprehendit omnia opera spiritualia, ut celebrationes Missarum, earundem auditiones, peregrinationes, & his similia. Eleëmosyna comprehendit omnia opera misericordiæ.

Dico 6. Tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam à Confessario impositam, si sit justa, nec adest causa eam non acceptandi. Quia ut dictum ex Trid. Confessarius tenetur eam imponere, ergo pœnitens tenetur eam acceptare. aliàs frustra esset obligatio imponendi, si daretur libertas non acceptandi. Ex quo patet pœnitentem teneri acceptam pœnitentiam implere. Sic enim frustranea esset obligatio eam acceptandi. Et licèt elabatur tempus præfixum, adhuc pœnitens tenetur pœnitentiam implere. Cum non fuerit præfixum ad terminandam, sed sollicitandam obligationem. Si pœnitentia pro venialibus, vel mortalibus aliàs confessis imposita sit, illam totam omittere, licet gravem, probabile est, tantùm veniale esse. Quia durum videtur, obligationem satisfaciendi pro re levi, esse gravem, per se loquendo. omittere etiam levem pro mortalibus primò confessis impositam, non est mortale secundùm communem.

Dico 7. Dum pœnitens non vult acceptare pœnitentiam, Confessarius eam moderetur, vel in aliud opus satisfactorium commutet. Quam si omnino noluerit, Confessarius eum non absolvat, tanquam indispositum. cùm ut diximus tenetur eam acceptare, docet tamen Samuel de Lub. V. Satisfactio. cum Arm. talem absolvendum, licèt nec animam acceptet, sed offerat in purgatorio satisfactionem.

Dico 8. Pœnitens non valens implere acceptatam pœnitentiam, non tenetur aliud opus satisfactorium substituere. Sicut qui non valet die jejunii jejunare, non tenetur v. g. eleëmosynam substituere.

Dico 9. Implens pœnitentiam in mortali, satisfacit præcepto Confessarii, nec tenetur eam repetere. Arm. V. satisfactio. Mosc. in Exam. app. tit. 5. q. 2. Quia præceptum traditur de substantia non de modo operis faciendi. Pœnitentia sic impleta sortitur effectum remoto obice. Fernandez de satisf. ex Caiet. Petro Soto, & Vict. Quia Sacramentum sortitur effectum remoto obice. ergo & pars Sacramenti. Excusat etiam sic satisfacientem à p. m. Dela Cruz de Sacr. Pœnit. q. 4. & rationabiliter. idem tenet Filliucius in præsent.

Dico 10. Si certò constet Confessarium errasse, potest alius pœnitentiam mutare seu moderari. Immo & vir doctus idem potest etsi non sit Confessarius, ait Ledesma, intellige moderari. extra confessionem enim nequit pœnitentia commutari, cùm commutatio sit actus jurisdictionis clavium in foro Sacramentali & sic pro-

ſic propriâ authoritate, etiam in evidenter melius, quæcunq; illa, nequit commutari. Poteſt etiam Confeſſarius ex juſta cauſa commutare vel moderari pœnitentiam rationabilem ab alio impoſitam. Sylv. V. Conf: Si qui commutat vel moderatur, habeat poteſtatem in peccata id petentis, nec ſint ſibi reſervata. Moſc. l. c. q. 5. & comm. Nota, ut Confeſſarius alius à primo commutet vel moderetur pœnitentiam, non eſt neceſſarium reconfiteri peccata. Fern. l. c. cum Vict. & Nau.

Dico 11. Confeſſarius cavere debet ne ſit nimiùm facilis in pœnitentia imponenda pro peccatis mortalibus. v. g. pſalmum de profundis omittendi officium divinum. unde ſecundùm D. Th. quodl. 3. a. 29. omittendi officium divinum dentur pro pœnitentia 7. pſalmi pœnit. vel plùs ſecundùm qualitatem officii divini. facilitas enim veniæ, delinquendi præbet occaſionem, ut autem à Confeſſariis auferatur ſcrupulus, ſuadeant pœnitentibus pœnitentiam à ſe impoſitam eſſe parvam, dum talem ob aliquam cauſam imponunt. Quâ taxatâ imponant pœnitenti, ut quicquid boni fecerit, & mali ſuſtinuerit, in ſatisfactionem offerat. Nam ſic in ſatisfactionem injuncta opera alias libera, fiunt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & ſunt ſatisfactoria ex opere operato.

Attamen licèt Confeſſarius non imponat expreſsè pœnitenti, quicquid boni fecerit &c. in ſatisfactionem offerat, per generalem applicationem, *quicquid boni feceris &c.* bona opera in gratia facta, præter alia expreſsè impoſita, virtute clavium Eccleſiæ redduntur Sacramentaliter ſatisfactoria. S. Th. l. c. a. 18. Et propterea Nau. & Regin. apud Bonac. de Satisf. obſervant, uſu receptum eſſe, ut modicæ pœnitentiæ imponantur. quia id in quo deficiunt pœnitentiæ impoſitæ, ſuppleri poteſt per bona opera, quæ communiter, & ut plurimum ab hominibus præſtantur. Quàm diu ſine mortali poſſit differri ſatisfactio, pauci, ut videre potui determinant. tenet tamen Summa Dia. V. implere pœnitentiam. cum Fernandez in inſtructorio Conf: p. 1. docum. 7. §. 1. Si Confeſſarius tempus non præſcribit differri poſſe ſine mortali per annum.

QVÆSITVM.

Homicidæ voluntario quam pœnitentiam cenſes imponendam?

Reſpondet Comitolus. Ad interfecti propinquos ſupplex accedens veniam poſtulet, illiſque illata damna reſtituat. pro ſalute occiſi ſingulis hebdomadis unum ſaltem ſacrificium per annum fieri curet, ſi poſſit. & per idem tempus eleëmoſynam largiatur, & litanias quotidie flexis genibus recitet, & unam ſaltem orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam flexis & nudis genibus per totam vitam pronunciet, ac per annum octavo quoque die confiteatur, & ſingulis menſibus communicet.

DISTINCTIO LXIV.

De abſolutione.

Nota.

NOta. Absolutio à censuris præmittatur absolutioni à peccatis. si non constat, præmittatur ad cautelam. *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis &c.* Scias etiam, quòd suspensio non afficiat nisi Clericos. Quare si absolutio fertur in non Clericum, dicatur. *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis & interdicti &c.* omittendo particulam. *suspensionis.*

Dico 1. Absolutio à peccatis est hæc. *ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* quæ sola detur tempore concursûs, omittendo antecedentia & sequentia. Vel etiam dum post absolutionem recordatur alicuius peccati. Supposito, quòd pœnitens non sit excommunicatus &c. aliàs deberet præmitti absolutio à censura. & supposito, quòd pœnitentia proportionata imponatur. aliàs dicenda essent sequentia. scilicet. *Passio D. N. IESV Christi, &c.*

Dico 2. In reconciliationibus seu brevibus confessionibus, ut illorum qui sæpè confitentur & breviter se expediunt, sufficit dicere. *Authoritate D. N. Iesu Christi, ego absolvo te à peccatis tuis, in nomine Patris &c* vel etiam *si teneris aliquo vinculo excomm: susp & interd. à quo possum te absolvere, ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. amen.* Moscic. in Exam. ap. prob. tit. 6. q. 12.

Dico 3. De essentia absolutionis à peccatis est, ut proferatur voce humanâ & non sufficit scripto vel signo. Patet ex usu Ecclesiæ non concedentis Sacerdoti facto muto absolvere etiam in necessitate. Item, de essentia huius formæ est, ut proferatur per modum indicativum, v. g. *absolvo te*, vel imperativum, *absolvaris à me*, & non per modum deprecativum, *absolvat te Deus.* Quia hoc Sacramentum est per modum judicii, in judicio autem fertur sententia indicativè vel imperativè, & non deprecativè.

Dico 4. Non variatur formaliter absolutio dicendo, *condono. remitto. Sacramentum absolutionis impendo,* loco *absolvo* Item dicendo *remittuntur à me peccata tua. absolvaris à me, absolvo te non mea, sed Christi potestate.* Omittendo autem absolutè particulam *te,* hoc est non includendo in aliquo termino, ut includitur in ly *tuis,* non valet Sacramentum.

Dico 5. Præmissâ peccatorum accusatione, in his tantùm consistit essentialiter absolutio à peccatis, scilicet *absolvo te,* ita comm ly enim *à peccatis tuis* non est de essentia. Nam non est necesse à judice narrari crimen, sed suppositâ notitiâ criminis sufficit proferre sententiam. Invocatio etiam SS. Trinitatis non est de essentia huius formæ, ut est communis contra Durandum. Nec paritatem sumas à baptismo. Baptismus enim est janua per quam ingredimur Ecclesiam, & ideo in susceptione baptismi, primarii objecti fidei exprimenda professio. Immo omittere dictam invocationem non est p. m. apud Dela Cruz, & Valent.

Dico 6. *Absolvo te,* potest simul & semel extendi ad absolvendum à peccatis & censuris. Et sic urgente casu in articulo mortis sufficit dicere. *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine &c.* Moscic. l. c. q. 12. ex Rituali Pauli V.

Dico

Dico 7. Verus sensus, horum verborum. *ego absolvo te à peccatis tuis* hic est *ego tibi confero gratiam, quantùm est ex se, remissivam peccatorum.* Hæc enim forma sic intellecta verificatur, non solùm quando pœnitens cum sola attritione, & in p. m. ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, sed etiam quando contritus & justificatus illud suscipit, vel quando de peccatis aliàs validè confessis & remissis absolvitur. nam in his casibus recipit gratiam, quantùm est de se, remissivam peccati, licèt actu peccatum non remittat. Gonet in Manuali de Sacr. Pœn. C. 6.

Dico 8. In Sacramento Pœnitentiæ nulla cæremonia est ex præcepto adhibenda, sed ex congruitate. Extensio manûs, ministri potestatem denotans, potest liberè omitti, sed servetur loci consuetudo. Verba, formam essentialem antecedentia, & subsequentia (maximè si congrua satisfactio imponatur) non est mortale omittere. Signum Crucis, congruentius quàm dicta adhibetur. cùm omnia Sacramenta hoc salutari signo administrari soleant. Ex parte pœnitentis nulla cæremonia est necessariò servanda. congruum tamen ut flectat. caput discooperiat &c. Cinus dyalogo ultimo de Pœnit. quoad omnes partes.

Dico 9. Absolutio data sub conditione de futuro v. g. *absolvo te, si restitues,* secundùm communem Theologorum non valet quia non est in potestate ministri suspendere effectum Sacramenti, Absolutio tamen de præsenti v. g. *Absolvo te si habes intentionem restituendi.* Item absolutio de præterito v. g. *absolvo te si restituisti valet.* Sed sine urgenti causa non adhibenda Dum Confessarius absolvit sub conditione, sufficit mente exprimere conditionem.

Dico 10. Confessarius inferior audità confessione integrâ, potest pœnitentem à non reservatis absolvere, & pro absolutione à reservatis ad superiorem remittere. S. Th. apud Mosc. l. c. q. 6. Sed mens S. Doctoris non est, hoc posse regulariter & universaliter practicari Mosc. l. c. Regulariter enim Confessarius debet subsistere & facultatem à superiori quærere, vel remittendus pœnitens ad habentem à reservatis, qui integrè auditis absolvet. In casu tamen quando non patet aditus ad superiorem, & ex altera parte rationabilis causa confessionem exigit, tunc confessarius inferior auditis omnibus peccatis (secundùm alios sufficit non reservata aperire) poterit pœnitentem directè absolvere à non reservatis, & ex consequenti ab aliis, sub onere confitendi reservata habenti à reservatis, cui sufficiet aperire reservata.

Dico 11. Habens authoritatem absolvendi à p. m potest absolvere à censuris juris non reservatis, S. Th. apud Mosc. l. c. q. 11 Quòd si habeat facultatem absolvendi à casibus reservatis, poterit absolvere etiam ab illis censuris, quæ sunt annexæ talibus peccatis.

Dico 12. Confessarius qui non habens facultatem à reservatis absolvit, tenetur facultatem petere a superiore, & si scandalum absit, admonere pœnitentem ad reconfitendum reservata, sed priùs licentiam ab eodem petat, loquendi de dictis in confessione vel si iterum veniat ad confitendum, dicere an doleat de præteritis, A fortiori monendus pœnitens, si forma absolutionis omissa. Dixi, *si*

scandalum absit, hoc enim si timeatur, omittatur monitio, cùm reservata sint indirectè dimissa. Quam pœnam incurrat absolvens à reservatis, dicam de Censuris, agendo de absolutione ab excommunicatione.

Dico 13. Habens facultatem obsolvendi v. g. ab hæresi in foro conscientiæ, potest à solà excommunicatione absolvere. Henriq. & Miranda apud Lez. t. 1. qq. Reg. C. 18. quod & ipse probabile judicat. Secus si in concessione diceretur *in foro pœnitentiæ, auditis peccatis &c.* Lezana l. c. & comm. nonnulli tamen apud Bonac. de Cens. d. 1. q. 3. punc. 6. docent, etiam in tali casu posse impendi absolutionem extra confessionem.

Dico 14. Quando in Iubileo datur facultas super casus Bullæ Cœnæ, hæretici non denuntiati, item relapsi, qui coram judice hæreses non abjuraverunt absolvi possunt, ubi non viget inquisitio. Non possunt autem hæretici denuntiari, relapsi, qui abjuraverunt. probationem fusam huius vide apud Mosc. in appendice ad Tyroc.

Dico 15. Casus Papæ reservatus, stante impedimento adeundi Papam, absolvi potest ab Episcopo, nec obligatus habens talem casum impetrare absolutionem à Papa per Procuratorem vel epistolam, quamvis possit. Henriquez Vgol. Duardus apud Bonac. d. 1. de Cens. q. 7. punc. 2. ipse tamen oppositum docet. Nec tenetur adire nuntium Summi Pontificis, vel habentem privilegium absolvendi, quamvis possit. Henriq. Avila, apud Bonac. l. c. qui oppositum habet, quia stante præfato impedimento restituitur Episcopo ordinaria potestas, quam per reservationem amiserat: adde, quòd reservatio, cùm sit odiosa strictè explicanda, vnde explicanda de recursu ad solum Papam: Et hæc doctrina verificatur, quamvis inreservatione Papali dicatur, nullus absolvat, nisi in mortis articulo. Avila cum Nau. & aliis apud Bonac. l. c. hæ enim particulæ tantùm ponuntur ad coarctandá privilegia.

Quòd si Regularis incurrat casum Papæ reservatum, absolvi potest in dictis casibus à suo Prælato, etiam seclusis privilegiis. Seclusis enim particularibus privilegiis, potest Prælatus Regularis potiri privilegio, quo potiuntur Episcopi ad absolvendum subditos, etiam in casibus Papæ reseruatis, qui ob legitimum impedimentum accedere non possunt Sedem Apostolicam, ita tamen, ut si illud impedimentum non sit perpetuum, teneantur illo cessante coram eadem Sede comparere. quod de alijs currit. Quia Prælati Regularium habent potestatem in suos subditos quasi Episcopalem. Et privilegium absolvendi in dictis casibus non est præcisè concessum Episcopis ut talibus, sed quatenus Prælati sunt, & propter bonum spirituale subditorum, quæ ratio etiam procedit in præsenti. Bordonus ex Panor. Megala & aliis apud Lezanam t. 4. q. q. Reg. V. Prælatus Regularis. Si cessante impedimento (quicunque sint) non compareant, incidunt in eandem excomm. ex C. eos de sent. excomm. in 6. Et sunt perjuri. Vnde scias, stante impedimento temporali, imponi debet à Confessario juramentum comparendi coram superiore cui competit de jure absolvere, ut refert Bonac. de Censuris in comm. disp. 1. q. 3. punc. 3. n. 11. excipiuntur pueri. Quæri-

Quæritur, impedimenta excusantia à recursu ad Papam quæ sunt? ℞. Hæc 1. Periculum mortis in itinere. 2. infirmitas longa, quamvis non periculosa. 3. Paupertas. nam nisi mendicare soleat, non tenetur Romam ire mendicando. 4. ætas imbecillis. 5. Sexus fœmineus. 6. Subjectio filii familias ad patrem, & servi ad dominum, quando sine præjudicio eorum Papam adire non possunt. 7. cura animarum, vel temporale dominium, quando subjectorum detrimentum timetur. 8. debilitas in viris delicatis, qui laborem itineris sustinere non possunt, ut etiam defectus in membris in cœco, & claudo. Tandem, quod arbitrio prudentis censetur legitimum impedimentum.

Dico 16. Absolvendus ab excommunicatione majori, juret stare mandatis Ecclesiæ vel absolventis. Sed hoc tantùm procedit, cum incendiariis, falsariis, hæreticis & similibus. Pro notoria in aliquem offensa excommunicatus, tenetur ante absolutionem satisfactionem præstare. Quod si nequeat, tenetur dare cautionem pignorantiam, in defectu huius fidejussoriam, in defectu harum, juratoriam. Præterea absolvendus ab excommunicatione, debet verberari, sed hoc omittitur in mulieribus. Igitur solemniter absolvens excommunicatum, præmisso aliquo horum si opus est, aut præmissis omnibus si omnia requiri contingat, dicat unum psalmum pœnitentialem, v. g. *miserere* vel *de profundis* ad singulos versus pœnitentis humerum denudatum leviter percutiendo (sed ex justa causa hæc cæremonia omitti potest) *Kyrie &c.* & *Pater N.* & quatuor versiculos, scilicet, *salvum fac* &c. *nihil proficiat inimicus* &c. *esto ei* &c. *domine exaudi &c.* & orationem. *Deus cui proprium* &c. mutando *ly delictorum* in *ly excommunicationis.* Et postea absolvat, dicens, *ego absolvo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter talem vel talem causam & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, communioni & unitati fidelium. In Nomine Patris, &c.* & postea mandet ei, quæ mandanda sunt; hæc conclusio est ex Sum. Caiet. idem ferè modus servatur in absolutione mortui, nisi quòd sepulchrum virgâ percutiatur.

Adverte, juramentum requisitum in absolutione excommunicationis, non debet esse de servandis omnibus præceptis Ecclesiæ, sed tantùm de non violando legem, ob cuius transgressionem lata fuit excommunicatio. Adverte etiam, solemnitates, scilicet, verberationem, juramentum de non violando legem ob cuius transgressionem lata fuit excommunicatio, in toto vel parte præmissam satisfactionem, vel saltem cautionem, solùm requiri in foro externo, Lezana tot. 3. qq. Reg. V. absolutio.

Quæritur. An circa absolvendum excommunicatum ab homine, præsertim in mortis articulo sint aliqua observanda ex synodo Provinciali? ℞. Quòd sic, sed constant ex conclusione, hoc addendum, si excommunicatus pro offensa, nec fidejussores invenerit, Confessor ei sub juramento præcipiat, ut infra mensem à restitutione sanitatis adeat excommunicatorem, & mandatis reverenter pareat. Quo promittente, absolvatur. Qui aliter absolvere excommunicatum præsumpserit, est puniendus V. Moscic. l. c. q. 15. Quod statutum non ligat Regulares Mendi-

Mendicantes, hi enim non tenentur legibus Episcoporum, nec statutis synodalibus, etiam à S. Sede confirmatis, ut latè probat Iacobus à S. Antonio. L. Consultationum Canon Cons: 2. res. 3.

Dico 17. Quamvis determinatam formam absolutionis ab excommunicatione assignaverimus, hæc tamen non est necessariò determinata, sed sufficiunt ad valorem signa quibus significatur absolutio. idem dic de forma absolutionis à suspensione & interdicto. potest tamen sic dici *ego absolvo te à vinculo suspensionis & interdicti, in Nomine Patris &c.* Quoad irregularitatem scias, huius relaxationem non fieri per *ly absolvo*, sed per *ly dispenso te cum super irregularitate vel irregularitatibus quam vel quas contraxisti propter talem vel talem causam & habito te ad legitimos actus in Nomine Patris &c.*

DISTINCTIO LXV.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

NOta. Iurisdictio, prout nunc accipitur, est potestas quæ habetur in alios ad ipsos gubernandos ac in regnum cœlorum dirigendos. Alia est ordinaria, alia delegata, Ordinaria habetur ex vi officii, ut in Papa, Episcopo, Parocho. Archiepiscopo actualiter visitante subditos suorum Episcoporum. non aliàs. Archidiacono, Prælato religionis, Vicario perpetuo Episcopi vel etiam Parochi Delegata datur ab habente ordinariam. Quæ non potest subdelegari nisi hoc sit concessum, vel nisi sit delegatus ad universitatem causarum, ut si alicui committeretur officium Parochi absentis, talis enim aliqua exercitia jurisdictionis, alteri, ex præsumpta voluntate, habentis ordinariam potestatem, subdelegare posset non tamen integrum officium.

Nota 2. Approbatio & jurisdictio seu expositio sunt duæ res distinctæ, quàmvis soleant confundi. Approbatio enim est testimonium juridicum de capacitate & sufficientia Sacerdotis pro excipiendis fidelium confessionibus. Iurisdictio autem est potestas in subditos.

Dico 1. Solus Sacerdos est minister Sacramenti Pœnitentiæ. est de fide, ideo dum S. Th. dicit, in defectu Sacerdotis faciendam confessionem laico, loquitur de confessione ad humiliationē, non verò ad consequendum Sacramentum. Quæ quidem humiliatio tunc tantùm exercenda, quando subest periculum non habendi contritionem. Nec omnis Sacerdos est huius Sacramenti minister, sed solus habens jurisdictionem in hoc foro. est de fide.

Dico 2. Parochus solas oves sibi commissas regulariter loquendo absolvere potest Si tamen Episcopus videat Parochus, qualcunq; personas suæ diœcesis absolvere, & taceat, annuere videtur, & tacitam licentiam concedere. Scias, Sacram Congregationem 1641. 13. Sept. declarasse, Regulares approbatos ab Ordinariis, posse sine licentia Parochorū audire confessiones infirmorum in eorum domibus.

Dico 3. Religiosi confessores possunt audire pœnitentes undecunque venientes,

ant, tam ex Episcopatu in quo sunt expositi, quàm aliunde dum modò id faciant in illo Episcopatu, in quo sunt expositi, & præterea pœnitens non sit Religiosus. Sed de hoc infra. Samuel de Lub. V. Confessor.

Dico 4. Nullibi habentes domicilium, confiteri possunt quibuscunque expositis, ubi sunt, etiam in Paschate. Idem de existentibus extra sua oppida. In his enim casibus nulla fit Parochis injuria. cum prædicti non sint eorum Parochiani, nisi maneant alicubi, vel saltem ibi tendant, per majorem partem anni. Sic enim subduntur Parochis adinstar incolarum.

Dico 5. Episcopus quamvis tantùm titularis. Decanus & Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis, Prælatus regularis. Parochus, gaudent facultate eligendi Confessarium. Hæc facultas non extenditur ad Abbatissas. Opat. disp. 10. q. 4. de Pœnit. ex Sylv. Extenditur ad alios Sacerdotes sæculares, ubi consuetudo. quam in Polonia esse colligo ex Opat. Doctore Polono l. c. qui hanc consuetudinem sine limitatione asserit.

Dico 6. Qui habet facultatem eligendi Confessarium, eligere debet approbatum Samuel l. c allegans declarationem. S. C. per approbatum hic & nunc intelligit Lezana cum Ludou. à Cruce expositum. Quòd si dicas sic parum aut nihil concedi, cùm etiam sine privilegio id liceat. ℟ enim non parum concedi. cùm virtute talis privilegii possit eligi Parochus, qui attento suo officio tantùm pro suis ovibus expositus.

Dico 7. Quando in facultate eligendi Confessarium v. g. tempore jubilæi vel aliàs, tantùm fit mentio Ordinarii & non additur loci. eligi potest in Confessarium, etiam extraneæ diœcesis Parochus, vel alius approbatus à quovis Ordinario, durante approbatione. Bannez Medina & alii apud Dela-Cruz q. 5. de Pœnit. ubi ad declarationem S. C. in qua Lez. & Bonac. fundantur, respondet.

Dico 8. Prælati Regulares possunt sibi subditis concedere licentiam, ut dum sunt extra conventum possint confiteri idoneo Sacerdoti sæculari, aut alterius ordinis regulari, etiam reservata Religionis. Ita concessit Prædicatoribus Innoc. VII. apud Dela Cruz L. 1. de statu Relig. C. 6. d. 11. imò ut colligitur ex hoc privilegio cùm sola licentia itinerandi, aut existendi extra conventum videtur concessa facultas confitendi & absolvendi à prædictis casibus. Adverte ex D. Ant. Sylv. & Soto. idoneum Sacerdotem pro Religiosis absolvendis in nostro casu reputari quemlibet Sacerdotem aliàs non suspensum aut excommunicatum. cùm in Trid. pro Religiosis nihil statuatur, ut statuitur pro sæcularibus etiam Sacerdotibus. pro quibus solùm idoneus reputatur, qui est Parochus, aut ab Ordinario approbatus.

Sed quid, si Religiosus cum Prælato iter agat? ℟. is divertendo ad alium Conventum, vel habendo Sacerdotem eiusdem Ordinis, potest eidem sine licentia expressa confiteri. Cum enim conveniat Regulari sæpiùs confiteri, & aliàs si non consuetum proprio Superiori, adest licentia virtualis tunc. inclusa in licentia iter simul agendi. Nec enim mens Superioris, est hunc magis extra, quàm intra Conventum, adstringendi.

Dico 9. Existimatio de futuro cōsensu, vel ratihabitione, quòd scilicet quando resciverit Ordinarius erit contentus, non sufficit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Palud. D. Ant. Aug. Sylv. & comm. apud Fern. de Ministro Livius Sacrām. Nam ad hoc Sacramentum necessaria est jurisdictio de præsenti, per spem autē ratihabitionis solùm habetur jurisdictio de futuro, hoc est, speratur jurisdictio.

Dico 10. Verum conficit Sacramentum Pœnitentiæ Sacerdos, qui ex præsumpta voluntate Ordinarii videntis vel scientis, & per silentium consentientis, illud subditis talis Ordinarii ministrat, ut sæpè cōtingere potest inter Parochos vicinos. Hinc, quando conveniunt plures Parochi ad unam Parochiam tempore solemni, & accedunt Parochiani ad confessiones, non est opus proprii Parochi licentiâ. Nau. Sotus & alii. Quia sufficit facultas interpretativa & præsumpta, modò fundetur in signis, quæ indicent consensum. Monet tamen Sotus, non licere uti hâc tacitâ voluntate, absq; urgenti necessitate, nisi omnino certa sit.

Dico 11. Non sufficit Regulari præsentari Episcopo, sed necessarium & approbari. Si recurratur ad privilegia, hæc esse revocata probat Fern. agendo de Ministro Pœnit. Et licet injustè deneget Episcopus approbationem, invalidè ministratur Sacramentum Pœnit, privilegiis enim in hoc derogavit Vrban. VIII. 1628. ut refert Card. de Lugo de Pœnit. dist. 21. Quæ à fortiori procedunt de Sacerdote sæculari.

Ex quo patet, Approbationem Episcopi esse de necessitate huius Sacramenti ita Trid. Sess. 13. Cap. 15. de reform. his verbis. *decernit sancta Synodus, neminem etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegijs & consuetudine quacunq; etiam immemorabili non obstantibus.* hæc approbatio ordinariè danda ab Episcopo, qui est ordinarius loci, ubi quis vult audire confessiones. Ita communiùs. addidi, *ordinariè*, propter conclusionem, 7. 20. & 22.

Ad Regularium tamen confessionem audiendam, non requiritur approbatio per Episcopum. Sed Superior potest exponere, quem judicat idoneum, non præsentando Episcopo. Colligitur ex verbis Trid. & praxi Regularium.

Ad peccata etiam venialia, vel mortalia confessa, absolvenda, non requiritur approbatio per Episcopum. sicut nec jurisdictio ab eodem concessa, ut comm: docetur. Nam respectu horum habent Sacerdotes jurisdictionem vel ex jure Divino, vel quod veriùs à Papa sibi in sua ordinatione concessam. Nam omnis jurisdictio à capite Ecclesiæ derivatur.

Dico 12. Approbatio fieri potest ad certum tempus, locum & personas. Si tamen approbatio Regularium sine legitima causa restringatur, restrictio non tenet. Lez t. 1. qq. Reg. C. 19. & adducit declarationem Sacræ Cong. die 2. Iulij 1587. quæ sic habet. *Regulares qui ad audiendas confessiones idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumq; examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoq; & indistin-*

indiſtinctè abſq; vlla limitatione temporis, certorumq; locorum, aut generis Perſonarum admittantur in propria diœceſi. Nota. ly *idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumq; examinatoribus reperti.* Si vis hoc privilegio uti. Eandem ſententiam fusè probat Iacobus à S. Ant. Conſultatione 2. reſol. 6. & Dela Cruz L. 2. de ſtatu Relig. C. 6. d. 7. ait. *Si Ordinarius ſine rationabili cauſa limitat Regularium approbationem, manet limitata quantùm ad juriſdictionem ab eo delegatam, non tamen quantùm ad juriſdictionem ex privilegio Papæ conceſſam ipſis Religioſis ſemel approbatis: ſed quantùm ad hoc ſunt habendi veluti abſolutè approbati.* ita ille, referendo Henriq. Sed advertat Regularis, ne temerè judicet, ordinarium ſine rationabili cauſa approbationem limitare.

Quæritur, an ſit congruum Lectores & in Theologia graduatos ante approbationem examinari? ℞. negativè. ita favet Pius V referente Auguſtino à S. M. verbo Confeſſio ſæcularium. *Lectores inſuper ex eiſdem fratribus, & in Theologia graduati, qui cum licentia ſuorum Superiorum ad gradus admiſſi fuerint, cùm de ipſorum doctrinâ ambigendum non ſit, tàm confeſſiones audituri, quàm prædicationis munus ſubituri ab Epiſcopis minimè examinentur.* Ita ille, debent tamen approbari, quàmvis in Theologia graduati, ut habet idem Pius V. apud eundem l. c.

Dixi, *an congruum* quia cùm Lez. t. 1. qq. Reg. C. 19. dicat ſimilia privilegia, Per Vrbanum VIII. 1628. revocata, ideo abſolutè poſſunt examinari.

Dico 13. Pius V. & Vrbanus VIII. apud Barbos. in collect. Bull. V. Confeſſarij concedunt, quòd novus Epiſcopus poſſit Confeſſarios Regulares à prædeceſſoribus Epiſcopis approbatos, iterum examinare & approbare, vel reprobare, ſi minus idonei reperiantur.

Dico 14. Epiſcopus, vbi conceſſit Regulari Confeſſionem ad certum tempus, vel ſimpliciter non poteſt illam revocare ante tempus ſine rationabili cauſa Mercerus in Summa Dianæ V. Confeſſ. Reg. quod apud Gavantum V. approbare, declaravit S. Cong. Epiſc. & Reg. 1630. & ratio in Sum. Dian. adducitur. Quia juriſdictionem Regulari non dat Epiſcopus, ſed Papa per privilegia. Epiſcopus verò ſolùm examinat & idoneum appellat veluti per ſententiam, quæ ſemel data ſecundùm regulas juſtitiæ non poteſt ampliùs revocari. vnde non obſtante tali revocatione injuſta, poterit Confeſſarius Regularis Confeſſiones excipere. Secus dicendum de approbatione conceſſa ad beneplacitum. Nam hæc poteſt quandocunq; revocari. ut declaravit eadem S. C. 1619. apud Barb. V. Regul. Conf. & V. approbare, vel ſi aliqua cauſa, pertinens tamen ad munus confeſſionis, ut habet Lezana & Gab. à S. Vinc. Epiſcopum moveat, quam non tenetur Regularibus edicere, ſed Sedi Apoſtolicæ, ex Vrbano VIII. apud Barb. V. Confeſſarius.

Dico 17. Approbatio ſemel facta, & non limitata, nec revocata ſemper durat, etiamſi alius Epiſcopus ſuccedat, vel Confeſſarius poſt longum tempus revertatur, quàmvis per modum tranſeuntis, non figendo ſedem. cùm eadem ratio, ac figendo ſedem, militer. Sed ad huius notitiam. Scias, gratiam aliam eſſe factam, aliam faciendam, Gratia facta dicitur, quæ data eſt directè & abſolutè alicui in

favorem

favorem ipsius, ut si Prælatus concedat alicui Religioso in gratiam ipsius, eligendi Confessarium &c. vel ut dispenset cum aliquo in irregularitate &c. Gratia verò facienda est, quæ non conceditur alicui directè, sed alii mandatur, ut eam ipsi conferat, ut si prælatus in favorem alicuius Religiosi habentis casum reservatum concedat facultatem alicui Confessario, ut possit eum absolvere à tali casu. Et hæc expirat morte concedentis, ut probat claro exemplo juris Lez. t. 3. qq. Reg. V. Gratia. Quod intellige. Si res sit integra, id est, si nondum inchoata executio gratiæ. si enim ante mortem concedentis inchoata, non cessat morte illius. Lez. ex Sylv. Sanch & Bordono. Gratia verò facta, sine determinatione temporis concessa, etiam à Visitatoribus vel Commissariis tantùm, durat, post mortem vel cessationem Officii concedentis, etiam re integrâ. Item, quamvis sit concessa ad beneplacitum Sedis, Officii, vel Dignitatis. quando enim talis Sedes, Dignitas vel Officium fuerint perpetua, ut sunt Sedes Apostolica, Officia & Dignitates Religionum, quæ reputantur eadem in successore, tunc gratia ad tale beneplacitum concessa erit perpetua, nisi à successore revocetur. Item, quamvis concedens dicat, *donec noluero, donec revocavero, donec aliud decrevero.* Secus, si concessa *ad beneplacitum concedentis, vel ad arbitrium ipsius, seu donec voluerit* hæc enim morte concedentis terminatur, C. si gratiosè de rescriptis in 6. Hæc probata reperies apud Lez. l. c. Ex his patet, quid dicendum de Regularibus expositis à suis Superioribus pro fratribus. Patet etiam, quomodo intelligendum illud, *semel expositus semper expositus* scilicet, semel expositus sine limitatione temporis, semper expositus in eadem diœcesi, vel territorio, donec, saltem successor, revocaverit.

Quæritur. Qui redit ad Conventum in quo fuit expositus, an possit sine nova expositione, præcipuè, novi Prioris, confessiones excipere? ℟ quod sic. Sicut qui redit ad eandem diœcesim, in qua fuit simpliciter expositus, potest sine nova expositione confessiones audire, licèt Episcopi mutati, ut docet Bonac. de Pœnit. q. 7. pun. 4. §. 1. cum Nugno Zerola & aliis. eadem enim ratio, sc: perpetuitas.

Dixi, in quo fuit expositus. Nam si non fuit, licèt in eo, ex quo venit, fuerit, debet exponi, nisi consuetudo aliud suadeat, de qua videndum: hæc enim secundùm communem, dat jurisdictionem. Et ratio principalis dicti. cùm Prior pro tota provincia nequeat exponere. Quod etiam de superiore in Ordine N. currit. hic enim ex vi officii, apud nos, non habet curam animarum, & consequenter ut alius debet exponi.

Dico 16. Si Religioso Apostatæ, putando, quòd sit Clericus sæcularis, fuit collatum beneficium Parochiale, talis in rei veritate non fuit Parochus, omnia tamen Sacramenta ab ipso administrata valida erant. In hoc enim & similibus Ecclesia supplet defectum jurisdictionis. Fern. de Min. Pœnit cum aliis tacitè relatis. Item dum aliquis habet probabilem rationem se habere jurisdictionem, & in rei veritate non habet, si alia essentialia concurrant, validè confert hoc Sacramentum ex tacito consensu Ecclesiæ, Mosc. in fine Append. ad Tyr. ex Less. & aliis ab eodem relatis.

Ex prima

Ex prima conclus. parte habes, si Confessarius cum licentia subreptitiè obtenta Confessiones excipiat, esse validas. Nam secundùm DD. communis error cum titulo colorato seu invalido, à legitimo possessore obtento, tribuit jurisdictionem. Imò sufficere errorem communem, docet Diana p. 3. t. 4. res. 122, ex Pontio & Molfesio. sed hoc comm: negatur. Hoc securiùs judico, qui nescit suam potestatem esse revocatam, & absolvit, validè absolvit.

Dico 17. In articulo mortis quilibet pœnitens à quibusvis peccatis, à quocunq; Sacerdote absolvi potest, ex Trid. Sess 14. C. 7. Securius, hæreticos, degradatos, suspensos, aut non expositos, non posse tunc absolvere, si alius Sacerdos adsit. Dela-Cruz de Ministro Pœnit. ex Led.

Secundùm Palud. Sylv. & alios apud Fern. l. c. idem dicendum in probabili periculo mortis, quod in articulo mortis. Quale autem censetur probabile periculum mortis, prudentis arbitrio relinquitur, in exemplo, est longa & periculosa navigatio, partus mulieris, si periculosè soleat parere &c.

Dico 18. Non est absolvendus Pœnitens etiam in articulo mortis à censuris, si non satisfacit, supposito quòd censuræ petant satisfactionem. Quòd si non possit, det cautionem de satisfaciendo. Hæc currunt secundùm dicta d. 64. Conc. 16. in foro externo, an verò his omissis extra articulum mortis, sit invalida absolutio à censura data ab habente facultatem ordinariam? negat Lezana t. 3. qq. Reg. V. absol. ex Sylv. cùm id (ut ait) nullo jure caveatur, secus, si in commissione adderetur, satisfactà parte. Quæ autem sit sufficiens cautio dixi dist. 64. Conc. 16. Adverte, Sà V. absolutio ab excomm: docet. Iste de quo procedit conclusio, ab excommunicatione, absolutus cum aliqua cautione, etiam extra articulum mortis, non reincidit, etsi non satisfaciat.

Dico 19. Parochus tenetur ad audiendas confessiones suarum ovium, quoties rationabiliter petunt, vel loco sui idoneum Pœnitentiæ ministrum substituere. Quia pastor non solùm necessitatem, sed & utilitatem ovium respicere tenetur. Est multorum contra Richardum, & Sylvestrum.

Dico 20. Religiosus approbatus Cracoviæ validè absolvit diœcesanum Cracoviensem in aliena diœcesi, nisi domicilium mutaret diœcesanus, est comm. idem de aliis Sacerdotibus, contra Gutierez. Quia jurisdictio delegatur in personas & non in loca, ergo est personalis, & exerceri potest, ubicunq; reperitur persona subjecta.

Dico 21. Confessarius Regularis approbatus ab Episcopo unius diœcesis, nequit audire confessiones in alia diœcesi, ut probat Lez. t. 1 qq. Reg. C. 19.

Dices. Minores & Patres Societatis, ex privilegiis Eugenii IV. & Gregorii XIII. in itinere existentes, si Episcopis se præsentare non possint, nec Parochi repugnent, possunt excipere confessiones, consequenter & alii cum illis communicantes. Sed hæc privilegia sunt revocata per constitutionem Urbani VIII. editam 1628. quæ incipit. *Cùm sicut accepimus*, ait Card. de Lugo de Sac. Pæn. d. 21. S. 1. & Diana p. 6. t. 7. res. 59.

Dico ultimò. Poteſt Parochus delegare ſuam juriſdictionem Sacerdoti approbato à ſuo, aut extraneo Ordinario, & pro ſuis ovibus, & etiam pro ſe, in iiſdem caſibus Dela-Cruz l. c. ex Henriq. & aliis. Et ſic approbatus in una diœceſi, durante approbatione poteſt recipere juriſdictionem in alia ſine nova approbatione, per quod explicatur præcedens concluſio, & conſulitur Parochis, qui alii diœceſi vicini ſunt.

QVÆSITVM.

Quid de Confeſſarijs Monialium?

RESpōdetur hæc à S. Congregatione Concilii Trid. interpretum determinata. 1. Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad confeſſiones Perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam cenſentur approbati ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egent quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione. 2. Regularis ad audiendas Monialium confeſſiones unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatus minimè poteſt audire confeſſiones Monialium alterius monaſterii. 3. Confeſſores extraordinarii ſemel deputati atq; approbati ab Epiſcopo, ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſunt pluries in vim approbationis eiuſmodi illarum confeſſiones audire, ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit V. Barb. in collect. Bull. V. confeſſarii. Sed an hæc in noſtris partibus recepta? conſule alios. mihi reſpondit quidam vir doctus in his notitiam habens, non eſſe recepta.

DISTINCTIO LXVI.

De Miniſtro Pœnitentiæ circa reſervata.

NOta. Caſus reſervati alii ſunt Papales, alii Epiſcopales, alii reſervati prælatis Regularium pro ſuis ſubditis. Papales alii reſervati in Bulla Cœnæ Domini, alij in aliis Bullis & decretis. Epiſcopales reſervati ſunt triplicis generis. Quidam de jure. Quidam de conſuetudine generali, hoc eſt, qui in omnibus Epiſcopalibus communiter reſervantur. Quidam de conſuetudine particulari, ſcilicet, huius vel illius Epiſcopatûs. Papales, cùm ratione cenſuræ reſerventur, recenſebuntur, dum de cenſuris agemus.

Dico 1. Diſtinguendo caſum à cenſura, hi reſervantur Epiſcopo in jure. Peccatum Clerici habens annexam irregularitatem. Sed juxta D. Th. in 4. d. 19. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1. etſi irregularitas ſit reſervata, ſed non peccatum. 2dò. incendium domorum, frugum, & aliorum de induſtria factum. Quod ſi incendium ſit Eccleſiæ, monaſterii, aut loci ſacri, incurritur excommunicatio, ante denuntiationem, Epiſcopalis, poſt, Papalis, ſed probabilius ante denuntiationem, eſſe nullam Arm. V. Excomm: excomm: 13. 3. peccatum cui debetur ſolemnis pœnitentia, quæ ob ſolum peccatum notorium imponitur, ut eſt concubinatus notorius. Sed cum publica pœnitentia iam non ſit in uſu, aliqui dicunt, hunc caſum non eſſe

amplius

ampliùs reservatum. 4. Blasphemia publica & notoria. Sed secundum D. Thomam hic casus reservatur Episcopo ratione solemnis pœnitentiæ ab Episcopo imponendæ, quæ cùm jam non sit in usu, nec reservatio. Lezana V. Casus, probat nullum casum de jure antiquo esse Episcopo reservatum, de jure tamen novo reservatur eidem abortus fœtûs animati, secuto effectu, & habet annexam excommunicationem. vide Lez. l. c. & V. Abort.

Dico 2. In referendis casibus ex consuetudine generali Episcopo reservatis, non conveniunt DD. ut videre est apud eosdem, neq; hæc consuetudo generalis aut eiusdemmodi in omnibus Episcopatibus videtur esse, ait Lezana. Ideo quando de reservatis ex consuetudine in aliquo Episcopatu non constat, solùm habendi illi pro reservatis, quos sibi Episcopi expresse reservant. Peirinis & Ludov. à Cruce apud Lezanam.

Referuntur tamen quatuor casus ex consuetudine generali Episcopis reservati, in Summa Dianæ V. Casus reservati. 1. Homicidium & actualis mutilatio. 2. Crimen falsariorum, addit Mosc. in scripturis, testimoniis, & reticentia veri in judicio. In falsitate tamen quæ in Apostolicis literis committitur, incurritur casus Papalis in Bulla Cœnæ Domini. 3. Sacrilegia furti de re Ecclesiastica & homicidij, vulnerationis in loco sacro. 4. Divinationes, & incantationes, ac Dæmonum invocationes plures refert Mosc. in Examine approb. tit: 6. q. 6. & Dela-Cruz de min. Pænit. Sed scrupulus tollitur tenendo præfatam Lezanæ sententiam.

Quæritur, qui casus in diœcesi Crac. reservantur? ℞. quia multi sunt, & facilè haberi possunt, eos ob brevitatem omitto. Videantur in constit. Provinc. L. 4. tit. de Pœnit. & remissione & in Reformationibus general. C. 15 apud Mosc. l. c. quorum tamen absolutio tempore Andreæ Trzebicki delegabatur, aliis quatuor reservatis. Vnde in his consulatur consuetudo currens, cuius mentionem non facio, quia facilè mutabilis.

Si Regularis incurrat casum Episcopo reservatum, potest absolvi à Confessario Regulari, cui ordinariè ille vel alii confitentur. Cùm reservatio Episcopalium non extendatur ad Regulares ob exemptionem. Nisi esset casus à jure Episcopo reservatus, vel censura Episcopalis, ut propter procurationem abortùs fœtûs animati secuto effectu, tunc enim Superior proprius esset adeundus. Nisi dicamus Regulares privilegiatos habere facultatem absolvendi à prædictis de qua mox.

Refert etiam Dela Cruz l. c. casus ex consuetudine generali Episcopo reservatos habentes annexam excommunicationem. Sed Mosc. p. 9. Elem. eos refert inter excommunicationes Papales non reservatas.

Dico 3. Pro casibus ab Episcopo reservandis hæc statuit Cõgregatio Episcoporum & Regularium sub Clem. VIII. in decretis anni 1601. ubi hæc. *monentur omnes, ut paucos, eosq; tantùm*, (intellige, reservent) *quos ad Christianam disciplinam retinendam &c. necessariò reservandos esse judicaverint.* item eadem S. C. de anno 1602. hæc habet *Prohibet etiam, ne sibi superfluè reservent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neq; alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos,* vnde

vnde infero, si casus Sedi Apostolicæ reservatus, per privilegium Regularibus absolvendus concederetur. & ab Ordinario loci reservaretur, intrepidè Regulares ab eo absolvere possent. cùm inferior nequeat limitare privilegium Superioris. Subjungitur etiam, *Facultatem verò & licentiam absolvendi à casibus reservatis, quam in scriptis tantùm concedi permittebatur*, *etiam vivâ voce concedi posse declarat* V. Barb. de offic. & potest. Episcop. allegat. 50: in fine & in Collect. Bull. V. Casus reservati. Vbi etiam refert ex eadem S. C. non posse esse casum reservatum, restitutionem incertorum, nec eorum qui nocte per civitatem inhonesta cantant, nec violatores festorum.

Dico 4. Probabile est, quòd ignorans reservationem non incurrat illam, quia cùm sit pœnalis secundùm Bonac. de Sacram. d. 5. q. 5. punc. 5. & alios, non incurritur ab ignorantibus, sicut nec aliæ pœnæ. Gab. à S. Vinc. V. Casus.

Dico 5. A casu reservato absolvit, qui reservavit. Item Superior reservantis. Qualis non est Archiepiscopus respectu Episcoporum, nisi dum actualiter visitat. Absolvit etiam à reservatis, cui delegavit potestatem propriùs reservans, vel Superior proprii reservantis.

Dico 6. Qui privilegium obtinuit à Sede Apostolica ab omnibus censuris & casibus reservatis, nequit absolvere à censuris in Bulla Cœnæ contentis & à casibus ab Episcopo loci reservatis. Bonac. de Sacrament. Pœnit. q. 7. punc. 5. probat ex decreto Clem. VIII. in Bulla quæ incipit *Sacra Congregatio*, ubi sub pœna excomm. ipso facto incurrendæ, aliisq; gravissimis pœnis privationis officii &c. præcipit, ne quis extra mortis articulum prætextu cuiuscunq; privilegii absolvat à casibus in Bulla Cœnæ contentis, & ab excomm: ob percussionem Clerici, vel ob violationem immunitatis Ecclesiæ, juxta constitutionem Greg. XIII. vel ob provocationem & pugnam in duello, juxta decretum Sacri Conc. Trid. & Constitutionem Greg. VIII. vel ob simoniam realem scienter contractam. vel confidentiam beneficialem. vel violationem clausuræ Monialium ad malum finem.

Secundam partem idem Bonac. de Cens. d. 1. q. 3. pun. 1. probat authoritate Navarri, Graffij. Farinacii & aliorum tacitè relatorum. Ex ratione, quia dum Pontifex condit aliquam legem, non intendit derogare statutis & consuetudinibus particularibus locorum. C. 1. de constitutiobus in 6. allegat etiam Bullam Clementis VIII. quæ incipit, *Sacra Congregatio*, ubi decernit ne ullus prætextu cuiuscunq; privilegii absolvat à casibus reservatis Episcopo. Videnda sunt necessariò, dicenda in 3. d. 10. q. vnico. Adde in Summa Dianæ V. Absol: à Reserv. refertur Sacram Congregationem ex mandato Vrbani VIII. abrogâsse privilegia Regularium absolvendi à casibus Episcopalibus etiamsi extarent extra Italiam.

Dico 7. Facultas concessa Episcopis absolvendi suos subditos in foro conscientiæ à quibuscunq; casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, concessa inquam in Trid. Sess. 24. de reform. C. 6. revocata censetur per Bullam Cœnæ. ibi. *etiam Episcopali vel alia majori dignitate præditis* &c. *ac cuiusvis Concilij decreta*. Præterea declarationibus Summorum Pontificum, praxi curiæ Romanæ, &

declara

declaratione S. C. probat Lez. V. Bulla Cœnæ. Bonac. l. c. punc. 1. pro utraque sententia DD. refert. Summa etiam Dianæ V. absol. à reserv. oppositam Lezanæ, (exceptâ hæresi) insinuat. signum ergo declarationes relatas non esse authenticas, nec praxim curiæ Romanæ universalem, immo aliqui, facultatem concessam Episcopis absolvendi suos subditos ab hæresi occulta, negant revocari per Bullam Cœnæ. V. Summam Dian. V. absol. ab hæresi. Quid autem veniat nomine casus vel hæresis occultæ, sciri nequit, nisi sciatur quid veniat nomine casûs vel hæresis publicæ. talis autem est per Granadum, quæ scitur à majori parte communitatis, quæ constat saltem decem personis. Idem colligo ex Gab. à S. Vinc. V. Notorium. & Bonac. de rest. d. 2. q. 4. punc. 6. Sed hoc, tantùm est publicum respectu talis congregationis. V. dist. 28. de Censuris.

Dico 8. Prælati Regularium non possunt extra necessitatem, de qua d. 64. Conc. 15. suos subditos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, quicquid sit de privilegiis quondam habitis. Manifestè patet ex Bulla Cœnæ sub Vrbano VIII. ibi. *Quorumvis Ordinum etiam Mendicantium*, & declaratione S. C. 1628. 17. Nov. Quod à fortiori procedit de Confessarijs Regulariũ respectu quoruncunq; pœnitentium.

Dico 9. Prælati Regularium, etiam seclusis privilegiis possunt absolvere suos subditos à censuris, quæ jure communi sunt commissæ Episcopis, Lezana V. Clericus ex Suarez & Peirinis. Eò quòd Prælati Regularium habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos. A censuris autem quæ specialiter commissæ sunt Episcopis, ut legatis Papæ, Prælati Regulares absolvere non possunt, qualiter committitur Episcopis in Trid. absolutio ab hæresi occulta. Excipe casum difficilioris aditûs ad Papam.

Dico 10. Confessarii Regulares extra Italiam & in Vrbe virtute privilegiorum absolvere possunt à casibus Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ, etiam sequentibus. 1. à violatione clausuræ Monialium ad malum finem. 2. à violenta manu in Clericum. 3. à simonia reali scienter contracta. 4. à confidentia beneficiali. 5. à pugna in duello. 6. ab extractione rei ab Ecclesia absq; licentia Episcopi. Ita refert Lez. t. 1. qq. Reg. C. 19. n. 15. & 16. & citat declarationẽ S. C. sub Vrbano VIII. hanc conclusionem non contradicere decreto Clementis VIII.

Et dato quòd præfati Confessarii à prædictis casibus absolvere non possent, ab aliis reservatis Papæ possent, ut probat idem Doctor l. c. & loquitur de Confessarijs Reg. etiam intra Italiam.

Occasione 6ti casûs scias immunitatem Ecclesiasticam non favere. 1. hæresi, hoc est si hæreticus propter hæresim puniendus fugiat. 2. homicidio & mutilationi in Ecclesia vel cæmeterio factis. 3. homicidio proditorio. ille autem, ut recitat Bonac. circa 1. præc. proditoriè occidit, qui occidit id non prævidentem, seu qui occidit cum quo amicitiam simul- bat. seu qui dolosè seducit ut occidat. 4. Assasinio. Assasinium dicitur, cùm quis conducit ad occidendum, aut mercede conductus aliquem occidit. 5. crimini læsæ Majestatis. 6. latrocinio publico, & grassationi viarum. 7. depopulationi agrorum.

 Scias

Scias etiam, cùm casus Papales sint reservati ob annexam excomm: ideo Regulares absolvunt ab excommunicationibus Papæ reservatis in dictis casibus.

Dico 11. Licèt non possint Regulares absolvere à casibus quos sibi Episcopi reservant, non prohibentur tamen ex vi decreti Clementis VIII. absolvere à censuris Episcopis reservatis, scilicet à jure, non tamen ab homine latis, aliàs Episcopi frustra aliquem excommunicarent. Item absolvere possunt Regulares à casibus à jure Episcopis reservatis. Gab. à S. Vinc. V. Casus reservatus, quo ad omnes partes. Romæ impressus sub approbatione Magistri Palatii. Patet etiam conclusio ex ijs quæ adducit Dela Cruz de Ministro Pœn. dub. 5. conclus. 4.

Dico 12. Impeditus adire Pontificem pro obtinenda absolutione à reservato, potest adire Episcopum & impeditus adire etiam Episcopum, potest ab alio confessario absolvi: Adverte apud Gab. à S. Vinc. non fieri restrictionem ad Parochum, ita ut stante impedimento adeundi Episcopum, necessariò sit adeundus Parochus, interpretando benignè voluntatem Summi Pontificis, non intendentis suorum casuum, Parochos esse necessariò commissarios.

Sed in quo casu id quod est expressum in conclusione, licet ℞ quando v. g. timetur infamia vel scandalum ex omissione confessionis, vel communionis. Summa Dian. l. c. ex Granado.

Sciendum. Sic absolutus tenetur se præsentare Superiori vel delegato, non ut denuò absolvatur, sed ut Superiori debitus honor detur, vel si præstanda sit satisfactio parti. Per responsum ad quæsitum mitigatur sententia Mosc. & aliorum, supra d. 64. conc. 10 Quam sequendo si habens casum reservatum nequeat Superiorem vel delegatum adire, & interim periculum infamiæ vel scandali urgeat potest communicare vel celebrare non confessus, si nullius aliàs p. m. sibi conscius Opat. de Pœn. d. 16. q. 6. citans Angelum & Nau. sed factâ contritione.

Dico 13. Absolutus in articulo mortis vel stante alio impedimento, per Sacerdotem inferiorem non habentem privilegium, à casu reservato non habente annexam excomm: non tenetur comparere coram Superiore si convalescat D. Ant. Palud. Sylv. & Armilla apud Fern. de Min. Pœnit. Secus si fuit annexa excommunicatio reservata aliàs omittens ex contemptu incidit in eandem excommunicationem C. eos de sententia excomm: latam. Dixi ex contemptu, nam hoc excluso non incidit. Caiet. & Led. apud Dela-Cruz de Min. Pæn. Nota ex D. Th. apud eundem, convalescentem non teneri comparere coram Superiore ut absolvatur, sed ut Superiori innotescat, & videat quo opus.

Dico 14. Dum subditus alicuius Episcopatûs ex casu versatur in alio Episcopatu, & confitetur approbato ab Ordinario loci in quo versatur, prout potest ex consuetudine recepta, si habet peccatum reservatum in tali Episcopatu, tenetur secundùm Fern. l. c. ex Caiet. & D. Ant. adire reservantem, non autem si habeat reservata in proprio Episcopatu, ab his enim absolvi potest extra propriam diœcesim, nisi hac ratione extra iret. Sotus tamen apud eundem docet talem pœnitentem non posse absolvi à reservatis proprii Episcopatûs, posse tamen absolvi à

reserva-

reservatis alieni. Ego judico talem posse absolvi à reservatis in proprio & in alieno Episcopatu, à reservatis quidem in proprio, eò quòd peregrini & viatores non obligentur particularibus statutis dum absunt. In alieno, eò quòd ijdem non obligentur iisdem statutis locorum ubi sunt, ut patet ex ijs quæ docentur in tract. de legibus.

Dico 15. Prælati Regularium, ex decreto Clem. VIII. hos tantùm casus possunt sibi reservare. 1. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasiam à Religione, sive habitu dimisso sive detento 3. Nocturnam ac furtivam, è monasterio seu conventu egressionem, etiam non animo apostatandi factam 4 Proprietatem contra votum paupertatis, quæ sit p. m 5. juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo 6. procurationem, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto, 7. Falsificationẽ manûs aut sigilli officialium monasterii, aut conventûs 8 Furtum de rebus monasterii seu conventûs in ea quantitate, quæ sit p. m. 9. Lapsum carnis voluntarium opere consummatum 10 Occisionem, vulnerationem, seu gravem percussionem cuiuscunq; personæ. 11. Malitiosum impedimentum seu retardationem, aut apertionẽ literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Dico 16. Superiores Regularium non possunt reliqua peccata v g accessum ad Moniales &c. prohibere sub excommunicatione sibi tantùm reservata, refertur Sacra Cong. in Summ Dian V. Casus reservati. Nam Clem VIII prohibet omnium reservationem, & tale peccatum ratione censuræ reservatum, manet, vnde patet reservationem excommunicationis adinventam in fraudem supradicti decreti, & ideo oppositam sententiam nonnullorum non esse admittendam docet Diana & Lezana.

Dices. Si superior extra præfata reservaret aliquid sub excommunicatione teneretur inferior obedire, cùm teneatur se accommodare sententiæ probabili Superioris. ℞. Quando inferior habet opinionem probabilem, quod præceptum sit illicitum vel extra Superioris jurisdictionem, potest inferior non obedire. Palaus & alii. in Sum. Dia. V. Opinio. Accedit, quod sententia docens Superiores Regularium posse reliqua peccata prohibere sub censura sibi reservata, secundùm Lez. t. 1. qq Reg. C. 18. non possit in praxi sustineri, & sic sit practice improbabilis.

Dico 17. Casus in Religione reservati secundùm communem, non afficiunt Novitios, cùm hi in onerosis non censeantur Religiosi. Reservati verò ab Episcopo, non afficiunt impuberes Sicut enim hi pro tali tempore non incidunt in alias pœnas, ita nec in hanc Gab. à S. Vinc. V. Casus reserva. Scias, annos pubertatis in masculo haberi anno 14 completo, in fœmina, duodecimo. Hæc reservatio cessat mortuo Episcopo, nisi sit per statutum, vel consuetudinem, reservatio quoad Regulares, amoto Prælato, si ipse tantùm reservavit.

Dico 18. Confessarius qui incidit in casum reservatum, potest hoc modo petere facultatem. Peto facultatem, vt absolvatur vnus subditus tuus, Gab à S. Vinc. Qui etiam refert decretum Clem. VIII. quando Prælatus Regul. negat licentiam absolven-

absolvendi à reservatis, potest pœnitens absolvi directè à peccatis. pro una Vice? Quod etiam, ex nonnullis DD. judico de Episcopo negante facultatem.

Dico ultimò. Licèt Regulares extra Italiam & in Vrbe existentes possint absolvere à Papalibus extra Bullam Cœnæ, non tamen à reservatis in Religione. aliàs frustra reservarentur. Lez. V. Confessarius Regul. Quare ab his, non potest dari absolutio, nisi dependenter à dispositione Superioris, ut patet ex quodam decreto Vrbani VIII. apud Lez. t. 1. C. 19. Quòd si Religiosus veniat de uno Conventu ad alium, habens reservatum, modò hoc non faciat in fraudem, non est necessarium Superiorem adire, elicitur ex DD. supra cit.

DISTINCTIO LXVII.

Explicantur conditiones Ministri Pœnit.

Dico 1. Secundùm Caiet. & alios, Confessarius quinq; debet habere conditiones, scilicet, *potestatem*, *scientiam*, *prudentiam*, *bonitatem*, *sigillum*. potestas, alia est Ordinis, alia jurisdictionis. Potestas ordinis habetur ex Sacerdotio, jurisdictionis, ex officio pastoris, vel etiam ex commissione proprii pastoris. Et sic Parochus quàm primò instituitur, sine ulteriori approbatione habet potestatem in proprias oves. Potestas ex officio, dicitur ordinaria, ex commissione, delegata. Hæc de potestate. V. d. 65. & 66.

Dico 2. Non omnis qui judicatur idoneus ad audiendas confessiones in aliquo certo loco, eò ipso judicatur etiam idoneus pro aliis locis. Nam audiens confessiones in aliquo pago, non indiget tantâ scientiâ, quantâ ille, qui in aliqua civitate, ubi plures difficultates v. g. in contractibus &c. occurrunt.

Dico 3. Confessarius tantâ debet pollere scientiâ, ut valeat de statu pœnitentis judicare, & discernere mortalia à venialibus. 2. ut valeat cognoscere circumstantias speciem mutantes & notabiliter aggravantes. 3. Quibus annexa restitutio bonorum corporis famæ & honoris. 4. an peccatum reservatum, an habeat annexam excommunicationem &c. & sic tenetur scire casus reservatos, censuras saltem communiores, & idem de irregularitatibus. 5. quæ dispositio necessaria in pænitente. tandem quæ remedia contra peccata?

Dico 4. Non est necessarium ut Confessarius per se ipsum possit omnia determinare, sed sufficit ut in occurrentibus difficultatibus possit dubitare, & dubitando libros vel doctiores consulere, v. g. an in tali casu restitutio facienda, &c. Immo nec hic recursus semper est necessarius, v. g. dum tantùm agitur de gravitate peccati in difficili casu an scilicet sit m. vel V. sufficit enim cognoscere peccatũ esse cõmissum. Sylv. V. Confessor. alias vix aliquis esset Confessarius idoneus.

Dico 5. Confessarius non est obligatus ut de singulis peccatis ferat judicium in particulari an videlicet pœnitens fuerit excusatus, per ignorantiam vel inadvertentiam vel ob aliam causam. Sed sufficit quòd peccata audiat, & aliunde sciat, quòd peccata quæ pœnitens dicit, mortalia vel venialia sint ex genere suo, alias

alias enim valdè onerosum esset tribunal Pœnitentiæ. Secus dicendum, quando imponenda restitutio, prohibendus contractus, vel quid simile. tunc enim particularia examinanda ad ferendum judicium. Item, dum valde rudes audiuntur.

Dico 6. Non est opus, Confessarium habere distinctam singulorum peccatorum memoriam, quando imponit satisfactionem, sed sufficit recordari imperfectè status pœnitentis. quôd saltem est necessarium ne dicatur cæcè imponere satisfactionem hæc de scientia

Dico 7. Confessarius cavere debet, ne audiens aliquod grave peccatum hæreat similis attonito, vel gestu, motu, suspirio, aliovè simili modo det indicium indiscretæ displicentiæ, ne hoc modo pœnitentem terreat vel impediat, à dicendis aliis peccatis

Dico 8. Caveat Confessarius, ne audito primo peccato vel secundo, in ipso limine confessionis peccatorum gravitatem exageret, hoc enim commodiùs post omnium peccatorum confessionem fieri potest. unde permittat pœnitentem prosequi confessionem etiam crasso modo, ut sic sciat quibus peccatis involutus, & de quibus interrogandus, ubi nec omittat, quæ dubitat eum commisisse, de circumstantiis, & numero in mortalibus interrogando. Interrogando autem sit discretus, pœnitentem non nimis molestet in enumerandis circumstantiis, nisi quas viderit necessariò exprimendas.

Dico 9. Confessarius in fine confessionis pœnitenti sincerum dolorem & verum propositū inculcet. Divinam misericordiam vel justitiam juxta pœnitentis statum proponat. ut bona opera, quæ præter impositā pœnitentiam faciet (ad quæ tamen non est obligandus) vel si aliquid patietur, in pleniorem satisfactionem offerat. Tandem, si necessarium videbitur remedia opportuna contra peccata adhibeat, v. g. si pœnitens in luxuriam proclivis, carnem maceret. hæc de prudentia

Dico 10. Ad bonitatem confessarii pertinet, ut sit in gratia, alias exercendo actualiter officium Confessarii sacrilegium committeret. Sufficit tamen, si est in p. m. conteri, & non obligatur ante audiendas confessiones confiteri, etiam habitâ commoditate Confessarii. Item ad eandem bonitatem pertinet, ne sit aliquâ censurâ innodatus. Sigillum specialem distinctionem petit. Sextam conditionem ponit Mosc. scilicet fortitudinem, quam explicat 3. p. Tyroc. C. 4.

DISTINCTIO LXVIII.

De Sigillo Confessionis.

TRiplici præcepto Confessor obligatur ad servandum sigillum confessionis. naturali, Divino & humano. naturali, quia de jure naturæ est servare secretum sibi commissum. Divino. quia confessio quæ est juris divini, sine secreto esset nimis odiosa proinde moraliter impossibilis. humano denique seu Ecclesiastico, quia Ecclesia strictissimê præcipit servari confessionis sigillum & pœnis gravissimis eius violatores vult puniri, ex P. Gonet in Manuali Thomist. de Sacram Pœn.

docet tamen Mosc. in Exam: approb. tit. 7. q. 10. nullam esse censuram aut pœnam defacto, præter p. m. vnde primò est pœna depositionis ferendæ. 2. cogendus est talis Sacerdos vt perpetuò ignominiosè peregrinetur, quæ, ut refert Opat. de Pœnit. d. 13. q. 1. mutata in reclusionem perpetuam in monasterio.

Nota 2. Sacerdos violans sigillum confessionis triplex peccatum committit, primum detractionis infamando proximum. Secundum infidelitatis non servando secretum. tertium sacrilegii faciendo contra reverentiam huius sacramenti. ex Gonet. l. c

Dico 1. Confessario non licet revelare peccata mortalia etiam in communi, dicendo, iste mihi confessus est peccata mortalia. Immo nec venialia in particulari, dicendo v. g. iste confessus est mihi verbum otiosum, benè tamen in communi, dicendo. Iste confessus est mihi venialia, aut istum absolvi. Quæ, etsi non sint peccata, tamen ex eorum manifestatione potest deveniri in peccatum pœnitentis, cadunt sub sigillo confessionis. Sub quo non cadunt dona & virtutes, cùm ex tali manifestatione non reddatur confessio odiosa. nisi in aliquo casu essent necessaria ad explicationem peccati, & deveniretur in cognitionem huius.

Dico 2. Confessarius tenetur celare sub hoc sigillo, licèt sint peccata enormia contra bonum commune, etiamsi pœnitens dicat se non habere animum cessandi ab illis. nam adhuc est verè confessio Sacramentalis in ordine ad absolutionem, etsi defacto non sequatur. Secus dicendum, si confessio esset ficta. hæc enim deobligat à sigillo. Fern. de Min. Pœnit. Dela-Cruz q. 6. de Pœnit. & alii. cautè tamen procedat Confessarius.

Dico 3. Si quis impiè Confessarium interroget sub juramento, an in confessione tale vel tale peccatum audierit, potest secundùm D. Thomam jurare se illud nescire, subintelligendo tanquam homo. Si urgeat, an audierit ut Deus, etiam jurare potest, subintelligendo per modum causæ principalis. quia non jurat falsum. Amphibologia enim materialis, mendacii expers, & sic licita, nec ab Inn. XI. damnata V. Gonet in Manuali Thomistarum, de fide C. 2 § 3.

Dico 4. Frangitur sigillum confessionis, si Confessarius loquendo de loco non valde amplo, aut de aliquo monasterio, dicat, in eo gravia scelera committi, nam fieri potest, ut non levis suspicio de aliquo particulari concipiatur, & aliqui jacturam famæ patiantur. Secus, si id de aliqua ciuitate loquatur Bonac. q. 6. de Pœn. sect. 5. punc. 4. quoad vtramq; partem ex Nau. Nug. & aliis.

Dico 5. Quando ex usu notitiæ per confessionem comparatæ: nulla sequitur etiam indirecta confessionis revelatio, nec morale periculum talis revelationis, licitum est, uti tali notitiâ extra confessionem: Ita omnes referente Fern. l. c. hinc in sensu conclusionis, Confessarius potest res suas meliùs custodire: abstinere à calice in quo scit esse venenum. deflectere à via, in qua scit sibi paratam mortem ex vnius latronis confessione, monere prælatum ut vigilet super gregem suum &c. Sed in his & similibus procedat Confessarius cautè. Dixi, *extra confessionem.* Nam Confessarius potest in confessione uti scientiâ ab ipso pœnitente habitâ, in alia

alia confessione. consequenter potest Confessarius in confessione in qua pœnitens narrat peccata eiusdem rationis cum peccatis alias confessis reprehendere pœnitentem ob peccata sæpiùs perpetrata. Bonac. l. c. cum Onuphrio, Nau. Sanch. & Henriq. Ex quo ne inferas, licere ex confessione unius. interrogare de speciali, alium, hoc enim non licere, extra controversiam est.

Dico 6. Si Prælatus ex sola confessione scit alicuius indignitatem ad Officium, non potest eum privare illo Officio. ait tamen S. Th. quodl. 5. a. 13. *Si per amotionem ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur, puta si in aliquo monasterio esset consuetum quòd Abbas pro suo libitu de facili aliquos ab administratione removeret, tunc aliâ occasione acceptâ potest subditum sibi confessum ab administratione removere, & deberet hoc facere, cum debita tamen cautela, si talis administratio esset subdito periculosa inposterum. Quamvis etiam in hoc casu melius esset, quòd eum induceret ad cessionem petendam.* Sed S. Th. loquitur sub conditione de possibili. hoc est. si posset fieri remotio ab officio cum tanta cautela, ita ut omnis suspicio evitetur de confessionis revelatione, & quòd nullatenus violaretur sigillum Sacramentale. quæ quidem conditio, quàmvis speculativè & metaphysicè posset esse possibilis & vera, nihilominus practicè & moraliter est impossibilis. & conditio impossibilis habetur pro non adjecta. Ita explicat P. Hyac. Donatus, Laynensis to. 2. par. 1. tr. 4. q. 19. n. 23. Docet etiam Bonac. l. c. ex Soto, Reginaldo & aliis. posse Confessarium semotâ omni revelatione, etiam indirecta (sic enim loquimur) reddi vigilantiorem circa gregem suum, modò ab aliis usitato. quæ ultimæ particulæ benè notandæ.

Dico 7. Si pœnitens ex necessitate manifestavit in confessione peccatum complicis v. g. dicendo, peccâsse cum sorore. Confessarius tenetur peccatum complicis occultare sub sigillo confessionis. Nam tunc peccatum complicis pertinèt ad confessionem. Si autem pœnitens manifestaret peccatum complicis sine necessitate, hoc est, si manifestatio complicis non esset ullo modo necessaria ad manifestationem peccati, confessarius non teneretur tale peccatum occultare sub sigillo confessionis, sed tantùm sub secreto naturali, ait Dela-Cruz & nonnulli à P. Gobat in præsenti tacitè relati, sed oppositum docent alii, & securius.

Dico 8. Prælatus, si ab eo petatur licentia à reservatis, tenetur ad sigillum confessionis. Item laicus audiens alicuius confessionem in necessitate, sensu d. 68. conc. 1. licèt talis confessio non sit Sacramentalis. Item, qui se fingit Confessarium, aut qui casu audit peccata alicuius dum confitetur. Idem de reperiente chartam in qua peccata scripta.

Dico 9. De licentia pœnitentis potest revelari eius confessio, sed hoc fiet dum cedit in bonum pœnitentis, aliàs non congruit v. g. ad communicandum eius confessionem alii peritiori, qui tamen tenebitur ad sigillum. Potest etiam de licentia pœnitentis revelari complex à fortiori latro qui v. g. innocentem ducit in aliquo loco occidendum & declinat in Ecclesiam cum eo, ut confiteatur, potest revelari de licentia pœnitentis. Potest etiam dexteritas Confessarii adinvenire aliũ modũ de licentia pœnitẽtis liberãdi eundem.

Dico 10. Si Confessarius sciat peccatum aliunde & extra confessionem non tenetur illud celare sub sigillo, cùm jam sciat ut homo. Non tamen potest de eo loqui ut audito in confessione.

Dico 11. Dum Confessarius ex rationabili causa injungit pœnitenti publicam restitutionem famæ, non censetur revelare peccatum, cum aliunde sciatur restitutionem famæ esse necessariam. Vnde scias, doctrinam Moscic. in Exam. app. tit. 7. q. 9. Si periculum revelationis, non expedit pœnitentiam publicam injungere etiam pro publico crimine. Nec ad eam potest cogi pœnitens, & satis est, ut docet idem Doctor ex Fern. Si pro publico satisfaciat peccator occultè. Sed rarò revelatio in hoc casu timenda. cùm aliunde sciatur publicum scandalum, non nisi publicè posse tolli. & hâc ratione, excusabantur à fractione sigilli imponentes, antiquis temporibus, pœnitentias publicas secundùm Canones, quæ publicis & nō privatis delictis imponi poterant. Docet tamen Samuel de Lub. V. Pœn. sub censura S. M. Ecclesiæ Canones pœn. nunquā in cōfessione Sacramētali fuisse servatos.

DISTINCTIO LXIX.

De Subiecto Sacramenti Pœnitentiæ.

DIco 1. Complex peccati confessarii est capax absolutionis ab eodem Confessario. Quare, licèt non conveniat ut Sacerdos audiat confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, tùm propter periculum, tum quia minor verecundia, si tamen absolveret absoluta esset. Quod autem Aug. de vera & falsa pœnit. C. 20. dicit, *Nullus officio Sacerdotis uti debet, nisi immunis ab illis sit, quæ in alijs judicat*, intelligendum est secundùm congruitatem, non secundùm necessitatem Sacramenti. Ita S. Th. in 4. d. 19. q. 1. a. 3. q. 2. ad 2.

Dico 2. Confessarius sciens malum statum pœnitentis, quem ipse pœnitens ignorat invincibiliter, si habeat spem emendationis, & possit absq; scandalo & gravi suo damno pœnitentem à malo statu vindicare, tenetur eum monere. Quia status ille secundùm se est malus, & sicut fieri potest tollendus.

Dixi, *si habeat spem emendationis*, aliàs enim non tenetur. quia talis monitio obesset, & non prodesset. nam jam peccaret pœnitens non materialiter solùm, sed formaliter.

Item dixi, *dum potest absq; gravi scandalo*. Quia scandalum, si sit activum, potiùs vitandum, quam status materialis peccati. hæc quoad casus particulares relinquuntur judicio prudentis.

Quid dicendum de eo, quem Confessarius scit certò peccâsse, & ille tacet vide d. 58. conc. 5. examinando particulam libera.

Dico 3. Si pœnitens proposuit bis vel ter in aliis confessionibus restituere & non restituit non est absolvendus, quia Confessarius nequit judicare talem habere efficax propositum. Fern. in præsenti ex D. Ant. Caiet. Sylv. Nau. & Corduba.

Dico 4. Quando pœnitens tenetur deserere occasionem proximam peccandi, quam-

di, quamvis poſſit Confeſſarius ſemel aut bis illum abſolvere, antequam defacto deſerat, eò quòd ſperet emendationem, rarò tamen id facere debet, quia experientia docet pœnitentem ſemel abſolutum rarò occaſionem relinquere, immo potiùs novis modis ſe implicare. Ita ſuadetur in Sum. Dia. ex communi ſententia V. Confeſſarius quo ad examen. Circa concubinarium tamen Confeſſarius tenetur eſſe magis rigoroſus, quare nec pro prima vice abſolvendus. Moſc p. 5. Element. ad S. Confeſſ: numerat caſus in quibus neganda aut differenda abſolutio.

Dices. Pœnitentem habere ius ad abſolutionem, etiamſi millies concubinam expellere promiſerit, dum extraordinaria ſigna contritionis, & propoſitum oſtendit, ac proinde Confeſſarius ei abſolutionem negare non poteſt. ℞. Dato id procedere de Confeſſario ut judice, non tamen ut Medico, qui tenetur adhibere remedia ad cavenda peccata futura, qualis eſt dilatio abſolutionis. quamvis enim contritionis ſigna & propoſitum cognoſcat, ſemper tamen juſtè timere debet, remanſuram occaſionem ſi abſolutionem concedat. Sum. Dia. l. c. ex Palao.

Dico 5. Confeſſarii non debent ſe admodum difficiles gerere in abſolvendis recidivis, quales ſunt, qui in blaſphemias, in juramenta falſa, &c. frequenter incidunt. Matt. enim 8 interroganti Petro dictum fuit. Non ſepties, ſed ſeptuageſies ſepties ignoſcendum eſſe fratri peccanti. Nihilominus non eſt abſolvendus pœnitens recidivans (tanquam non dans nec oſtendens ſufficiens ſignum de cætero non peccandi) ſi nulla emendatio, aut eius inchoatio in eo, poſt tot confeſſiones appareret, nulla contra paſſiones reſiſtentia, ſed ſemper ſuarum cupiditatum expletio deprehenderetur. Moſcic. in Exam tit. 6. q 14. V. dicta l. 1. d, 12. conc. 8.

Ad huius evidentiam ſcias. Quamvis pœnitens non teneatur explicare conſuetudinem, ut docet Bonac. de Pœnit. q. 5. Sec. 2 punc. 2. cum aliis, niſi hæc oriatur ex occaſione proxima, quàm vitare tenetur. poteſt nihilominus Confeſſarius ad cognoſcendum propoſitum pœnitentis, de conſuetudine interrogare, & tenetur reſpondere, ut decrevit Innoc XI. damnando propoſitionem 58. Cùm conſuetudo peccandi arguat infirmum propoſitum.

Dicò 6. Pœnitenti recidivanti proponenda ſunt remedia. E quibus alia juvant ne reincidat, alia, poſtquam reincidit, ne ſæpiùs relabatur, primi generis poſſunt eſſe hæc 1. Oratio aliqua brevis v. g. *Deus in adjutorium meum intende*, vel *cor mundum crea in me Deus*, vel *fiat Domine cor meum immaculatum*. 2. applicatio mentis ad aliquid, quod pœnitentem removere poſſit à peccato, ut conſideratio mortis, inferni, gloriæ cœleſtis, &c. juxta propenſionem pœnitentis. aliqui enim magis moventur pœnis, quàm beneficiis. aſpectus alicuius imaginis v. g. Crucifixi &c. Demum admotio alicuius rei, quæ dolorem inferat carni v. g. candelæ ad digitum &c.

Secundi generis poſſunt eſſe hæc 1. recitatio pſalmi miſerere flexis, vel etiam nudis genibus. 2. deoſculatio terræ, quinquies vel pluries. 3. Ieiunium ſequenti die, vel aquæ potus in ſequenti menſa. 4. flagellum vel geſtatio cilicii

ſequenti horâ vel veſpere. 5. eleëmoſyna aliqua. Deniq; ut ſaltem poſt tertiam vicem redeat ad confeſſionem, ut ſcilicet ratio delicti poſtulabit. Hæc remedia omnia vel ſaltem aliqua proponenda pœnitenti, ut ipſe aſſumat aliquod tanquam neceſſarium. tenetur enim ad aliquod ex prædictis aſſumendum. Non tamen imponenda ſunt cum obligatione, niſi habito priùs ſuaviter conſenſu pœnitentis, alias potiùs obeſſe poſſent, quàm prodeſſe.

Nonnulla ex his proponi poſſunt ad eradicandas variorum regnorum in blaſphemando vel maledicendo conſuetudines, vel etiam ſuadeat Confeſſarius talibus & ſimilibus conſuetudinariis ad impetrandam à Deo gratiam, ſaltem ter, dum v. g. ſurgunt, & pro tota die intentionem formant, invocationem Nominis IESU & MARIÆ. Notitia talium remediorum pertinet ad prudentiam Confeſſarii.

DISTINCTIO LXX.

De Clavibus Eccleſiæ.

DIco 1. Clavis Eccleſiæ non alius eſt, quàm *poteſtas ligandi & ſolvendi quâ judex Eccleſiaſticus dignos recipere, & indignos excludere debet à regno Cœlorum* S. Th. q. 17. Supp. a. 2.

Dico 2. Clavis ratione tantùm differt à charactere Sacerdotali S. Th. l. c. ad 1. Nam eadem qualitas prout refertur ad corpus Chriſti verum conſecrandum, dicitur character ſeu poteſtas conſecrandi, & prout refertur ad ligandum vel ſolvendum fideles dicitur clavis. Quare Chriſtus D. in ultima Cœna contulit Apoſtolis characterem cum clavibus, quantùm ad ſubſtantiam, ſed uſum clavium dedit eis Ioan. 20. dicendo. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis &c.* Sicut modo datur Sacerdotibus clavis, quantùm ad ſubſtantiam cum charactere, in illis verbis, *accipe poteſtatem offerendi Sacrificium &c.* & poſtea, quando in fine Miſſæ diſplicatur caſula, & dicitur ijs jam ordinatis, *accipe Spiritum S. &c.* explicatur magis poteſtas jam data.

Dico 3. Duæ ſunt claves in Eccleſia, *una ſcientiæ*, quæ non conſiſtit in habitu ſcientiæ, *ſed in authoritate judicandi de dignitate aut indignitate pœnitentis.* Secunda *poteſtatis*, quæ conſiſtit *in authoritate pronuntiandi vel non, ſententiam abſolutionis*. ex S. Th. a. 3.

Dico 4. Poteſtas juriſdictionis pro foro externo ad ferendas cenſuras, & pro foro interno ad abſolvendum in foro Pœnitentiæ, non ſunt propriè claves. Hanc Dela Cruz in præſenti dicit eſſe comm. Nam ſecundum D. Thomã clavis eſt idem cum charactere, prædictæ autem poteſtates non ſunt idem cum charactere. Nam prima committi poteſt ſæculari baptizato, ſecunda autem licet ſupponat characterem, non tamen confertur cum eo, ſed poſtea datur ab Ordinario ſine nova conſecratione. Vocat quidem eam S. Th q. 25. Supp. a. 2. ad 1. clavem, ſed largè, vnde dicenda conditio applicans, & conſtituens materiam in quam exerceatur virtus clavis.

DISTIN-

DISTINCTIO LXXI.

De effectibus Pœnitentiæ, vbi etiam de reditu peccatorum per ingratitudinem.

EX Thomistis P. Labat tres tantùm numerat effectus Pœnitentiæ. 1. Gratia remissiva mortalium, quo reducitur reatus pœnæ æternæ remanente tamen reatu alicuius pœnæ temporalis, non tamen semper, si sit fortiter fervida contritio pœnitentis. 2. remissio venialium 3. recuperatio virtutum & meritorum mortificatorum. Bonac. addit irrevocabilitatem peccatorum & obligationem sigilli. Sed has Labat revocaret, ad remissionem peccatorum.

Quæritur, cum peccata per pœnitentiam verè remittantur, & non tantùm tegantur ut volunt Hæretici, quomodo dicuntur per sequens peccatum redire? ℞. Hoc sensu per ingratitudinem dicuntur redire, inquantum sequens peccatum majus est cæteris paribus, quàm si aliquod nunquam fuisset remissum. Arm. V. ingratitudo. hæc autem ingratitudo, nisi sit notabilis, non est de necessitate explicanda in confessione. idem l. c. ex S. Th. Quatuor autem sunt propter quæ specialiter dicuntur peccata redire, scilicet odium fraternum, apostasia à fide, contemptus confessionis, & dolor de pœnitentia habita, & continentur sequentibus.

Frater odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

DISTINCTIO LXXII.

De Indulgentijs.

NOta 1. Indulgentia est *remissio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ, extra Sacramentum facta, ex thesauri Ecclesiastici dispensatione.* Nomine thesauri veniunt merita Christi Domini. Item intercessiones & satisfactiones Sanctorum, immo ut docet Opat. d. 2. de Ind q. 2. etiam eorum justorum, qui postea exciderunt à gratia, & in statu peccati sunt mortui. Hæ satisfactiones debent superare peccata, quales fuerunt Iob. de quibus ipse. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui in statera, & calamitas quam patior, quasi arena maris hæc gravior appareret* tantùm autem feci mentionem meritorum Christi Dñi. nam actiones Sanctorum quatenus meritoriæ non ingrediuntur thesaurum, Ecclesiæ ut docet P. M. Labat in fine trac. de pœnit. cùm ut tales, etiam ultra condignum, præmientur à Deo. Circa ly *extra Sacramenum facta* V. Opat. l. c. q. 1.

Nota 2. Indulgentia à suffragio distinguitur. Suffragium enim fit pro alio authoritate privatâ, vel applicando ei suam satisfactionem, vel impetrando ut satisfaciat. Indulgentia verò fit authoritate publicâ, etiam, quando per modum solutionis applicatur mortuis. Sicut cùm ex ærario publico solvitur aliquod debitum, fit authoritate publicâ. ubi sciendum. Indulgentiam factam mortuis non esse judiciariam, & sic non esse absolutionem, cùm mortui sint extra jurisdictio-

nem Papæ. Sed tantùm esse solutionem & ad instar suffragii. Vide Opat. l. c. q. 3.

Distinguitur etiam Indulgentia, intellige plenaria, à Iubilæo, sed accidentaliter, inquantum Iubilæum superaddit potestatem à reservatis & commutandi vota, licèt non omnia, &c. plena verò, plenior & plenissima distinctione tantùm nominis gaudent. Opat. d 4 q 3 ex M. Cano. Victoria & Soto. unde plenior & plenissima, exagerationem tantùm denotat.

Dico 1. Indulgentiam concedere possunt, Papa, Cardinales, Episcopi & Legati Pontificis. Papa quidem jure divino plenarias, perpetuas & per totum orbem. Reliqui, authoritate Papæ, 40 dierum (præter Cardinales, qui concedere possunt 100 dierum) temporaneas (præter legatum, qui concedere potest perpetuas) & unus quisq; ex his in sua diœcesi, & provincia. Sum. Dia. V. Indulg. Concedit tamen Episcopus in consecratione Ecclesiæ unum annum pro illo die tantùm, & nō anniversario. Pro quo 40. dies tantùm conceduntur.

Dico 2. Capitulum sede vacante, Prælati inferiores Episcopo, etiam Episcopali jurisdictione gaudentes indulgentias concedere non possunt quia id nullo jure, vel saltem consensu Pontificis tacito probari nequit. Concilium generale absq; speciali concessione Papæ non potest dare plenarias nisi sede vacante ut aliqui apud Bonac. in præsenti punc. 3. docent Et sic Prælati Regularium, etsi possint applicare sacrificia, & satisfactiones subditorum cui velint antequam fiant, vel dum fiunt, sed non possunt illa jam facta extrahere à Thesauro Ecclesiæ & alteri applicare, sicut nec illud potest qui ea obtulit. Dela Cruz & Samuel de Lub. in præsenti & patet ex conciliis. Nec audiendus Vivaldus in Candelabro de Indulgentiis, qui num. 6. tenet. quòd omnes Parochi, atq; etiam simplices Sacerdotes, modò sint ab Ordinario approbati, possint ministrando Sacram. Pœnitentiæ concedere indulgentias solum enim ut ait citatum Academiæ Crac. lumen Opatovius d 3. possunt minuere sacramentales pœnitentias injunctas vel injungēdas, pijs exhortationibus, augendo in illis dolorem & contritionem. Immo, ut refert citatus Doctor, totum illud Cap. ex Cand. jussu Clementis VIII. expunctum est.

Dico 3. Episcopus non potest largiri indulgentias defunctis, patet ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ est optima interpres legum, nunquam enim leguntur Episcopi defunctis largiti fuisse indulgentias. Opat. l. c. ex D. Bonav & Nau.

Dico 4. Quatuor requiruntur ut indulgentia valeat. 1. Causa rationabilis. 2. Authoritas dantis. 3. ut recipiens sit in statu gratiæ. 4. opus aliquod particulare per quod applicatur singulis indulgentia.

Ad conclusionis evidentiam scias, licèt causa indulgentiarum non debeat esse adæquata effectui, hoc est remissioni pœnarum, aliàs non esset indulgentia sed commutatio, debet tamen esse proportionata. Unde, sicut indulgentiæ sine causa concessæ non sunt validæ, ita concessa magna sine magna causa non valet Opat. d. 5. q. 3 ex B. Alb M. Adriano, Augustino de Ancona, Caiet. Soto &c. & probat ex Bullis Sum Pontific

Et sic non sufficit causa tantùm pia, qualis esset, si Papa omnibus decedentibus

bus in gratia daret indulgentiam plenariam, sic enim nullus ingrederetur purgatorium. Labat in fine trac: de Pœn. Causa sufficiens judicatur à Fernandez in præf: §. 6. allegando Henriq. affectus misericordiæ erga animas ut liberentur à pœnis purgatorij. Nec contrariatur sententiæ P. Labat S. Th. dum in 4. d. 20. q. 4. a. 3. dicit, quantitatem effectus indulgentiæ non commensurari quantitati seu gravitati causæ. Nam S. D. solùm negat causam indulgentiæ debere esse adæquatam effectui indulgentiæ, & non negat debere esse proportionatam.

Dices tamen, sæpè indulgentiæ plenariæ conceduntur ex levi causa, licèt videatur esse proportio v. g. dum Papa celebrans in die Paschæ, & benedicit populo, concedit indulgentiam plenariam astantibus ad fores Ecclesiæ S. Petri. ℟. ex Opat. indulgentiam plenariam non dari ex causa levi. Et quamvis adstare ad fores Ecclesiæ, videatur opus in se consideratum esse leve, consideratis tamen circumstantiis est causa gravis & justa. Quia magnitudo causæ non tam ex opere, quam ex fine consideranda. Vnde assistentia populi ad fores Ecclesiæ S. Petri, in quantum est medium ad protestandam fidem, quam habet erga Vicarium Christi, est causa proportionata ad obtinendam indulgentiam plenariam. Sed quid, quando Pontifex putat causam sufficientem & non est? ℟. ratam haberi à Christo D: & sic obtineretur indulgentia: Nam secundùm axioma Theologorum. *Clave non errante semper subsequitur solutio, seu apertio cæli*, quando autem prudenter fit dispositio, clavis non errat, & sic consequitur effectum. Scias etiam ad intelligentiam tertii requisiti, ut quis lucretur indulgentiam, sufficit vltimum opus esse in gratia. Opatov. d. 6 q. 2. cum Soto.

Dico 5. Quando conceditur indulgentia mille annorum, non debet intelligi, quòd per indulgentiam relaxetur, pœna mille annis debita in purgatorio, sed pœna mille annis debita in hac vita; licèt enim tam diu non vivamus, talem tamen pœnam ob multitudinem peccatorum mortalium facilè incurrimus, cùm juxta canones pœnit. peccato m publico debeatur pœna 7. annorum, communiter, & graviori, plurium.

Q. V. aliquæ animæ an detineantur in purgatorio ad diem judicij?

RESpondet Florus Magister. Ord. S. Benedicti, in expositione Missæ *Vel vsq; ad diem judicij longâ examinatione à vitiorum sorte mundantur, vel certe priùs amicorum fidelium precibus &c. pœnis absoluti, & ipsi ad Beatorum perveniunt requiem.*

Dico 6. Si es in gratia, potes applicare tuam satisfactionem aliis in gratia existentibus, etiam defunctis. Non tamen indulgentiam, nisi tibi à Papa concedatur Cùm dispensatio Thesauri Ecclesiæ ad Papam pertineat, S. Th. in Supp. q. 27. a. 3 ad 2.

Dico 7 Ad lucrandam indulgentiam sufficit ponere opus præscriptum, sicut sufficit in præceptis Vnde qui inscriptus Confraternitati recitat Rosarium, ignorans quod habeat annexam indulgentiam, adhuc eam lucratur Gab. à S. Vinc.

cum Diana, Portello, Sanctarello, Layman, Salas & Villalobos. Quia in formulis indulgentiarum præscribitur opus absq; ulla intentionis determinatione. Securiùs tamen habere intentionem saltem virtualem, ut cùm manè in communi operum directione quis habet intentionem lucrandi omnes indulgentias cuilibet operi annexas.

Dico 8. Per indulgentiam liberatur homo ab onere implendi pœnitentiam impositam à Confessario: ut si Confessarius imposuit jejunium 40. dierum, liberatur per indulgentiam 40. dierum. Si jejunium annuum singulis sextis feriis per indulgentiam 52. dierum Sum. Dia. referens comm: securiùs, si Confessarius commutet. Ex quo patet, posse Confessarium imponere parvam pœnitentiam pœnitenti dicenti preces habentes annexam indulgentiam.

Dico 9. Indulgentia concessa huic in individuo v. g. Rosario, non amittitur quando cordula frangitur, vel vetus renovatur. Quia cordæ variatio non mutat moraliter Rosarium. Medalia etiam non amittit indulgentiam si pars superior frangatur, & aliud foramen fiat, quia adhuc deservit ad usum priorem. Crux tamen amittit indulgentiam, quando crucis formam perdit. Gab. à S. Vinc. V. indulg. quoad omnes partes. Quòd si partes crucis resolverentur, & colligarentur, crux adhuc pro indulgentia serviret.

Dico 10. Is qui semel Indulgentiam plenariam obtinuit, si post obtentam in peccatum labatur, potest eodem die etiam decies faciendo facienda ea lucrari, sed non per eadem opera. hoc enim reprobatur in Decreto S. Congregationis indulgentijs & sacris reliquiis præpositæ 1678.

Dico 11. Dato casu quod fiat revocatio Romæ indulgentiarum, non statim extinguuntur donec sufficienter innotescat. Opat. l. c. d. 7. q. 4. cum comm. Vnde infert, si quis bonâ fide ignoraret de revocatione, & vigore indulgentiarum à reservatis absolveretur absolutio esset valida.

Dico 12. Quamvis lucrans per modum absolutionis & sententiæ indulgentiam, debeat esse baptizatus, cum debeat esse Ecclesiæ subditus, secus, qui lucratur per modum suffragii, & sic catechumenus eam lucratur, sicut & mortui è Labat in præsenti.

Dico 13. Vt quis lucretur indulgentiam pro defunctis, non est necesse ut sit in gratia. Quia in tali casu præscribitur opus ut conditio, quâ positâ ab Ecclesia applicantur Christi & SS. satisfactiones animabus purgatorii S. Th. opus 63. C. 2. Scias Indulgentias defunctis applicatas, non habere effectum omnino infallibilem, quia judex non tenetur acceptare pœnæ commutationem, nisi se suâ promissione adstrinxerit. Vnde fidelium usus est, replicare indulgentias plenarias pro eodem defuncto. Gabriel à S. Vinc. V. Indulg. V. Samuel à Lub. ibid. n. 15.

QVÆSITVM.

Quid nomine Carenæ, Septenæ & Quadragenæ veniat? Hæ enim in concessione indulgentiarum aliquando exprimuntur.

Re

Respōdetur, Carena significat pœnitentiam quadraginta dierum in pane & aqua cum aliqua alia pœnitentia septem v. g. annorum. Dicitur autem Carena, vel per syncopen quasi quarentena, vel potiùs à carendo cibis. Vnde quando in indulgentia conceditur una Carena, remittitur tanta pœna in purgatorio quanta ex vi illius pœnitentiæ remitti poterat. Septena significat pœnitentiam septem annorum, v. g jeiunium omnibus sextis feriis intra septem annos, vel quid simile. Quadragena significat tempus pœnitentiæ, quadragesimæ per simile quadraginta dierum numerum concludit. Opat. l, c q. 4. quoad omnes partes.

DISTINCTIO LXXIII.

De Iubilæo.

NOta. *Iubilæus seu Iubilæum est indulgentia plenaria, cum aliјs gratiјs in Brevi expressis authoritate Apostolicâ concessa his qui conditiones adimpleverint.* Dum datur statuto tempore, finis est, honoratio Apostolorum Petri & Pauli, per visitationem Basilicarum eorum. 2. reverentia Sedis Apostolicæ. 3. ut fideles in fide confirmentur, & charitate accendantur visitando martyrum sepulchra. Dum datur initio Pontificatûs, finis est impetratio divini auxilii pro tanto munere. Quando datur tempore cuiuscunq; necessitatis Ecclesiæ, finis est imploratio misericordiæ, & hi fines sunt ultimi, ut finis ultimus hic habet locum, nam finis proximus est remotio totius pœnæ temporalis. Conditiones ad consequendum Iubilæum regulariter sex numerantur. Scilicet processio. vel Ecclesiæ visitatio. 2. oratio. 3. jeiunium. 4 eleëmosyna. 5. confessio. 6. communio.

Dico 1. Opera ad consequendum jubilæum præscripta, possunt præstari intra duas hebdomadas. Naldus V. Indulg. affirmans Sacram. Pœnitentiariam Romanam ita declarasse. Sed jeiunia complenda intra eandem hebdomadam. Quia scopus Pontificis est, ut caro jeiuniis maceretur, ad quem magis faciunt jeiunia vnita, immo hæc implenda diebus præscriptis.

Dico 2. Opera præscipta possunt impleri in duobus locis, modò in vtroque sit jubilæum. Et qui in sua patria lucrari negligit, alibi lucrari potest. sed Diana p. 5. tr. 12. resol. 53. secutus Layman, confessionem communionem, jeiunium & eleëmosynam loco jubilæi non alligat.

Dico 3. Opera præscripta possunt impleri per opera aliàs debita, & sic sufficit dare eleemosynã extremè egenti. Et quandoq; solet jubilæum publicari tempore paschali. docet tamen Moscicensis in Exam. approb tit. 13. q. 6. communionem tunc sumendam à Paracho, vel ab alio de huius licentia.

Dico 4. Si indeterminatè præscribatur Ecclesiarum visitatio, oratio & eleëmosyna, sufficit hæc semel præstare, idq; etiam die Dominico, ante vel post communionem. Si Episcopus deputaret plures Ecclesias in civitate, quàm Papa in Vrbe, tunc sufficit quod Papa deputavit. quia Episcopus nequit onerare privilegium Papæ. Si verò Episcopus deputaret pauciores, aut unam, hæc sufficeret. Summa Dianæ,

Dianæ. Et sufficit visitare Ecclesiam de foris, si præ multitudine non detur ingressus. Nam nomine Ecclesiæ venit cæmeterium. cùm in favorabilibus verba latè explicanda. Sufficit etiam, si in jubilæo dicatur, ut aliquot altaria in certis Ecclesijs visitentur, ad illa, se, orando, convertere ex eodem loco. Samuel de Lub. p. 1. V. jubil.

Dico 5. Si quis daret nummos famulo pro elèèmosyna facienda & famulus non præberet, vel vltra tempus præscriptum differret, *lucraretur* Iubilæum. Si quis etiam elèèmosynam certò die præscriptam per inadvertentiam ad Sabathum differret & tunc majorem daret lucraretur Iubilæum, ex tacita intentione Papæ. Quæ ratio applicanda primæ parti conclusionis. Elèèmosyna danda est pro arbitrio & non emensuranda Mosc. l. c. & alii.

Dico 6. Probabile est omittentem confessionem, eò quòd non habeat mortalia, consequi Iubilæum. Quia vel tantùm requiritur ut conditio, vel si requiritur ut opus *injunctum*, intelligitur, si adsint mortalia. Quando in Brevi dicitur ut infra hebdomadam confiteamur, & die Dominicâ communicemus, confiteri possumus die Dominicâ. quia hoc consilium censetur, & idem, si vtrumque præstemus infra, hebdomadam.

Dico 7. Pueris non valentibus secundùm ætatem communicare, cōmutanda communio in aliud opus, & idem de eo, qui ultimâ die Iubilæi inadvertenter bibit.

Dico 8. Confessarius Claustralium perpetuò ibi degentium, incarceratorum captivorum, infirmorum non valentium requisita, implere, committitur, ut possint omnia & singula, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, Quoad itinerantes autem, commutatio Confessariis non committitur, sed ordinatur ut peracto itinere requisita exequantur.

Dico 9. Confessarius non solùm commutare potest opera omissa ex legitima causa, sed etiam omissa ex malitia. Et sic, si quis ultimo die dolens, quod conditiones non impleverit, petat sibi in alia opera commutari, vel tempus prorogari, potest Confessarius id præstare. In tali casu docet Mosc. Samuel de Lub. & alii, dandam absolutionem à censuris, tollendam reservationem & commutanda vota intra tempus jubilæi, tollendam inquam reservationem, non dandam absolutionem, quia hic casus non est tantæ necessitatis, ut liceat dimidiare Sacramentalem absolutionem. Potest etiam Confessarius tempus prorogare, si pœnitens judicatur mansurus in proxima occasione.

Dico 10. Si in Iubilæo sermo est de Confessario approbato ab Ordinario & non additur, Loci, Regulares ad lucrandum Iubilæum confiteri possunt approbato tantùm à proprio Prælato. quia hic est eorum Ordinarius. Secus, dum sermo est de approbato ab Ordinario Loci. Lezana. Aliqui tamen dicunt etiam in hoc casu Regulares confiteri posse approbato tantùm, à proprio Prælato. Quia prædicta verba accipienda cum expositione accommoda, ut si agatur de sæcularibus necessariò eligendus approbatus ab Episcopo. Hæc etiam procedunt de Monialibus Regularibus subjectis. Moniales enim tempore Iubilæi etiam gaudent privilegio

eligen-

eligendi Confessarium. Nec contra S. Congregationem oppositum declarasse.

Dico 11. Quando in jubilæo expresse conceditur facultas absolvendi ab omnibus reservatis Papæ, censetur etiam concedi tam à casibus quàm censuris Episcopo reservatis. Zanardus p. 1. C. 21. q. 34. Non enim credibile Summum Pontificem in tam extraordinario privilegio velle excipere casus & censuras Episcopales. Nec per hoc contradico decreto Clem. VIII. insinuato d. 66. conc. 6. Sed an censeatur concedi facultas absolvendi ab hæresi? V. d. 64. conc. 14.

Dico 12. Si quis tempore ad lucrandum jubilæum electo aliquoties inciderit in casum reservatum, toties poterit absolvi, durante tali tempore. Nec ad hoc exigitur idem Confessarius, sed potest fieri recursus ad diversos.

Dico 13. Qui tempore jubilæi obtinuit absolutionem reservatorum & commutationem votorum animo lucrandi jubilæum, quod postea suâ culpâ non lucratur, non propterea reincidit in reservata & vota Mosc. l. c. quia non fuit absolutus ad reincidentiam, id enim nec habetur in diplomate, nec Confessarius absolvere potest sub conditione de futuro, id est, si lucraberis jubilæum, quia absolutio debet esse absoluta, talis tamen peccat graviter ut probat Mosc. Adde, si talis obliviscatur in confessione reservatorum, tollitur reservatio, & potest post jubilæum absolvi per Confessarium, quàmvis non privilegiatum. V. d. 62. conc. 5.

Dico 14. Non opportet omnia opera jubilæi fieri in gratia, sed sufficit esse in gratia in vltimo instanti in quo indulgentia applicatur. Immo, si quis indulgentiam propter obicem non lucratur, probabile est obtenturum deinde recedente obice.

Dico 15. Absolutio à Censura virtute jubilæi data si parti satisfactum, valet etiam in foro externo quàmvis recipiens absolutionem sit denuntiatus. nisi tales excipiantur. ut probat Dela-Cruz l. 2. de statu Relig. C. 7. dub. 1. aliàs tantùm in foro Pœnit: si parti non satisfactum.

Dico 16. Nomine censuræ virtute Iubilæi absolubilis venit irregularitas ex delicto proveniens. quia est censura, ex Cornejo 3. p. tr. 5. d. 2. diff: 2. V. quæ docentur de Censuris.

Dico 17. Qui vna hebdomadâ lucratus est jubilæum, iam secundâ nequit hoc lucrari. probat Opat. d. 8. de indul. tum authoritate D. Thomæ, tum ratione. idem docet Mosc. l. c. cum multis aliis. Oppositum docet Henriq. Benzonius, Molfesius & alii, & ad declarationem Clem. VI. & S. Congregationis respondent.

Dico 18. Non suspenduntur per annum sanctum indulgentiæ pro animabus purgatorii, secundùm Dianam & Mart: Carillo. Nec quæ conceduntur vivis ut applicentur mortuis, nec in articulo mortis, secundùm citatos in Summa Dianæ. Nec concessæ Ecclesiis Vrbis Romæ, secundùm Rodriquez & alios. Commutationem votorum, vide in tractatu super decalogum. Vide etiam, si placet. Moscic. l. c. q. 9. 10. & 11.

DISTINCTIO LXXIV.

Proponitur interrogatorium pro confessionibus longioris temporis.

COnfessarius ad initium interroget. 1. tempus vltimæ confessionis. 2. an impleverit pœnitentiam? 3. an peccata præcogitaverit? 4. statum, an conjugatus, an solutus, an mercator? &c. tandem circa 10 Præcepta. Circa primum interroget de peccatis fidei, charitati & religioni oppositis.

1. V. in aliquo articulo fidei dubitaverit? vel V. oppositum senserit, & id signo externo expresserit? aliàs enim non incurrit excommunicationem, nec casum reservatum. Nota. Qui cum pertinacia dubitat, ita ut non sit paratus corrigi, est hæreticus, ut colligitur ex C. de Summa Trin. ubi censetur hæreticus dubitans animam rationalem esse corporis formam. Qui autem dubitat & est paratus corrigi, licèt dubitet ex ignorantia crassa, & peccet mort. non tamen censetur hæreticus, ut docet M. Cano & Bannez apud Sousam.

Interroget V. sciat communiora mysteria fidei? tenetur autem quilibet Christianus credere Deum esse, & remuneratorem esse. Mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis & Redemptionis. Incarnationem Verbi Divini in vtero B. V M. factam. Beatam MARIAM esse Virginem, esse Matrem DEI. Tria ex septem Sacramentis. scilicet, Baptismum Eucharistiam. & Pœnitentiam. reliqua tunc quando recipit. Præcepta Decalogi. Præcepta communia Ecclesiæ, maximè confessionis & communionis annuæ. Immortalitatem animæ. Peccatum Originale. necessitatem gratiæ. Suadeat pœnitenti, ut Symbolum Apostolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, & Ave MARIA memoriâ teneat, sed sufficit, quoad Orationem Dominicam scire eius summam, scilicet omnia à Deo esse petenda. sufficit etiam quoad Symbolum, Sacramenta, Decalogum & Ecclesiæ præcepta, quòd interrogatus de contentis, sciat respondere. V. 1 d. 2.

2. V. desperaverit. de bonitate Dei præsumpserit, dicendo, Deus bonus, dabit vitam æternam, licèt in hoc statu (intellige malo) perseverabo. dicendo, peccabo, parcet Deus. bonus enim est.

3 V. Deum odio habuerit? ob legem datam, vel pœnam inferni impositam, &c. V. inimicitiam erga proximum foverit? inimico signa amicitiæ omnibus communia, negaverit? injuriam non remiserit, nec pacem petierit? V. Eleëmosynam in extrema vel gravi necessitate constituto dederit? Proximum fraternè correxerit? supposità spe emendationis & opportunitate temporis.

4. V. Aliqnando oraverit? præcipuè in gravi tentatione, tempore necessitatis publicæ v. g. belli &c. Sacrilegium commiserit? in locis, rebus sacris, v. g. imagines conculcando, reliquias spernendo &c. in personis sacris, eas lædendo. blasphemaverit, & quomodo? V. locum vanis observantiis dederit? committitur autem vana observantia, dum adhibentur aliqua nec ex se nec à Deo ordinata ad determinatum effectum. Quòd si hæc sint ad nocendum, committitur maleficium.

Includitur etiam in similibus superstitionibus saltem implicitum cum dæmone pactum, cùm assumantur res, nec à Deo, nec à natura ordinatæ.

Præcipuè sequentes circa vanas observantias examinentur. 1. Pastores, qui varia observant, ut gregem ab incommodis tueantur. 2. Fabri ferrarii, qui circa equos sanandos, utuntur mediis ad id non ordinatis. Quo revocatur consuetudo quâ jumentis vena aperitur die alicui Sancto dedicato. Mosc. in Exam. approb. tit. 14. q. 4. 3. Rustici, qui ad sananda pecora vanis observantiis utuntur. vel ad vetulas id practicantes recurrunt. 4. obstetrices, quæ circa parturientes vanas. v. g. adhibent orationes. 5. Milites, sacra nomina vel orationes deferentes, ad certitudinem, quòd in bello non fiat vulnerandi &c. dixi, *ad certitudinem*. nam si solùm habeatur respectus ad Deum, à quo humiliter effectus speratur, non est superstitio.

Magi & sagæ examinentur, cur explicitum cum dæmone pactum inierint? 2. de apostasia, idololatria & hæresi. solent enim abnegare Christum, &c. cum certo contemptu externo, qui explicetur. renunciant Sacramentis. habent dæmonem pro Deo vel Sancto, nec damnatum putant, & sic nec sequaces damnandos. 3. de blasphemiis in Deum & Sanctos. 4 de Sacrilegiis, abutuntur enim rebus sacris, v. g. aquâ benedictâ, Eucharistiâ &c. 5. de commixtione cum dæmone. 6. de damnis illatis. tandem de variis superstitionibus.

Circa secundum, de peccatis juramento & voto oppositis.

1. V. mendaciter juraverit? videat Confessarius an talia juramenta sint ex prava consuetudine. si sic, procedat secundùm dicta d. 69. conc. 5. & 6. V. juraverit facere quod malum, vel non facere quod bonum? juraverit, sine causa, licèt in re vera? Nota. juramenta cum mendacio, licèt in re parva, esse mortalia. quia etiam in re levi falsa, Deum adducere ut testem, grandis irreverentia est, juramenta autem in re vera sed sine necessitate, tantùm sunt venialia. immo & contra justitiam in re levi, v. g. juro, furabor grossum. 2. V. tardus fuerit in voto implendo? fregerit? videat Confessarius, an possit dispensare, vel saltem cōmutare.

Circa tertium. V. missam die festo audierit? tempore missæ per notabile tempus garriverit? de quo maximè pueri & aulici examinandi. die festo opus servile exercuerit, vel alii in hoc causa fuerit? Nota aliquos docere, laborantem per duas horas non peccare mortaliter. V. certis diebus à cibis vetitis abstinuerit? in quadragesima & vigiliis jejunaverit? semel in anno confessus? in Paschate communicaverit? decimas dederit?

Circa quartum. V. filii parentibus obedientes fuerint? in necessitatibus succurrerint? reverentiam præstiterint? mortem v. g. optando, non maledixerint? non percusserint? eodem modo interrogandi discipuli respectu magistrorum, & famuli respectu dominorum.

Parentes filiis V. bonam educationem dederint? præcipuè quoad salutem animæ, malè vivere non permiserint? malum exemplum non dederint? Eodem modo interrogentur magistri respectu discipulorum, & domini respectu famulorum,

lorum, & subditorum V. Mosc. loco citando. de pecc. Dominorum. V. Vxor in spectantibus ad gubernationem domûs, Viro obediens fuerit? ex bonis mariti aliquid notabile contra eius voluntatem, ad dispensandum secundùm suum arbitrium, acceperit? Quia nec eleëmosynam dare potest ex bonis mariti, nisi res parvi momenti, & nisi in Spem verisimilem ratihabitionis illius Mosc. p. 8. Element. art. 22. de pecc. conjugatorum. Quòd si maritus esset prodigus, licitè posset vxor accipere aliqua, ut in necessitate domui provideat. nec teneretur marito præcipienti tradere quæ habet. Similiter si maritus esset adeo tenax, ut in necessariis vxoris & domûs secundùm conditionem eius deesset, posset vxor idem facere. V. blasphemiarum vel maledictionum causa fuerit.

Maritus V. vxorem injuriis affecerit? percusserit? occasio blasphemiarum vel maledictionum causa fuerit.

Circa quintum. V. non occiderit? vulneraverit? torserit? mater infantem in lecto oppresserit? abortûs causa fuerit? pro sterilitate aliquid fecerit? vel ad supradicta, hæc vel alius cooperatus, vno ex novem modis, supra septimum præceptum recensendis. Causa peccati, scandalizando, fuerit? ad peccatum induxerit? grave malum sibi aut aliis. v. g. morbum, mortem, dæmonem &c. ex animo optaverit? Nota ex Arm. V. maledictio. maledicere creaturæ irrationali relatæ ad aliquod malum quemadmodum Iob maledixit diei suæ, non est peccatum nisi ex impatientia fiat. V. de morte v. g. Patris, fratris, ob hæreditatem, gavisus? de aliorum prosperitate doluerit? graves minas, cum intentione nocendi, verba graviter injuriosa, protulerit?

Circa sextum. De verbis inhonestis, cantilenis turpibus. Nota, verba inhonesta si ex scurrilitate tantùm proferantur, non sunt mortalia, nisi sint excessivè turpia, secus si sit complacentia. Item de aspectibus, osculis, tactibus libidinosis, explicando circumstantiam solutæ, maritatæ &c. V. cognoverit fœminam? & hæc an soluta, virgo, maritata, consanguinea, sacra fuerit? pollutionem procuraverit & de quali tunc cogitaverit? Nota ex nonnullis contra Toletum, pollutionem in somno incœptam non tenetur in vigilia sub p. m. reprimere, modò absit periculum consensûs. Supposito quòd amore turpi alicuius fœminæ exarserit, eamque concupierit, quæratur, quàm diu in hoc pravo affectu duraverit V. pervenerit ad verba turpia, literas amatorias, tactus &c. V. ornatu, musicâ & aliis vsus animo provocandi ad peccatum? V. de peccato carnis, vel de aliqua turpitudine se jactaverit? de quo interrogandi, petulantem conversationem ducentes. Conjugatus, V. petierit debitum cum periculo abortûs. vel cum periculo effundendi semen extra vas? V. fuerint oscula &c. cum simili periculo? V, semen effusum, ne proles sequatur? Nota circa primum. incurri excommunicationem, si fœtus sit animatus & abortus prævisus.

Circa septimum. V. grave damnum intulerit? furatus in notabili quantitate? jussus in præcedenti confessione, restituerit? circa quem vide dist. 69. conc 3. In emptione, venditione, circa rem, pretium, pondus, mensuram, numerum, defraudave-

fraudaverit? rem alienam, quam saltem putavit esse talem emerit? vsuras acceperit? eò quòd pecuniam vel aliam rem, v. g. frumentũ mutuò dederit. 2. quòd emptionem anticipaverit. 3. quòd solutionem expectaverit. V. in ludo defraudaverit? Rustici V. in sylvis & pascuis nocuerint? interroga etiã de cooperatione circa prædicta. hæc autem fit novem sequentibus modis, per hos versus expressis.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans

id est præcipiendo, consilium dando, consentiendo & ratum habendo, sive ante sive post factum, laudando factum, vel ut fiat, defendendo & præbendo recursum ad se. habendo partem v. g. dando auxilium. non præmonendo, non defendendo, non manifestando malefactorem.

Circa octavum. V. cum gravi damno proximi mentitus? in re gravi detraxerit? & exprimendum. V. mentiendo, vel verum occultum manifestando. Nam si verum publicum de aliquo etiam in re gravi dicitur, non peccatur. V. aliorum dicta animo infamandi retulerit? Nam si retulerit aliorum dicta non animo infamandi, nec asseverando pro veris, interea præter intentionem secuta infamia, non est obligatio ad restitutionem, nisi posset sine gravi incommodo. Interea suadendum pœnitentibus, ut à tali modo referendi aliorum dicta abstineant. cùm facilè evenire possit læsio famæ, maximè quando refertur dictum alicuius viri gravis, tali enim dicto facilè creditur. V. audiendo cooperatus fuerit infamatori? quod fit, quando complacemus de dictis infamatoris. Si infamator per talẽ complacentiam excitatur ad infamandum, tunc & audiens obligatur ad restitutionem famæ. V. secretum revelaverit? contumelias in re gravi protulerit? differt contumelia à detractione. quòd hæc fiat in absentia, illa in præsentia. V. temerè judicaverit? inimicitias per susurrationem seminaverit?

Circa nonum. V. aliquid eorum, quæ sexto præcepto prohibentur, concupierit? v. g. V. cogitationibus venereis consensum præbuerit? & an hæ fuerint cum affectu ad peccandum, an verò tantum fuerit delectatio de objecto turpi? nam si non est affectus ad peccandum, sed tantùm delectatio circa objectum, dicitur cogitatio morosa, secundùm omnes p. m. secundùm aliquos tamen non tenemur personæ qualitatem explicare an scilicet fuerit soluta vel maritata, sicut tenemur si sit cogitatio cum affectu ad opus.

Circa decimum. V. aliquid eorum quæ 7mo. præcepto prohibentur. concupierit? Si fusius exigis interrogatorium, V. Mosc. p. 8. Element. ad sacras Confess: ubi de peccatis contra virtutes Theologicas contra Decalogum, contra præcepta Ecclesiæ. de 7. pecc. capitalibus. de pecc. per 5. sensus corporis. de peccatis contra Spiritum S. de pecc. in cœlum clamantibus, de pecc. contra opera misericordiæ, de pecc. contra 7. Sacramenta. de peccatis alienis, de peccatis diversorum statuum.

Vnum quantum ad nostrum intentum attentis nonnullis regionibus, haud omittas, scilicet de ebrietate. ubi nota, quando videtur quòd domus giret, ebrietas talis,

tas talis, adhuc non est p. m. sed grave veniale. Arm. ex S. Thomâ & Caiet. quia ad ebrietatem, quæ fit p. m. requiritur rationis obumbratio seu alienatio mentis.

DISTINCTIO LXXV.

Expenditur prædictum interrogatorium.

1. PRædictum interrogatorium servit pro pœnitentibus qui per longum tempus non confessi. Qui fecerunt confessiones invalidas. pro audiendis hæreticis vel schismaticis noviter conversis. Supposito quòd hi expeditè non confiteantur, ut faciunt rudes, pro quibus etiam hoc servit, licet non sint ex prædictis. Servit etiam, dum aliquis confitetur peccatum, quomodo circa alia tali peccato annexa interrogandus v. g. peccavit luxuriâ, interrogandus de annexis huic peccato, de quibus supra.

2. Pro confessionibus brevioribus eligat prudens Confessarius communiora v. g. circa superstitiones, juramenta. missarum auditionem, labores die festo. Circa contentiones, v. g. inter vxorem & maritum, inimicitias. Verba graviter injuriosa. Circa imprecationes gravis mali sibi vel aliis. v. g. mortis, dæmonis, fulminis, morbi caduci &c. ex corde. Circa verba turpia, cantilenas, aspectus libidinosos, oscula, tactus, cogitationes cum consensu, pollutiones. Circa nocumenta. præcipuè interroget rusticos de nocumentis in pascuis & sylvis. Circa detractiones, susurrationes, ebrietatem. alia addendo vel dicta omittedo, attentâ personarum qualitate. v. g. Circa maledictiones, quæ fiunt contra exactores & exactionum fabros, tempore hostili. Circa murmura contra Deum, tempore calamitoso &c.

3. Permittendum est pœnitenti ut dicat peccata etiam crasso modo, deinde Confessarius interroget. quæ omissa creduntur. Ita suadet Caiet. si Confessarius metuit oblivionem circa interrogationem necessariam, tunc suavi modo interrũpatur confessio, ne pœnitens turbatus alicuius obliviscatur. Si pœnitens scripta habeat peccata statim interrogari potest, dum in explicanda circumstantia deficit.

4. Pœnitens primò interrogandus in genere, deinde in specie, v. g. an peccaverit luxuriâ, priusquam interrogetur an cum maritata. Si in genere culpam non agnoscit, in specie non molestetur. Ita suadet Armilla.

5. Veniens cum peccato carnis aliquoties commisso interrogandus an maneat in eadem domo cum complice. si sic, & judicatur occasio proxima, differatur absolutio, secundùm dicta d. 69. conc. 4. Si judicatur, non esse occasionem proximam, eò quòd una vel altera vice factum, & aliàs firmiter proponit, pro prima vice absolvatur, pro secunda vice, secundùm N. Salazar, differatur absolutio, nisi inter reincidentiam notabilem interveniat tempus.

6. Dum venit, qui propter reticentiam, fecit confessiones invalidas, consequenter eas repetere tenetur, si non sit paratus ad repetendas, datâ suavi monitione, dicendum ei, ut præparatâ, conscientiâ, revertatur, Difficilè enim ut de præte-

præteritis, tam citò recolligatur. Item difficilè, præteritas confeſſiones per examen à Confeſſario ſuppleri. Aliunde etiam ſcitur, non niſi in magna neceſſitate confeſſionem dimidiandam. Inter alia inſtruendus Pœnitens, quoties peccatum reticuit. item quoties ſic communicavit tot ſacrilegia commiſit.

7. Dum ſimpliciores audiuntur, qui reticuerunt in præcedentibus p. m. nō tam facilè dimittendi ut alii. Quia cum illi eadem fere peccata confiteantur prætèritæ confeſſiones poſſunt per diligens examen Confeſſarii ſuppleri. Si tamen ſic Confeſſarius judicat. aliàs eſſet procedendum ut ſupra. Sicut etiam ſi à longo tempore fuit reticentia peccati, quàmvis in homine ſimpliciori.

8. Dum pœnitens eſt difficilis in explicando numero, doceatur in peccatis mortalibus neceſſariò ſecundùm poſſe exprimendum numerum. aliàs Confeſſio non eſſet integra, & inter duo mala minus eligendo Confeſſarius tenetur ſub p. m. potius pœnitentem ſine abſolutione dimittere, quàm non dicto ſecundùm poſſe numero in peccatis mortalibus, abſolvere. Dixi in peccatis mortalibus, in venialibus enim vel mortalibus jam benè confeſſis non neceſſariò numerus explicatur, Confeſſarius tamen hunc defectum poteſt ſupplere per examen. v. g. interrogando V. qualibet ſeptimanâ & quoties, vel V. quolibet menſe & quoties? Dum ſic procedit Confeſſarius, inquirat tempus præteritæ confeſſionis, ut ſic percipiat ſtatum pœnitentis. Hæc doctrina procedit de eo, qui non habet notabilem conſuetudinem peccandi, ut eſt ille, qui ferè quotidie excedit. Nam habentem notabilem conſuetudinem, ſufficit interrogare de tempore.

9. Quando adhibitis variis interrogationibus Confeſſarius nihil elicit è rudi pœnitente, interroget de aliquo ſaltem veniali ex præcedenti confeſſione. Si nec hoc prodeſt, remittendus, ut ſe recolligat, & neceſſitatem examinis ante confeſſionem advertat.

10. Confeſſarius omittens interrogationem neceſſariam, ſed ex inadvertentia, non peccat m. an verò teneatur pœnitentem admonere, affirmat Fern. Secluſo ſcandalo. Nugnus & Reginaldus apud Dia. p. 2. t. 15. reſ. 7. putat tunc Confeſſarium ad hoc obligari, quando ex tali defectu confeſſio invalida, vel agitur de damno tertii, vel pœnitentis. Secus, ſi confeſſio fuit valida. Scias, debere præſupponi licentiam pœnitentis, loquendi de rebus in confeſſione auditis.

11. Perſona rudis reticens mortale in confeſſione, nec putans ſe per hoc peccâſſe, non cogatur ad repetendam confeſſionem. Ita colligo ex Dela-Cruz. de Pœn. q. 3. d. 4 & ſecurum puto.

12. In interrogatione ſimplicium addenda particula. *aliquando.* Nam nonnulli ex ſimplicioribus licet ſemel vel bis in materia mortaliter mala peccaverint, id parum advertunt. Confundunt etiam ſimpliciores unum cum alio, unde clarè interrogentur.

DISTINCTIO LXXVI.

De Quidditate. Institutione. Necessitate. Materia. Sacramenti Extremæ vnctionis ?

NOta. Congruè hoc Sacramentum dicitur extrema vnctio, quia vltimò eâ vngitur homo. primò enim ungitur in baptismo. 2. in confirmatione. 3. in Sacerdotali ordinatione. tandem in extrema unctione.

Dico 1. Extrema vnctio, *est vnctio hominis infirmi, à Sacerdote in determinatis partibus corporis facta, oleo per Episcopum consecrato, sub præscripta verborum forma, ad salutem animæ ac etiam corporis si expedit, divinitus ordinata.* Hoc Sacramentum Christus D. instituit, & D. Iacobus promulgavit. Probabile est esse institutum, vna cum Sacramento Pœnitentiæ, cùm sit huius consummativum, Gonet in Manuali Thom. §. 1. de Extrema Vnct. Et sic quando Christus D. Marci 6. misit Apostolos oleo vngere infirmos, ipsum potius insinuavit. Nam Apostoli nondum Sacerdotes hanc vnctionem etiam non baptizatis conferebant. De necessitate huius idem ac de necessitate confirmationis.

Dico 2. Materia remota extremæ vnctionis est oleum olivarum simplex ab Episcopo benedictum. Non tamen est necessarium necessitate Sacramenti esse benedictum ab Episcopo, sufficit enim ex commissione huius benedici à Sacerdote, ut probat Gonet l. c. §. 2. Si Parochus seclusâ necessitate, oleo præcedentis anni vtatur à gravi peccato non excusatur. Possevinus & alii. Non benedictum posse in necessitate misceri benedicto, sed in minori quantitate, docet Samuel de Lub. Dela Cruz & alii.

Dico 3. Materia proxima huius Sacramenti est vnctio. Quia cum in vsu consistat, actionem habet pro materia. Hanc vnctionem fieri per modum crucis, non est necessarium Sylv. & alii, convenit tamen.

Dico 4. Forma huius Sacramenti est hæc. *Per istam sanctam vnctionem & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum in nomine Patris &c.* hæc, *in nomine Patris &c,* non sunt de essentia formæ. cùm hoc Sacramentum non sit Sacramentum fidei. Eadem forma in omnibus vnctionibus repetitur, mutato partium vngendarum nomine. Nec per tot vnctiones & formas, hoc Sacramentum cessat esse vnum. Quia hæ partiales vnctiones & formæ, ordinantur ad vnum finem & effectum, nempe ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex sensibus oriuntur & animam deprimunt.

DISTINCTIO LXXVII.

De Ministro Extremæ vnctionis.

DIco 1. Solus Sacerdos est Minister huius Sacramenti. Patet ex illo Iacobi 5. *inducat Presbyteros.* Et sic Diaconus etiam de licentia Papæ nequit illud ministrare. Imminente mortis articulo, si non adsit proprius Sacerdos, potest vngere omnis Sacerdos, sicut etiam in tali casu communicare, sub spe ratihabitionis, scilicet,

ſcilicet, credendo proprium Sacerdotem, hoc ratum habere, eiq; placere, conſequenter Regularis in dicto caſu miniſtrans extremam vnctionem non incurrit excõmunicationem. Immo, ſi infirmus ſine omni Sacramento deberet decedere, obligaretur hanc ſub p. m. miniſtrare. Vivaldus de Extr. vnct. & alii. Quicunque autem curam animarum gerunt, abſolutè obligantur ſub p. m. miniſtrare vnctionem petentibus. Opat. de Ext: vnct: q. 7. Gab. à S. Vinc. V. Ext. vnc. & alii. Docetur etiam & rationabiliter, licere excommunicato denuntiato, quamvis tempore interdicti, vngere infirmum non confeſſum, in mortis articulo, & abſente alio, qui vngat. ſed hic caſus rarus, & procedit de infirmo amittente uſum rationis, nec petente Confeſſarium. cum Sacerdos excommunicatus denuntiatus, concurrentibus attactis, poſſit abſolutionem impendere.

Dico 2. Stante neceſſitate poteſt hoc Sacramentum à pluribus miniſtrari; ita ut unus unam, alius aliam partem ungat, modò quilibet independenter ab alio vngat. Immo vnâ vel altera parte vnctâ, Sacerdoteq; v. g. mortuo, alius cæteras vnctiones proſequatur, factas non repetendo, ne ſacrilegus judicetur.

Dico 3. Poſſunt Regulares hoc Sacramentum miniſtrare. 1 ſuis familiaribus, hoſpitibus, iter agentibus, peregrinis qui in eorum monaſteriis ſunt infirmi. cùm non deceat vocare Parochum, ut in loco exempto, ſuam exerceat juriſdictionem. 2. Architectis & cuiuſvis artis miniſtris, qui in monaſterio operã dant, licèt ſint illius Vrbis cives, illiuſvè loci incolæ, habeantq; in eo domicilium. Vnde ſi contingat, aliquem corripi morbo periculoſo & repentino, in monaſterio, ut de facto vidi obſervari in uno (ait Gab. à S. Vinc. l. c. ex quo hæc tota concluſio ſumitur) qui ex alto loco cecidit. & animam ferè agebat, licet eſſet tempus vocandi Curatum parum diſtantem, Religioſi illius Conventûs illi miniſtrabant Sacramentum hoc. Non enim convenit quòd Curatus miniſtret hoc Sacramentum actumq; juriſdictionis exerceat in loco exempto, qui cenſetur ratione exemptionis eſſe extra territorium, & diœceſim, & multò magis extra Parochiam.

Dico 4. Poſſunt etiam Regulares hanc Sacram vnctionem miniſtrare, illis qui ſe ibi receperunt, ut Eccleſiæ gauderent immunitate. Præterea omnibus illis quibus contigit intra monaſterii ſepta repentino caſu hoc indigere Sacramento propter rationem jam dictam. Hoc idem extendunt aliqui ad Regularium grangias, ut ſcilicet poſſint Regulares laicis ibi manentibus hoc Sacramentum miniſtrare. quia nomine Conventûs in favorabilibus, veniunt grangiæ, cùm ſint quædam partes conventûs. quædam quaſi eremitoria. Gab. à S. Vinc. l. c. quoad omnes partes. Romæ 1668. impreſſus.

DISTINCTIO LXXVIII.

De Subiecto, effectu & ritu huius ſacræ vnctionis.

DIco 1. Homo fidelis lethaliter infirmus eſt capax huius vnctionis. *Infirmatur quis ex vobis &c.* Iac. 5. non tamen expectandum extremum periculum, Mi-

niſtretur ergo hæc ſacra vnctio infirmis, de quorum vita timetur Præ ſenio deficientibus. amentibus, lucida intervalla habentibus. devotionem ad hoc Sacramentum tempore lucidi intervalli oſtendentibus. Infirmis in phreneſim lapſis, ſi dum erant ſanæ mentis, illud petierunt, nec Sacramenti irreverentia timeatur. Immo ſecundùm Samuelem de Lub. & Armillam licèt antea non petiiſſent. modò ſint perſonæ, bonæ vitæ, ſecus ſi vita ſit notoriè mala Adultis baptizatis & mox in articulo mortis conſtitutis, cùm in talibus poſt baptiſmum mentis debilitas, & contra dæmonem pugna remaneat. cæcis à nativitate, ſurdis &c. mutilatis in partibus vicinis. Quia licèt exteriùs per hæc non peccaverint, peccare tamen potuerunt per potentias interiores illis correſpõdentes Gab à S Vinc. & alii. ex S. Th. in 4. d. 23. q. 2. a. 3. q. 3. in Corp. Ex vulnere morituris. Samuel & alii.

Dico 2. Hoc Sacramentum negari debet ſanis. conflictum, mare procelloſum ingredientibus, ad mortem damnatis, mulieribus in partu exiſtentibus, niſi ex morbo in periculo mortis verſentur. amentibus à nativitate, pueris rationis uſu carentibus, peccatoribus, obſtinatis, mortuis, de quibus ſi dubitetur, detur ſub conditione.

Dico 3. Neceſſariò vngendi ſunt quinq; ſenſus, tanquam quinq; peccandi radices. Nonnullæ particulares Eccleſiæ, etiam pedes propter greſſum & renes propter concupiſcibilis ardorem vngunt. Sed renum vnctio in mulieribus pudoris gratiâ omittitur. Obſerves, Sacerdotes non in palma, ubi chriſmate vncti, ſed in exteriori manûs parte, vel infra palmam vngi debere, licèt abſolutè nihil referat in palmis vngi, ut docet Palud. in 4. d. 23. q. 3. a. 3. an vero inter partes vngendas neceſſario ſervandus ordo, negandum eſt, ſed quòd utrumq; organum ſenſûs ex præcepto ſit vngendum, tenet Bonac. in præſenti punc. 5. ex Naldo. ubi viget conſuetudo.

Dico 4. Tempore neceſſitatis ſufficit unam ſingulorum ſenſuum vngere partem, & vnam formam continentem plures partiales proferre, v. g. *per iſtam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam Indulgeat tibi Deus, quicquid peccaſti per viſum, auditum, guſtum, adoratum & tactum* Quidam putant, ſufficere vnum ſenſum magis obvium, vel potius caput, quòd in eo ſenſus maximè vigeant, vngere dicendo, *per iſtam &c. quicquid deliquiſti per viſum* v. g. *vel per quinq; ſenſus tuos* Sed ſecuriùs in caſu neceſſitatis, unum oculum, aurem, manum, narem, & os velociter ſine forma crucis ungere, & unam formam, de qua à principio concluſionis. dicere. Adde ſi periculũ infectionis, licet uti inſtrumento decenti.

Dico 5. In una infirmitate, in qua infirmus nonniſi ſemel appropinquat morti, non debet hæc ſacra unctio iterari. Sed ſi poſt unctionem in periculo mortis. à quo infirmus liberatur, elapſo aliquo tempore, arbitrio prudentis viri, in aliud periculum incidat, etſi plenè non convaluerit, poteſt iterum ungi.

Dico 6. Sacramenti extremæ unctionis tres præſertim numerantur effectus. 1. eſt gratia tollens reliquias peccatorum, quæ ſunt debilitas ad bonum, ad reſiſtendum diaboli tentationibus, ad ſuſtinenda mala, proclivitas ad malum,

& hic effectus est primarius. 2. est remissio peccatorum. 3. est sanitas corporis, quando expedit. Præter hos sunt & alii, scilicet, diminutio pœnæ pro peccatis debitæ, & sic velox ad cælum transitus, decedentis protestatio, quòd in fide moriatur. Spiritualis animæ hilaritas, devotionis excitatio, robur contra dæmonis insidias, tandem diabolicæ potestatis arctatio. Sed spiritualis hilaritas & sequentes ad primum initio conclusionis positum reducuntur.

Q. V. sicut in aliis Sacramentis tria distinguuntur, scilicet, res tantùm, Sacramentum tantùm, res & Sacramentum simul. ita & in hoc? ℞. quòd sic. Vnde in hoc Sacramento res tantùm est gratia, Sacramentum tantùm est extrema unctio, seu potius compositum ex unctionibus & verbis, res & Sacramentum simul est spiritualis animæ hilaritas. nam hæc & significatur per signum externum, & significat ulteriorem animæ sanctitatem, v. g. robur contra debilitatem ad bonum, & proclivitatem ad malum, quæ ex peccatis præcedentibus & præsentia morbi causantur. Gonet in Man. de Extr. vnct. § 5.

Dico vltimò, Hoc Sacramentum est Conferendum post susceptam Eucharistiam. omisso hoc ordine non est peccatum sicut & non adhibere ministrum dum Sacerdos hoc ministrat, non est peccatum. Bonac. de Extr. vnct. punc. 6. cum Barthol: ab Angelo. nisi aliter sit receptum per decreta Episcopi. Omittere tamen omnes orationes ab Ecclesia præscriptas, est mortale Naldus in præsenti & alii. quod non procedit, non recitando septem psalmos pœnitentiales. ut docet Bonac. l. c. cum Naldo & aliis. supplendæ orationes si ob casum necessitatis omissæ, & vnctus supervivat. Candelæ ob reverentiam Sacramenti adhibendæ, si secluso periculo irreverentiæ & scandali non adhibeantur, non est mortale, singulæ vnctiones novâ stuppâ detergantur, quæ deinde comburenda. an verò tanta sit necessitas præcepti, uti ministrum sacrà veste dum infirmum vngit, ita ut eâ deficiente omittenda vnctio? affirmat Bonac. cum aliis l. c. Quoad hos ritus consulatur proprium Rituale, consuetudo & Episcoporum leges.

DISTINCTIO LXXIX.

De Quidditate, institutione, necessitate, materia & Forma Sacramenti Ordinis.

NOta. Congruè hoc Sacramentum dicitur Ordo, quia per illud in certo Ecclesiasticæ dignitatis gradu debitè disponimur & collocamur.

Dico 1. Ordo est *Signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur Ordinato.* Magister in 4. d. 24. & S. Th. in Supp. q. 65. a. 2. Institutus à Christo Dño in ultima cœna. Trid. S. 21. c. 1. dicente *hoc facite in meam commemorationem*, secundùm comm. sent. Oparov. de Sac. Ord. d. 1. q. 1. & licet tunc præcipuè institutum Sacerdotium, tamen & alii Ordines instituti, utpote eminenter in Sacerdotio contenti & ad hoc ordinati. Est autem ordo principaliter institutus ad communem Ecclesiæ utilitatem, & ad aliorum salutem, in quos spi-

ritualis potestas exercenda. Est necessarius simpliciter, sed toti Ecclesiæ, & non cuilibet in particulari.

Dico 2 Sicut in aliis Sacramentis tria distingui solent, scilicet, Sacramentum tantùm, res Sacramenti tantùm, res & Sacramentum simul, ita & in hoc. Sacramentum tantùm est res externa & sensibilis cæremonia, quæ in collatione ordinis adhibetur. res tantùm, est gratia sanctificans. res & Sacramentum, est character, qui per rem externã significatur & simul gratiam sanctificantem significat.

Dico 3. Materia remota Ordinis est res quæ Ordinando traditur Proxima est talis rei traditio. Forma sunt verba ab Episcopo modo imperativo prolata, cùm facultatis, quæ confertur, expressione.

Dico 4. Contactus materiæ est de necessitate Sacramenti Ordinis. aliàs nõ tangens non reciperet Ordinem. Quia in forma exhibitionis materiæ est verbum *accipe*. Nonnulli negant talem contactum esse de necessitate Sacramenti. Contactus & verba ab Episcopo prolata debent esse simul saltem simultate morali, scilicet, tangendo paulò ante vel post Episcopi verba. Docent aliqui apud Opat. l. c. q. 4. probabile esse, qui tangit calicem, etiam patenam superpositam censetur tangere. Vnde & qui unâ manu tangit calicem, alterâ patenam, sed non hostiam, vel hostiam & non patenam, verè ordinatur.

DISTINCTIO LXXX.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

Dico 1. Solus Episcopus est ordinarius Sacramenti Ordinis Minister. Quàmvis excommunicetur validè ordinat. cum adhuc characterem Sacerdotalem per Episcopalem ordinationem extensum retineat. Ex commissione Papæ simplex Sacerdos Minores verè confert. Idem habent Abbates Sacerdotes, & benedicti, respectu Regularium sibi subditorum. non verò respectu sæcularium subditorum, quibus nec dimissorias concedere valent, sacro Concilio Trid. Sess. 23. C. 10. vtrumq; determinante. An vero Abbati possit à Summo Pontifice committi facultas conferendi majores? controvertunt Theologi, Labat. & Gonet. de Diaconatu & Sacerdotio negant.

Dico 2. Non omnis Episcopus licitè ordinat, sed propriùs, qui est vel originis, vel domicilii, vel beneficii. Episcopus originis ille est, in cuius diœcesi ordinandus natus est, & ubi parentes domicilio potiuntur, non verò ubi fortuitò natus. Episcopus domicilii dicitur Episcopus loci, in quo ordinandus habitat, vel incipit habitare, cum animo ibi semper manendi. vel in quo indicat, se domicilium constituere, ut si emit domum. si eò majorem partem bonorum transtulit. Episcopus beneficii, est Episcopus loci in quo ordinandus beneficium habet, præsertim residentiale.

Dico 3. Episcopus licitè ordinat subditum alteriùs diœcesis, si veniat cùm dimissoriis, quarum concessio ad Episcopum spectat ex Trid. Sess. 23. C. 10. Quas tamen

tamen Capitulum sede vacante in duobus casibus ex Trid. Sess. 7. C. 10. concedit: scilicet, quando Episcopatus per annum vacat, & cùm quis ita arctatur, ut si tunc ad Ordines non promoveatur, de amissione beneficii recepti vel recipiendi agatur.

Dico 4. Licitè etiam ordinat Episcopus suum familiarem alterius diœcesis subditum, qui per triennium secum est commoratus, modò illi statim beneficium conferat. Trid. Sess. 13. C. 9. Hoc non procedit de titulari, utpote diœcesim in qua Ordinandus domicilium acquirat, non habente.

DISTINCTIO LXXXI.

De Subiecto Sacramenti Ordinis.

DIco 1. In Ordinando hæ requiruntur conditiones 1. ut sit masculus. 2. ut sit baptizatus. 3. Confirmatus, Suscipiens tamen vel ministrans Ordinem non præmissâ confirmatione venialiter tantùm peccat secundùm Soto, & alios. 4. Initiatus primâ tonsurâ, valet tamen ordinatio ante tonsuram. Immo Presbyteratus ante alios Ordines collatus valet, Episcopatus tamen ante Sacerdotium, nullus. Aliàs hæc conditio vocatur Gradatio.

5. Vt sit legitima ætas. sed quo ad valorem, verè ordinatur infans ratione carens. S. Th. in Supp. q. 39. a. 2. Nec, adepto usu rationis, tenetur ad castitatem cùm votum sit deliberata promissio. Aliter de Episcopatu sentiendum, hic enim ante usum rationis collatus, nullus. S. Th. l. c.

Quæ legitima ætas quo ad suscipiendos licitè ordines? R. pro tribus Minoribus septem completi. pro Acolythatu, duodecim completi. pro Subdiaconatu 22 pro Diaconatu, 23. pro Sacerdotio, 25. inchoati, pro Episcopatu, 30. completus. In defectu ætatis quo ad Sacros Ordines solus Papa dispensat. Adverte, si vltimus dies ætatis sit inchoatus potest quis ordinari, quia in favorabilibus dies inchoatus habetur pro completo. *l. quâ ætate ff. de testam.*

6 Intentio, vel propria, ut in adultis, vel Ecclesiæ, in usu rationis carentibus. præter hanc recipiendi Sacramentum debet esse intentio valedicendi mundo.

7. Morum probitas testimonialibus à Parocho & Scholæ Magistro comprobata. Trid. Sess. 23. C. 5. vel à simili, ut in Regularibus, si expedit Scias, ad solos Minores, literas testimoniales, etiam à Scholæ Magistro exigit Trid.

8. Dimissoriæ, si alibi ordinatur, etiam pro prima tonsurâ Quas Regularibus concedit proprius Prælatus ex privilegio PP. Benedictinis Vallisoletanis à Clemen. VIII concesso.

9. Vitæ bonitas, hoc est, esse in gratia.

10 Scientia. Prima tonsura non detur, nisi scienti rudimenta fidei, & nisi legere & scribere scienti. Item nisi intendat mundo renuntiare. Trid. l. c. C. 4. minores non dentur, qui saltem linguam latinam non intelligit. Trid. C. 11 addit, *nemo ijs initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat.* In Subdiaconos & Diaconos non ordinentur qui literis & ijs quæ ad Ordinem exer-

cendum pertinent, non ſunt inſtructi. Trid. C. 13. addit. *Sciant, maximè decere, ſi ſaltem diebus Dominicis & ſolemnibus, cùm altari miniſtraverint, ſacram Communionem perceperint.* Per litteras intellige, Divinas, quas v. g. Cathechiſmus Romanus ex Decreto Tridentini, juſſu Pij V. à PP. Prædicatoribus editus, & ſimiles libri continent. Sacerdotium denegetur non habenti ſcientiam, quâ populus neceſſaria ad ſalutem doceatur, eique Sacramẽta adminiſtrentur. Trid. C. 4. Mortaliter peccat, qui indigno ordines confert. quia infideliter dona Dei diſpenſat, Eccleſiæ detrimentum facit, honorique Divino. S. Th. in ſupp. q. 36. a. 4. Hæc conditio ab aliis, vocatur Examen.

11 Temporum interſtitia ſerventur. Vnde minoribus initiatus per annum expectet Subdiaconatum. & eadem interſtitia ſerventur inter alios Ordines. Hæc non ſunt Mathematicè computanda. ſed moraliter & juxta Eccleſiæ ritum, v. g. ab vno paſchate ad aliud, licèt inter primum & ſecundum paſcha non ſint omnino expleti duodecim menſes. Epiſcopus cum ſuis ſubditis & Regularibus juſta de cauſa diſpenſat in interſtitiis. Idem valet Vicarius Capituli ſede vacante ex declaratione Card. apud Farinacium decis. 234. Poſſunt tamen Regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare in interſtitiis, ex privilegio Greg. XIII. conceſſo Societati, quod Dela-Cruz L. 2. c. 9. d. 1 de ſtatu Relig. & Suarez relatus in Summa Dia. V. Ordo, & alii extendunt ad omnes Religiones communicantes. Quod ſi recipiantur Ordines non ſervatis interſtitiis, nec obtentâ licentia, ſeu diſpenſatione quoad hoc nulla cenſura, nec irregularitas incurritur, quia non eſt in jure deſcripta. Opat. d. 3. de Sac. Ord. q. 1.

12. Tempus quo Ordines conferuntur ſervetur, ſcilicet, conferantur ſabathis quatuor temporum, nec non Sabatho *ſitientes*, & Sabatho S. tempore Miſſæ. Minores tamen conferri poſſunt diebus Dominicis & feſtivis. dummodò non videatur Epiſcopus tenere generalem ordinationem. ſed prima tonſura quolibet die conferri poteſt.

13. Requiritur locus, qui in ordinatione ſolemni eſt Eccleſia, in privata, ſacellum vel capella.

14. Neceſſarius titulus, qui triplex eſt, beneficii, patrimonii & paupertatis, ſeu profeſſionis in Religione approbata. Si beneficium & Patrimonium ſimul, ſufficiunt ad ſuſtentationem, poſſunt Ordines conferri, ſecus ſi beneficio vel patrimonio inſufficienti, eleëmoſynæ conjungãtur. cùm hæ ſint incertæ. S. C. apud Quarantam, ſicut & ad titulum beneficii temporanei, vel Capellaniæ amovibilis, ad quem præſentatur per patronum valentem quoties vult Capellanum amovere, nõ licèt Ordines cõferre. Dela C. de Sac. Ord. d. 8. & alii cùm hæc nõ veniant nomine beneficii ſimpliciter. vnde cooperantes ad talem ordinationẽ mortaliter peccant contra Trid. & ſic ordinatus ſuſpenditur. ait Dela-Cruz l. c. cum Led. An verò actualis profeſſor ordinari poſſit ſub certa ſpe habendi quo vivat? probabiliter docet Corduba in Sum. q. 36.

Tandem neceſſarium eſt carere impedimentis de quibus in ſequenti.

Dico

Dico 2. Prohibentur ad Ordines promoveri. 1. ignoti. 2. bigami. quia per bigamiam tollitur vnitas Sacramenti. cum bigamus pluribus suam carnem diviserit. 3. neophyti. 4. corpore vitiati. 5. de illegitimo thoro nati. Sed cum his dispensat Episcopus ad Minores, & ad beneficia sine cura, ad beneficium autem curatum, ad dignitates, &c. solus Pontifex. 6. servi. cùm nequeant se alteri mancipare, absq; sui Domini facultate. Si ordinantur tenet Ordo, sed carent Ordinis executione. 7. ad ratiocinia obligati ante factam rationem, v. g. tutores. 8. homicidæ, quàmvis justè occidant, ut carnifex, mandans &c. se vel alium mutilans. V. dicenda. in 3. d. 25. conc. 10. infirmos bonâ fide vertens, non subjacet huic irregularitati, quàmvis mors casu sequatur. tempore S. Th. ut ipse 3. p. q. 39. a. 4. fatetur, etiam se ipsum defendens & occidens, irregularis erat. Sed jam revocatum, si sit defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ecclesiastici statuentes judices ac hortantes ut justitiam servent, non sunt irregulares, sicut, nec, proximum, dum occiditur, defendere omittens, si ex officio defendere non tenebatur. 9. hermaphroditi, si æque vel magis fœmineo sexu polleant. in quo sexus virilis prævalet, secundùm Fernandez p. 2. C. 10. §. 7. ex D. Ant. & Sylv. quàmvis res non pateat, & sic characteris secundùm communem capax, ob irregularitatem ordinari prohibetur. alii negant talem esse irregularem, nisi res sit notoria, 10. omnes alii irregulares & censuris affecti.

DISTINCTIO LXXXII.

Explicatur numerus Ordinum.

Dico 1. Septem sunt Ordines. scilicet, Presbyteratus, Diaconatus Subdiaconatus, Acolythatus, Lectoratus, Exorcistatus & Ostiaratus Hi unum efficiunt Sacramentum Ordinis. unum inquam perfectione finis, cùm omnes ad vnum finem, scilicet, Eucharistiam, ordinentur. Omnes ratione Sacramenti gaudent. cùm omnes secundùm S. Th. in 4. d. 24. q. 1. a. 2. q. 2. in Corp. characterem imprimant, Caiet. Sotus & Victoria apud Opat, d. 1. de Sac. Ord. q. 3. solum Sacerdotium fatentur esse Sacramentum, sed hic l. c. eos doctè excusat. Characteres Ordinum specie inter se, sed incompletâ, distinguuntur, Labat, de Sac. Ord. §. 3. in resp ad argum. Primi tres vocantur sacri. tum quia proximiùs accedunt ad Eucharistiam, tum quia habent annexum votum solemne castitatis. Amplè, possunt dici omnes sacri.

Dico 2 Prima tonsura non est, nisi largo modo, ordo, sed solùm dispositio ad Ordines. Multominùs cantoratus. cùm non habeat specialem respectum ad Eucharistiam. Immo nec Episcopatus est propriè Ordo sed Ordinis eminentia S. Th. l. c. q. 3. a. 2. in Corp. & in Supp. q. 40. a. 5. Idem docetur de Papatu, à fortiori nec Archiepiscopatus, Primatus, Metropolitatus, Patriarchatus, Cardinalatus, est Ordo. de Cardinalatu N. Cardinalis Turrecremata affirmat, cum aliis

tamen negandum. cùm non gaudeat consecratione & charactere. ut probabile judicat Cinius, Cardinales semper fuisse in Ecclesia, licet non sub isto nomine.

Q. Quid est characterem Sacerdotalem per consecrationem Episcopalem extendi? ℞. reddi capacem ad conficienda duo Sacramenta, quæ simplex Sacerdos ex vi præcisè suæ ordinationis, non potest conficere, nempe Confirmationem & Ordinem.

DISTINCTIO LXXXIII.

De quidditate, institutione, materiâ, formâ, characteris, impressione Ordinum in particulari.

DIco 1. Presbyteratus est *spiritualis potestas, quâ Ordinatus in Presbyterũ corpus & Sanguinem Christi D. conficit.* Institutus a Christo D. in vltima Cœna, panem & vinum in corpus & sanguinem suum convertente. Eius materia remota est calix cum vino, & patena cum hostia. Proxima, horum traditio. Probabile est aliquibus, DD. conferri Sacerdotium, etsi ex oblivione non ponatur vinum in calice. Forma huius Sacramenti hæc. *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasq; celebrandi in nomine Domini.* Si sequentia omitterentur, scilicet, *accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata remittuntur eis,* imperfecta esset Sacerdotis potestas, cùm, tunc non posset à peccatis absolvere. Character imprimitur in traditione calicis cum vino, & patenæ cum hostia accedente debitâ verborum formâ. Dum Episcopus pronunciat, *accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata &c.* non confertur character, sed prior extenditur ad novum effectum, datur enim potestas obsolvendi à peccatis. Ad dandam potestatem absolvendi à peccatis, secundùm Dela-Cruz & alios tantùm ex præcepto adhibetur impositio manûs; secundùm Gab. à S. Vinc. & Gonet est essentialis, quod conformius menti S. Præceptoris in 4. d. 24. q. 3. a. 3. ad 2.

Dico 2. Diaconatus est *spiritualis potestas, quâ ordinatus in Diaconum potest Evangelium solemniter in Ecclesia canere.* Institutus à Christo D. dum in Cœna corpus & sanguinem discipulis distribuit. Materia remota, liber Evangeliorũ, proxima eiusdem traditio. Nota. excepto Sacerdotio sufficit materiam tradere per Archidiaconum, Sà V. Ordo. n. 6. Forma, sunt Verba Episcopi, in quorum prolatione & materiæ traditione character imprimitur. Opat. de Sac. Ord. d. 1. q. 4. præter traditionem libri Evangeliorum assignat pro materia proxima manuum impositionem. Gab. à S. Vinc. pro perfectione & complemento. Tempore tamen Apostolorum materia erat manuum impositio. & modo est apud Græcos. Vnde ad similes objectiones dic, materiam à Christo D. in genere, in specie, ab Ecclesia determinatam. V. Gonet in Man. de Sac. Ord. C. 3 in solut. ad 1.

Dico 3 Subdiaconatus est *spiritualis potestas, quâ ordinatus in Subdiaconum potest calicem cum pane & vino ad conficiendam à Sacerdote Eucharistiam præparare.* Institutus à Christo D. linteo se præcingente ac discipulorum pedes lavante,

Eius materia remota calix vacuus & patena vacua. proxima horum ab Episcopo traditio. Forma, verba Episcopi, in quorum prolatione & materiæ traditione character imprimitur. Opat. l. c. præter assignatam materiam proximam assignat traditionem libri Epistolarum. sed Gab à S. Vinc. hanc dicit esse complementum & partem integralem ad explicandum actum secundarium.

Dico 4. Acolythatus est *spiritualis potestas, quà ordinatus in Acolythum potest ad altare urceolos, cum vino & aqua, ac candela deferre.* Institutus à Christo Dño Ioan. 8. dicente. *ego sum lux mundi &c.* Eius materia remota, saltem unus urceolus & candelabrum cum candela extincta. Proxima horum, traditio. Forma, verba Episcopi. Character imprimitur in traditione urceoli secundùm S. Th. in Supp. q. 38. a. 5 ad 6. & in 4. dicit. q. 3. a. 3. ad 6. cùm iste actus sit principalior & immediatius ad Eucharistiam ordinatus, sit enim materiæ præparatio. in candelabri traditione, utpote actu secundario, character potiùs extenditur, quàm imprimitur. Et licèt Acolythus à candelabri ministerio denominetur, non ideo fit quia principalius, sed notius.

Dico 5. Exorcistatus est *spiritualis potestas, quâ ordinatus in Exorcistam potest dæmonem expellere, ne quempiam ab Eucharistiæ sumptione impediat.* Institutus à Christo D. septem dæmonia è Magdalena ejiciente. ejus materia remota liber exorcismorum, proxima, traditio, forma, verba Episcopi, in quorum prolatione & materiæ traditione character imprimitur.

Dico 6. Lectoratus est *spiritualis potestas, quâ ordinatus in Lectorem potest prophetias in Ecclesia legere.* Institutus à Christo D. in medio Doctorum stante, & legente illa verba, *Spiritus Domini super me,* Isaiæ 16. Eius materia remota liber prophetiarum, proxima, traditio. Forma. verba Episcopi. in quorum prolatione & materiæ traditione character imprimitur.

Dico 7. Ostiariatus est *spiritualis potestas, per quam ordinatus in Ostiarium potest dignos recipere & indignos ab introitu templi repellere ad Eucharistiæ Sacramentum recipiendum.* Institutus à Christo D. ejiciente ementes & vendentes de templo. Eius materia remota claves Ecclesiæ, proxima eorum ab Episcopo traditio, cum quibus ab Archidiacono, aut ab alio vicem gerente deducitur ad claudendam, & aperiendam januam Ecclesiæ. Aliqui pro materia addunt cymbalum. Forma, verba Episcopi, in quorum prolatione & clavium traditione character imprimitur.

DISTINCTIO LXXXIV.

De Officijs Ordinum in particulari.

Dico 1. Sacerdotis officium est. 1. Offerre Missæ sacrificium, quâ ratione dicitur sacra faciens. huc revocatur, preces pro populo ad Deum fundere. 2. benedicere, quâ ratione dicitur sacrans. 3 præesse, quâ ratione dicitur præsul, vel etiam sacer dux inter personas consecratas. 4. prædicare, qua ratione dicitur sa-

cra docens. 5. Sacramenta conficere & ministrare, quâ ratione dicitur sacra dans. Vnde in Pontificali hæc assignantur. Offerre, benedicere, præesse, baptizare (quo revoca alia Sacramenta) & prædicare.

Dico 2. Officium Diaconi est. 1, Ministrare ad altare. 2 Solemniter baptizare ex commissione Parochi, sed in necessitate. 3. prædicare, saltem per modum catechizantis. 4. Evangelium in Missa solemni cantare, & in matutino homiliam recitare.

Dico 3. Officium Subdiaconi. 1. Panem & vinum in sacris vasis, Diacono ut Sacerdoti offerat præparare ac ministrare. 2. Epistolam in Missa cantare. 3. Pallas & corporalia abluere.

Dico 4. Officium Acolythi est cereos deportare, dum Evangelium legitur, offerturque sacrificium 2. Subdiacono urceolos cum vino & aqua ad Eucharistiam conficiendam præparare.

Dico 5. Officium Exorcistæ est nomen Domini super energumenos & catechumenos invocare, sicq; eos ut sacris interesse queant, præparare &c. jam tamen soli Sacerdotes id præstant.

Dico 6. Officium Lectoris. 1. Prophetias in Ecclesia legere, Catech: Tridentini, apud Opat. de Sac. Ord. d. 4. q 2. dicit, etiam lectiones ex novo testamento annunciare, sed hic actus secundarius. cùm materia ordinationis Lectoris sit liber prophetiarum. Immo D. Cyp. apud Opat. l, c. refert eum aliquando legisse Evangelium supra pulpitum, sed hoc intelligendum extra Missam & dum nocturnum officium peragitur. Adverte dum dicitur Lectoris munus, prædicare, intellige, recitativè, scilicet, legendo publice prophetarum libros 2. Catechumenos fidei rudimenta docere. Cave, ne existens in Minoribus panes & novos fructus benedicas, hoc enim iam Lectori non committitur.

Dico 7. Officium Ostiarii. 1. cymbalum tempore sacrificii pulsare. 2. Ecclesiam aperire. 3. & librum ei qui prædicat Plura de his V. apud Opatov. l c. Scias officia Diaconi & Subdiaconi nullo modo præstari posse à laico, seu non existente in Minoribus. Gab. à S. Vinc. V. Ordo Secundùm aliquos, ait idem, officia Diaconi & Subdiaconi præstari possunt ab existente in Minoribus, sine stola tamen & manipulo.

QVÆSITVM.
Qui sunt effectus & ritus Ordinum.

℞ ad 1. Duo præsertim effectus numerantur, scilicet, augmentũ gratiæ & character Ad 2. Ritus, hi inter alios. 1. Ordines non conferantur post prandium 2. Sacri non dentur sine Missa 3 dentur in Ecclesia Episcopali nisi aliter Episcopus concesserit. 4. Cum debitis vestibus. Minoribus initiandi cum superpelliceo accedant. In Subdiaconum ordinandus, cum amictu, alba, cingulo, manipulo & Dalmatica. In Diaconum præter hæc, cum stola, in Sacerdotem, cum his, insuper cum casula omissâ Dalmatica, accedat.

DISTIN-

DISTINCTIO LXXXV.

De Sponsalibus.

NOta 1. *Sponsalia sunt mutua futurarum nuptiarum promissio*, S. Th. in Supplem. q. 43. a. 1. & sic requiritur ut uterque promittat, nec sufficit acceptare alterius promissionem, nisi etiam intendat se obligare. non etiam sufficit simplex propositum. v. g. volo te in meam. cùm hoc non inducat obligationem, ut patet in voto, nisi quis intendat se obligare.

Nota 2. Sponsalia fiunt quatuor modis S. Th. l. c. 1. nudâ promissione. v. g. accipiam te in meam, & viceversa. probabilius est, hanc non sufficere. non aliam ducam, quàm te. Bonac. de mat. q. 1. punct. 1. n. 13. cum communiori. quia dicta verba faciunt sensum conditionatum. si aliquam ducam, non aliam quàm te, tenetur tamen ducere, si sic deceptam violavit. 2. datis arrhis sponsalitiis. v. g. pecunia, vel alio simili. 3. annuli subarrhatione. 4. Interveniente juramento. non tamen valent, licèt sint jurata, si prima non sunt legitimè dissoluta. Sylvester V. Spons: n. 40. Armilla n. 1. sicut non valent, licèt sint jurata, interveniente metu invalidante matrimonium. Sà V. spons: n. 5. & probabile judicatur in Sum. Dian. V. metus. n. 7.

Nota 3. Duplex est Sponsaliorum effectus. 1. Obligatio sub mortali contrahendi matrimonium. S. Th. citatus ad 3. nisi adsit legitimum impedimentum, hæc obligatio non necessariò antecedit matrimonium, sicut & sponsalia non necessariò antecedunt matrimonium. Sponsi in foro contencioso non compelluntur. quia matrimonia coacta malum exitum habere consueverunt. S. Th. in 4. d. 27. q. 2. a. 1. ad 2. nisi intervenisset juramentum ut quidam dicunt. Sed neq; propter hoc cogendi sunt ob dictam rationem. Arm. V. Spons: n. 7. ex Panormitano. Sed hæc locum habent dum fundamentaliter timetur malus exitus V. Petrum de Ledes. in præs.

Qui temerè retrocedit, amittit munera. Constans vero non.

Secundus Sponsaliorum effectus, est inhabilitas contrahendi cum consanguineis sponsi vel sponsæ in primo gradu tantùm, quod dicitur impedimentum publicæ honestatis. Trid. Sess. 24. de Mat. c. 3.

Dico 1. Sponsi vel propinqui sponsorum, vel stricti eorum amici, non possunt apponere pœnam gravem vel levem solvendam ab eo, qui non steterit sponsalibus, ex c. gemma. de spons. si apposuerint, non tenentur eam solvere, nec in foro externo, nec in foro interno, licèt juramentum intervenerit. quia juramentum non obligat ad rem illicitam. Bonac. de Spons. punct. vltimo n. 1. & 2.

Apponere huiusmodi pœnam non est mortale secundùm Caiet. V. Spons: & alios. veniale tamen.

Dico 2. Persona nobilis & dives, quæ iniit voluntariè sponsalia cum ignobili & paupere, cuius conditionem non ignorabat, tenetur matrimonium contrahere, nam cùm esset conscia conditionis, & voluerit sponsalia contrahere, tene-

tur-

tur adimplere promiſſionem, ex qua oritur obligatio ſub mortâli. Bonac q. 1. de Mat. p. 2. n. 2. cum communi, modo ex tali matrimonio non ſequatur grave malum, vel magnum ſcandalum, ut graves rixæ inter parentes contrahentium, vel aliud grave incommodum, nam ſponſus vel ſponſa non tenetur adimplere promiſſionem futuri matrimonii, quando prævidet fore ut matrimonium ſortiatur pravum exitum, idem, ex Nau. & Rodriq.

Dico 3. Qui ſub ficta promiſſione defloravit virginem, tenetur ſub mortali eam ducere S. Th. relatus à Labat de Mat. dub. 5. §. 5. niſi aliqua rationabilis cauſa oppoſitum ſuadeat, tunc enim ſatis eſt alio modo ſatisfacere. Oppoſitum D. Thomæ tenet Bonac. punct. 2. de ſponſ. n. 5. cum aliis, Qui etiam fictè promiſit jam per alium corruptæ alias bonæ famæ, quæ infamiam ob carnalem copulam incurrit, tenetur eam ducere. infamata enim, cui, ut competit nubet? Labat loco cit. ſecus dicendum dum nullum periculum infamiæ, tunc enim ſufficit pro injuria ſatisfacere. Samuel de Lub. V. promiſſio n. 9. & alii. Hæc à fortiori currunt, ſi promiſſio ficta ſit jurata tunc enim tenetur ducere, etiã ab alio iam corruptã S. Tho. 2. 2. q. 89. a. 7 ad 4 adducens illud Iſidori L. 2. de ſummo bono C. 31. *Quacunq; arte verborum quis jurat, Deus tamen, quis teſtis conſcientiæ eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.*

Dico 4. Sponſalia quamvis jurata multis modis ſolvuntur 1. defectu ætatis, ſi quis non habeat ſeptennium ferè completum.

2. Per religionis ingreſſum, & ſermo eſt de religionis ingreſſu, ante profeſſionem, qui mox dirimit, non poteſt tamen ingredi ſi ſponſam violavit, & nullâ viâ, etiam per matrimonium ratum, poteſt damnum reſarcire. nam ſi poteſt per matrimonium ratum damnum reſarcire, contrahat, deinde ingrediatur.

3. Per ſimplex caſtitatis votum, etiam poſt ſponſalia jurata emiſſum. nam ſponſalia jurata cenſentur ſub hac conditione facta, niſi perfectior ſtatus eligatur Bonac d. 1. de Mat punct. 5. cum aliis DD. idem de voto Ordinis ſacri.

4. Per ſubſequens cum altera matrimonium. Nota contra Dela-Cruz obligatio ſponſaliorum ſoluto per mortem matrimonio, ſicut & dimiſſio religionis habitu non reviviſcit. nam obligatio ſemel extincta non reviviſcit primam partem docet Armill. ſecundam Sylv. V. ſpons.

5. Per alterius ſponſi fornicationem, quãmvis fœmina ſit vi oppreſſa.

6. Per affinitatem ſupervenientem, etiam ex copula illicita. aut aliud impedimentum dirimens, immo quàmvis tantùm ſit fama de tali impedimento.

7. Si ſponſus huc & illuc vagetur, & longiùs vadat.

8. Si in contractu ſponſaliorum tempus determinetur eoque complero vnus non velit contrahere, alter liber manet.

9 Si ſponſalia facta ſub conditione, & hæc non impleatur, v. g ut tanta dos (detur.

10. Per gravem infirmitatem v. g. per morbum gallicum, per magnam deformitatem. v. g orbitatem oculorum. vel ſi aliqua vitia detegantur, aut alia ſuperveniant, quæ ſi antea ſcirentur, ſponſalia non contraherentur.

11. Per graves inimicitias ortas inter ſponſos.

Tandem

Tandem per utriusq; voluntatem. hæc probat Dela-Cruz de Mat. q. 2. n. 3. exceptis ijs pro quibus refertur. Bonac. n. 3. & alii n. 4. In prædictis casibus si sponsalia clandestina, vel causa manifesta, non est necessarium ut per judicem dissolvantur. Sylv. V. spons. n. 10. quod dictum supponit sponsalia clandestina esse valida. Immo nec damnantur peccati mortalis à Sâ V. spons. n. 5. contra Armillam V. spons. n. 14. cuius tamen sententia securior & elicitur ex duodecimo Canone pœnitentiali apud Mosc. in Elementis ad sacras Conf: p 5.

Dico 5. Per mutuum sponsorum consensum non ita solvuntur sponsalia ut liceat in eodem gradu ducere Bonac. q. 3. de Matr. p. 11. n. 7 adducens novam declarationem Cardinalium. si enim per mortem v. g. sponsæ non tollitur impedimentum publicæ honestatis ut passim docent DD. ex C. sponsam de sponsalibus, à fortiori non tollitur per utriusq; consensum.

QVÆSITVM.

An oscula, amplexus, & his similia, liceant sponsis?

℞ Oscula & amplexus libidinosa hoc est cum delectatione facta, non sunt mortalia inter sponsum & sponsam, si desit periculum pollutionis vel ulterioris consensus. Arm. V. spons. n. 14. Samuel de Lub. V. spons. n. 4. Eò quòd sponsus habeat aliquod jus, licèt tantùm inchoatum & imperfectum ad corpus sponsæ, & viceversa, amplexus verò solius benevolentiæ causa, nullo modo sunt peccata.

Nota hanc doctrinam non posse extendi ad tactus partium verendarum inter sponsos. Arm. V. impud. n. 2. & Samuel loco cit. nec ad delectationem de copula. non enim licet sub mortali sponsis delectari delectatione libidinosa, de copula futura.

Quare ad hæc & vlteriora peccata vitanda, non est vllo modo permittenda sponsis cohabitatio. magnũ enim periculum, quod in conscientia vitare tenentur.

DISTINCTIO LXXXVI.

De Bannis seu Denuntiationibus.

DIco 1. Antequam Matrimoniũ contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur inter quos Matrimonium contrahendum Trid. Sess. 24. C. 1. Per omissionem denuntiationũ non invalidatur matrimonium, sed peccatur mortaliter, si omittatur sine facultate, aut legitima causa. cùm sic possint sequi gravissima mala, quamvis nulla censura ipso facto incurratur. Bonac. q 2. p 6. n 5. & 7. cum aliis DD. suspendendus tamen ab officio per triennium omittens denuntiationes C. cum inhibitio de clandestina desponsatione. ex quo patet, quam cavendum Parochis, ne facilè advenas copulent. omittere unam denuntiationem non videtur aliquibus mortale propter parvitatem materiæ si Parochus sit certus moraliter non adesse impedimentum.

Dico 2. In vtraq; Parochia faciendæ denuntiationes, vel à proprio Parocho, vel ab alio de Parochi licentia, si contrahentes sint diversarum Parochiarum. Tridentinum enim sic loquitur, à proprio contrahentium Parocho, & Bonac. loco cit. n. 59. refert declarationem sacræ Congregationis.

Dico 3. Denuntiationes possunt fieri extra Ecclesiam v. g. in cæmeterio, sicut & matrimonium. Nec peccatur faciendo eas alio die, quàm festo, quando ingens multitudo populi confluit. hoc dictum probat Bonac. loco cit. n. 18. à fortiori possunt fieri, quando celebratur festum particulare ad quod populus confluit.

Dico 4. Dum adest causa valdè vrgens, sufficit una denuntiatio, aut saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur, etsi non adsit facultas Episcopi vel Officialis, quia necessitas lege caret. v. g. quando periculum est in mora, & non patet aditus ad Episcopum, vel Officialem, & alias teneretur dispensare.

Quando autem una tantùm de licentia Episcopi, seu alias, denuntiatio præmittitur, non statim eâ factâ matrimonium contrahendum, sed per aliquod tempus, judicio prudentis expectandum. Sanchez & alii apud Bon. loco cit. n. 56.

Dico 5. Causæ justæ omittendi denuntiationes sunt multæ. de quibus Vir prudens & timoratus judicet. 1. Quando timetur matrimonium malitiosè impediendum. 2. Quando instat tempus, quo nuptiæ prohibentur, ut est adventus &c quod autem fiat denuntiatio ter, scilicet in prima Missa, in Missa solemni diei, tandem hâc finitâ in Missa ante matrimonium celebrandum, tantùm pura cæremonia est. cùm id parum juvet ad notitiam impedimentorum. 3. Cùm Magnates contrahunt: non enim timendum de impedimento. cùm Magnatum matrimonia publica. 4. Quando concubinarius, citò petit conjunctionem matrimonialem &c. Bonac. loco cit. n. 8. in his tamen debet constare moraliter non adesse impedimentum dirimens.

Dico 6. Dum matrimonium contractum sine denuntiationibus, propter aliquam vrgentem causam non potest consummari non præmissis denuntiationibus ita Trid. citatum. aliàs peccatur mortaliter propter periculum impedimenti, toties, quoties, consummatur. Bonac. cum multis aliis loco cit. n. 8. & 9. Ledesma tamen Lopez & alii ab eodem relati negant, si Parochus & contrahentes adhibuerunt sufficientem diligentiam, ut deprehendatur impedimentum.

Dico 7. Impedimenta matrimonii sunt detegenda sub obligatione peccati mortalis, etiam sub secreto scita, quamvis probari non possint. quia agitur de gravi proximi spirituali damno. præmittatur tamen correctio, si fructus speratur. Item quamvis tantùm audita, modò à persona fide digna. Secus si audita à persona nihil certi sciente, vel quæ non meminit à quo audivit. Bonac. loco cit. n. 20. cum aliis DD.

DISTINCTIO LXXXVII.

De Sacramento Matrimonij secundùm se.

Nota.

NOta. Matrimonium in ratione contractûs naturalis, est legitima conjunctio maris & fœminæ in vsum conjugii individuam vitæ consuetudinem retinens. Labat de Mat. dub. 1. §. 2. in ratione Sacramenti est novæ legis Sacramentum a Christo D. institutum causativum gratiæ vnitivæ. Salazar, gratia enim quæ in hoc Sacramento datur significatur per modum vinculi & coniunctionis, & ordinatur ad mutuam supportationem item ad honestam procreationem & educationem prolis. Mosc. in exam. approb. tit. 1. q. 5. nec solùm in hoc sacram: significatur gratia conjugens conjuges adinvicem, sed etiam significatur minùs principaliter vnio verbi cum humanitate, & conjunctio Christi cum Ecclesia.

Dico 1. Iuxta varietatem temporum est variè institutum matrimonium. in statu enim innocentiæ est institutum in officium naturæ, ad propagandam speciem humanam. in statu naturæ lapsæ, vltra hoc in remedium concupiscentiæ. In lege gratiæ à Christo Domino, in ratione Sacramenti S. Th. in Supp. q. 42. a. 1. Institutum inquam, sive Ioan. 2. in nuptijs, vel Matth. 19. dicendo. *quod Deus conjunxit homo non separet.*

Dico 2. Vtriusq; conjugis consensus mutuò per verba, vel per nutus expressus, est materia proxima, & forma huius Sacramenti, sub diversa tamen ratione, quatenus enim consensus conjugum habet rationem traditionis est materia, quatenus habet rationem acceptationis est forma. Ita Theologi maximè Thomistæ cum Angelico D. in Supp. q. 42. a. 1. ad 1. & 2. Materia verò remota sunt ipsi cõtrahentes, vel corpora ipsorum. Et sic verba. *ego vos conjungo*, non sunt forma huius Sacramenti, immo nec ad valorem simpliciter necessaria. cùm ante Trid. valida fuerint matrimonia clandestina, ut patet Sess. 24. C. 1.

Scias. Verborum, *ego vos coniungo*, non est sensus, *ego vos coniungo, aliàs non coniunctos* sed *confirmo & benedico vestram coniunctionem*, vel, *ego vos coniungo in facie Ecclesiæ, ut pro veris cõiugibus coram hominibus sitis.* De la C. de Mat. q. 1. n. 1.

Dico 3. Consensus in hoc Saeramento necessarius, debet esse expressus per verba de præsenti, vel per aliqua signa. nam cùm sit Sacramentum, debet constare rebus sensibilibus, sicut & alia Sacramenta.

Si puella interrogata, præ verecundia tacet, & adstantes pro ea respondent, ipsa non contradicente, fit matrimonium. nam illa taciturnitas cum aliis circumstantiis temporis & respondentium pro ea, est sufficiens signum sensibile, significans eius internum consensum. S. Th. in Supp. q. 45. a. 2. ad 3. Consensus ergo per verba de futuro expressus v. g. habebo te, non matrimonium, sed sponsalia efficit. S. Th. cit. a. 3. idem dic de his, contraho tecum pro anno futuro. at per verba, ex nunc habebo te in meam vxorem, fit matrimonium. cùm de præsenti consensum exprimant.

Dico 4. Consensus conditionatus ad valorem matrimonii sufficit, si apponatur conditio de præsenti. consensus tamen conditionatus apposita conditione de futuro, ordinariè loquendo, non sufficit. v. g. si Patri placuerit. quod si non expectato conditionis eventu consenserint in copulam affectu maritali, tunc fit

matrimonium, nec opus eſt novâ præſentiâ Parochi & teſtium ,pro hoc inſinuat declarationem Congregationis Cardinal: Dela-Cruz q. 3. de Mat. n. 3. Et idem cenſet Navar. de matrimonio celebrato coram Parocho & teſtibus ſub conditione licita, ſi antequam voluntas mutetur, impleatur conditio, tunc enim perficitur matrimonium, ſine nova Parochi & teſtium præſentia. ſed oppoſitum aliis videtur veriùs, quos tacitè refert Dela Cruz loco cit.

Dico 5. Conſenſus externus ſine interno non efficit matrimonium. cùm omnia Sacramenta requirant intentionem S. Th. a. 4. talis tamen in foro Eccleſiæ poteſt adſtringi. cùm hæc ſecundùm allegata judicet.

Et ſic qui verbis de præſenti cum aliquâ contraxit, non habendo conſenſum internum, verbis expreſſum, ſi per excommunicationem cogatur ut primam habeat in vxorem, debet potiùs patienter ſuſtinere excommunicationem, quàm ad primam accedere. Ita in C. inquiſitionis de ſent: excomm. & S. Th ad 3. & oppoſitum Magiſtri ſent. eſt erroneum. nam ille acceſſus eſſet fornicarius. cùm eſſet acceſſus ad non ſuam. nec efficitur ſua, quàmvis interveniat ſententia in foro externo juſta. juxta C. de ſent. & re judicata. vel recedat ſecum vxorem veram ducendo, ſi fieri poteſt S. Th. ibidem. Hæc doctrina etiam procedit, dum matrimonium ob aliam cauſam eſt nullum.

Dico 6. Qui conſenſum fictum habuit, ſi non interveniat impedimentum dirimens, tenetur verè iterum cum conjuge defraudata contrahere matrimonium. ex Sylv. V. Lux & aliis, quæ injuria aliter non reſarcitur. aliquando tamen excuſabitur, v. g. ſi intercedat magna inæqualitas, aut ſi timeatur, malus exitus, aut grave damnum &c. ſed recompenſatio non omittenda.

Dico 7. Miniſter eſſentialis Matrimonii, ſunt ipſi contrahentes. cùm ipſi tantùm formam ponant, ut patet ex Conc. Flor. in decreto vnionis Armenorum. Sacerdos enim tantùm miniſter accidentalis. aliàs matrimonia clandeſtina non fuiſſent valida ante Trid. quod eſt contra Seſſ. 24 Cap. 1.

Et ſic Sacerdos in mortali matrimonio aſſiſtens non peccat mortaliter. contrahentes, licèt ſint miniſter eſſentialis huius Sacramenti, cùm non ſint ſpecialiter conſecrati ad hoc. non peccant mort. illud miniſtrando in mortali. Dela C. de Sacram in genere q. 4. n 4 peccant tamen mortaliter indignè recipiendo.

Dico 8. Omnis homo nullùm habens impedimentum eſt ſubjectum Sacramenti matrimonii. Vt debitè ad hoc Sacramentum accedat, promittenda confeſſio & Euchariſtia ſumenda. Sed hoc tantùm conſilium, præceptum verò, contritionem eſſe præmittendam, ſi contrahens in mortali exiſtit. cùm ſi Sacramentum vivorum. Accedens ad hoc Sacramẽtum, intendat ſaltem virtualiter facere quod facit Eccleſia, & ſuſcipere hoc Sacramentum non cum affectu libidinis, ſed cum affectu ſuſcipiendi prolem ad gloriam Dei.

Dico 9. Matrimonio iam contracto ſponſi in eadem domo non cohabitent ante benedictionem in Eccleſia à Parocho vel cum licentia ab alio Sacerdote recipiendam, Trid. Seſſ. 24. C. 1.

Omitte-

Omittendo hanc benedictionem non incurritur mortale. Samuel de Lub. V. Bann. n. 5. & 6. Sa V. Mat. n. 6. ſicut & omittendo ſolemnitatem nuptiarum nõ eſt mortale. immo abſolutè omittenda benedictio in ſecundis nuptiis ex parte viri & mulieris, vel mulieris tantùm, non autem in ſecundis nuptiis ex parte viri tantùm. cùm adhuc ſalvetur ſignificatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

Dico 10. Matrimonium inter abſentes per literas vel procuratorem celebratum, eſt verum, patet ex uſu Eccleſiæ ſæpè talia matrimonia celebrantis, quæ deinde in præſentia conjugum non celebrantur. idem de ſponſalibus dicendum ſi ſit conſenſus vtriuſq;, vel ſaltem, ſi vterq; ratificet ſponſalia nomine ſuo à Parentibus celebrata, aliàs enim ſic à Parentibus facta, nec à ſponſis ratificata non valent. Immo matrimonium inter abſentes baptizatos celebratum per literas vel procuratorem, coram Parocho & teſtibus, eſt Sacramentum, tanquam probabiliùs tenendum.

Dico 11. Matrimonium amore divitiarum, delectationis captandæ, & ob ſimilem cauſam inhoneſtam celebratum non caret culpâ veniali, ſicut ob cauſam mortaliter inhoneſtam non caret culpa mortali validum tamen, ſicut baptiſmus propter lucrum adminiſtratus eſt validus.

QVÆSITVM 1.

V. In Sacramento Matrimonii hæc reperiantur. ſcilicet, Sacramentum tantùm, res Sacramenti tántùm, res & Sacramentum ſimul? ℞. Sicut in aliis &c. vide additionem 4. in fine f. 54.

QVÆSITVM 2.

Quæ bona, finis, & effectus matrimonij.

℞. 1. Bona matrimonii ſunt, fides, proles, Sacramentum, fides nè cum alijs Conjuges miſceantur, proles, ut Chriſtianè educetur. Sacramentum ut matrimonium non ſeparetur.

1. Finis ad quem matrimonium inſtitutum primò eſt propagatio ſpeciei & conſervatio individuorum. 2. Remedium concupiſcentiæ. 3 commoditas obſequii vtriuſque ad invicem.

3. Effectus Sacramenti matrimonii eſt gratia vnitiva, hoc eſt gratia ſanctificans, ut importat mutuam concordiam, decentem uſum matrimonii, moderando carnis concupiſcentiam, familiæ prudentem gubernationem, Chriſtianam prolis educationem. rerum domeſticarum diligentem curam, diſpoſitionem & fidelem diſpenſationem. Moſc. 2. p. Tyrocinii artis pœnitentiariæ §. 4. n. 25.

DISTINCTIO LXXXVIII.

De impedimentis impedientibus tantùm matrimonium.

NOta. Impedimenta matrimonii duplicia ſunt, alia tantùm impediunt, ne lici-

te contrahatur matrimonium, validum tamen est. alia verò etiam contractum dirimunt, tanquam invalidum.

Dico 1. Impedimenta tantùm impedientia sunt quinque votum interdictum, sponsalia, catechismus, crimen.

Crimen est multiplex quo commisso non licet ducere vxorem. 1. Occisio vxoris adulteræ propriâ authoritate facta. 2. Presbytericidium, per judicem declaratum. 3. Matrimonium cum moniali scienter contractum. 4. Susceptio proprii filii in baptismo aut confirmatione malo animo, ut scilicet contrahat cognationem cum propria vxore. 5. Publica pœnitentia, sed hæc iam non est in usu. 6. Raptus alienæ sponsæ. Sed hoc post Trid. est etiam dirimens secundum dicenda in sequentibus. 7. Incestus cum propria affine, vel etiam cum consanguinea sed hoc secundum negat D. Th & alii apud De la C. q 4. n. 1. Hoc impedimentum criminis juxta Sanchez, Ledesma & alios apud Bonac. de Mat. q. 3. punct. 14. n. 21. non inducit mortale, etsi dispensatio non petatur.

Si quis dispensationem desiderat, adeat Episcopum, qui in omnibus tantùm impedientibus impedimentis dispensat, excepto voto castitatis perpetuæ & religionis. Cand. aureum de Mat. n. 110. ex D. Antonino & Paludano.

Dico 2. Nomine voti intelligitur votum simplex religionis, aut castitatis; vel votum non nubendi.

Dico 3. Nomine interdicti venit prohibitio, quâ certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia Item si ab Ordin rio loci aut curato interdicatur contrahere matrimonium, donec constet, non esse impedimentum, aut aliam ob causam.

Dico 4. Tempus interdicti incipit à media nocte præcedente primam Dominicam adventûs vsq; ad festum Epiphaniæ, & à media nocte ante feriam. 4. Cinerum, vsq; ad Dominicam in Albis inclusivè. Trid. Sess. 24. Cap. 10.

Interdicitur autem hoc tempore solemnitas nuptiarum, ut accipere benedictionem in Ecclesia, aut convivium solemniter celebrare. & contrafaciens peccat mortaliter. quia in re gravi transgreditur præceptum Ecclesiæ, Bonac. de Mat q. 3. punc. 14. n. 4. cum aliis. DD.

Non interdicuntur hoc tempore sponsalia. Samuel de Lub. V. nuptiæ n. 1. idem non prohibetur contractus & consummatio matrimonii, sub mortali, atque bannorum publicatio. dummodo nullæ adhibeantur nuptiales solemnitates. Samuel num. 5. cum Paulo Piasecio. Sicut & privatim traducere tempore interdicti sponsam in domum sponsi non est prohibitum.

Dico 5. Impedimentum Catechismi contrahitur ab eo. qui tenet infantem baptizandum, respondetque eius nomine ministro interroganti, an credat, an renunciet diabolo? &c. & quidem si idem sit patrinus Catechismi & baptismi contrahit impedimentum dirimens. si alius Catechismi, contrahit tantùm impediens. sed negat Pontius relatus in Summa Dianæ. V. imped. n. 4. quia in Trid. dicitur spiritualem cognationem non contrahi nisi in baptismo & confirm: præter hoc

hoc citat pro sua sententia declarationem sacræ Congregationis interpretum.

Dico 6. Impeditur Matrimoniũ ad dictum vnius maximè matris deponẽtis de aliquo impedimento testimonium, nisi interveniat juramentum in oppositum.

Impeditur etiam ad dictum vnius Personæ gravis, cui fides debetur, & de fama vel scandalo docet, etsi in oppositum interveniat juramentum parentum.

Quod si vnus testis dicat, audisse ab vno ex suis majoribus duos esse in quarto v. g. gradu consanguinitatis, non impeditur matrimonium inter eos nam vnus testis, de auditu nihil probat. Secus si plures graves audissent, à pluribus fide dignis.

Vt verò matrimonium contractum dissolvatur, efficaciora debent adesse testimonia: nam hoc non dissolvitur sine plurium juramento. hæc è jure deducta reperies apud Dela Cruz q. 4 de mat. n. 3.

DISTINCTIO LXXXIX.

De impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali.

NOta 1. Impedimenta dirimentia & annullantia matrimonium de jure antiquo sunt 12. quibus de jure novo Tridentini addita sunt duo raptus & matrimonium clandestinum. comprehenduntur his versibus.

Error, Conditio, votum, cognatio, Crimen.
Cultûs disparitas, vis, Ordo, Ligamen Honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia facta retractant.

Error Personæ, professio solemnis, ligamen, impotentia perfecta & perpetua, jure naturali dirimunt matrimonium, idem de amentia perpetua & de defectu ætatis sentiendum. alia dirimunt jure Ecclesiastico vide Dela C. q. 4. de mat. n. 2.

Nota 2. Hæc impedimenta non eo sensu dicuntur dirimentia, quatenùs solvant matrimonium, jam validè contractum. Sed dicuntur dirimentia, quia impediunt, ne validè possit contrahi. & sic professio solemnis facta post matrimonium ratum & illud dissolvens, item conversio unius conjugis ad fidem, dissolvens matrimoniũ in infidelitate consumatum, ut infra dicetur, non dicuntur propriè impedimenta.

Dico 1. Error essentialis dirimit matrimonium, tollit enim consensum pro matrimonio requisitum, talis error est circa personam. cùm matrimonium includat personas, quæ conjunguntur. Error verò accidentalis, & circa personæ qualitatem. v. g. circa Bona fortunæ, non dirimit matrimonium v. g. si contrahas cum Bertha putans esse virginem, nobilem, divitem &c. cùm hæc ad essentiam matrimonii non spectent, nisi talis error in personam transfunderetur, v. g. si cum Bertha contrahere nolis, si non sit virgo, dives vel nobilis, in tali enim casu error consensum tollit S. Th. in supp. q. 51. a. 2. ad. 5.

Dico

Dico 2. Simplex castitatis votum non dirimit matrimonium iam contractum, sed solùm impedit contrahendum S. Th. cit. q. 53 a. 1. nam matrimonium fortius est vinculum. cùm in eo fiat actualis corporum traditio. per votum autem simplex solùm fit promissio, rei promissæ non transferens dominium, & idem dicendum de voto ingrediendi religionem; Excipe simplex castitatis votum Patrum Societatis IESU, quod ex statuto Ecclesiæ matrimonium dirimit & eos verè religiosos facit.

Votum ergo solemne religionis dirimit matrimonium, non solum ex jure divino, sed ex natura sua ut docent Thomistæ. nam præter promissionem ad votum simplex sufficientem, importat perfectam & absolutam traditionem & acceptationem. vnde qui sic solemniter vovet, & postea matrimonium contrahit, invalidè contrahit.

Dico 3. Qui vovit ingressum religionis, primo bimestri, non potest reddere, à fortiori non potest petere. cùm secundùm communem sententiam adhuc teneatur religionem ingredi. si iam petendo vel reddendo consummavit, potest non solùm reddere sed & petere. ad castitatem enim obligabatur ratione voti religionis. cùm ergo sit liber à religione hic & nunc, eò quòd consummaverit matrimonium, etiam liber, vivente sua conjuge, à castitate.

Qui verò sine voto ingrediendi religionem, habet votum castitatis perpetuæ, & contraxit matrimonium, nunquam petere potest, ut docent communiter. sed elapso primo bimestri reddere tenetur, etiam tantùm interpretativè petitus, non autem ante, nam ut habet Bonac. circa 2. præceptum. q. 2. punct 5. §. 5. n. 5. conjuges habent ius non reddendi debitū in primo bimestri etiam præciso voto, quare intra hoc reddens prima vice, peccat mortaliter. An verò intra bimestre, teneatur ingredi religionem? negat Bonac. loco cit. cōtra Caiet. & Sylv. V. Mat.

Dico 4. Vnus conjugum non potest altero invito ingredi religionem matrimonio iam consummato. nam nullus potest præstare oblationem ex alieno, corpus autem conjugis per carnalem copulam factum est alterius S. Th. q. 61. a. 1. Consummatur autem matrimonium secundùm aliquos per solam apertionem claustri, licet non sit seminatio alii requirunt seminationem & quidem vtriusque, ut videre est in Summa Dianæ V. affinitas n. 2. & V. Mat n. 22. per solam tamen seminationem in vase fœminæ, absque vasis penetratione matrimonium consummatur.

Potest tamen vnus conjugum. etiam matrimonio consummato ingredi religionem si remanens in sæculo consentiat, & votum castitatis emittat, ad quod tenetur. Item si sit provectæ ætatis, nam si sit juvenis, etiam tenetur ingredi, ut probat Bonac. de Mat. q. 3. p. 4. n. 11. præterea, si Episcopus consentiat. cuius consensus si omittatur, secundùm aliquos nō incurritur peccatum mortale. Dixi *matrimonio consummato*. Nam ut supra insinuatum, duo menses sunt concessi conjugibus ad deliberandum circa religionis ingressum, etiam altero renuente, intra quos non tenentur consummare. Et licet ante elapsos duos menses cognoscat

sponsam

ſponſam violenter, ipſa verò religionem ingrediatur, & profiteatur, matrimoniũ adhuc quoad vinculum ſolvitur, quia non videtur adhuc illi ſuum corpus cõmunicâſſe, cùm violenter fuerit oppreſſa. Samuel de Lub. V. divort n. 10. cum Armilla.

Dico 5. Infidelis habens plures vxores ſi convertatur ad fidem tenetur permanere cum prima ſi ipſa voluerit cum eo permanere de quo infra. Si verò omnes convertantur præter primam nolentem cum eo permanere, aut volentem quidem permanere ſed cum injuria Creatoris, vir non tenetur ullam ex converſis ducere in rigore loquendo, quia nulla ex ipſis eſt vera vxor exceptâ primâ, licet repudiata. Bonac. de Matrimo. q. 3. punc. 10. n. 7. cum aliis DD. Hic ſciendum eſt, quod diſpenſatio quæ conceſſa fuerat à Deo in veteri lege ad habendas plures vxores ad hoc tempus non perſeveret: nam revocata fuit à Chriſto Domino Matth. 19. *Qui dimiſerit vxorem & aliam duxerit mœchatur.*

Dico 6. Vt ſuperſtes conjunx poſſit cum alio matrimonium inire, requiritur certitudo moralis. ſeu tanta certitudo, quanta judicio prudentis ſufficit ad credendum priorem conjugem certo eſſe mortuum. Soto, Speculum. Rodriq. Gutierez, Sanches, Perez, Valentia & alii quos ſequitur Bonac. loco cit. n. 12. quia niſi adſit tanta certitudo, contrahentes exponunt ſe periculo adulterii. cùm fieri poſſit priorem conjugem adhuc vivere. Vnde vxor nequit cum alio matrimoniũ contrahere, quando eius vir abfuit per multos annos. C. in præſentia de Spons. & C. dominus de ſecundis nuptiis. nam certitudo moralis non habetur per abſentiam multorum annorum. Sicut nec habetur per ſolam famam, cum fama oriri ſoleat ex auctore incerto, & plerumq; fallaci. niſi fortè cum fama exiſtant tanta indicia, ut nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius, Bonac. loco cit. n. 13. cum Speculo. Sylv. Nau. Rodriq. & aliis DD.

Ex quo per contrariam conſequentiam ſequitur, vxorem poſſe matrimoniũ cum alio contrahere, quando maritus ingreſſus prælium, & poſtea non comparuit, & fama eſt ipſum perijſſe, aut quando per litteras eorum qui prælio interfuerunt, acceptum eſt, maritum mortuum, Henriq & alii citati à Bonac. l. c. n. 14. Nota. relinquendum eſt judicio prudentis viri, judicare in caſibus particularibus, an ſit certitudo moralis, & conjecturæ ſufficientes ad contrahendum novum matrimonium. Non tamen ſufficienter probatur mors per vnum teſtem, Bonac. l. c. n. 16. & Sanchez contra Speculum & alios. Sicut enim unus teſtis non ſufficit in cauſis pecuniariis, ita neque ſufficit in cauſa ſecundi matrimonii, in quo agitur de periculo animæ, niſi fortè adſint tantæ conjecturæ, vel niſi conjux mortuus ſit in loco ita diſtante, ut non poſſint facilè haberi aliæ probationes niſi per unum fide dignum teſtem. Et hoc modo intelligitur C. in præſentia de ſpons. vbi præcipitur Prælatis ne permittant matrimonium contrahi donec certum nuncium de morte percipiant. Ob id cavere debent Parochi, ne aliquos conjungant non obtentâ facultate ab Epiſcopo, apud quem fieri ſolent probationes de morte alterius conjugis. quo tamen non obſtante mulier poteſt contrahere matrimonium quando ipſa ſola certò novit virum eſſe mortuum, quam-

vis hoc probare non possit, & alias non timetur scandalum, quia tunc cessat periculum adulterii Idem qui supra n. 16. cum aliis DD.

Ex his patet fœmina quæ contraxit matrimonium cum secundo credens primum virum mortuum tenetur recedere à secundo, postquam rescivit primum virum vivere, alioquin adulteratur & peccat mortaliter petendo vel reddendo debitum post talem notitiam nam secundum matrimonium est invalidum. Si verò non certò novit priorem virum vivere, sed tantùm dubitat, non potest existente dubio petere debitum. alioquin exponit se periculo adulterii. Dela Cruz q. 5. de Mat. n. 1. ex c. inquisitioni, de senten. excomm. tenetur tamen alteri conjugi petenti reddere, quàm diu non constat priorem conjugem vivere. nam alter conjux habet jus petendi. nec tenetur credere conjugi dubitanti nisi dubitans, ita probet ut alter propter eius motiva & probationes, teneatur credere, vel ita dubitare, ut nequeat deponere dubium.

Dico 7 Validum est matrimonium contractum ab eo, qui quidem credebat priorem conjugem vivere, sed falsò credebat cum mortua fuerit. si sic contrahens putabat se validè contrahere, vel si habebat intentionem contrahendi quantùm poterat. quia adest sufficiens consensus inter personas habiles. Et idem dicendum de eo, qui contrahit matrimonium credens adesse impedimentum dirimens, cùm revera non sit, modò intendat ut supra. ratio à simili. nam qui credit baptismum nihil valere, tamen baptizando intendit, quod potest & quod intendit Ecclesia, validè baptizat, ut docetur comm: idem ergo in casu proposito.

Dico 8. Frigiditas seu impotentia coeundi dirimit matrimonium quando est perpetua & perfecta, id est incurabilis etsi conjuges ad castè vivendum contrahant, ut patet ex D. Th. in Supp. q. 58 a. 1. ad 4. nam de intrinseca matrimonii ratione est traditio potestatis ad usum & copulam conjugalem, quam impotentes tradere non possunt, cùm non habeant. Et licèt vir possit coire, si nequit seminare, invalidum est matrimonium ut patet ex quadam declarat. Sixti V. de qua mox. Dixi *si sit perpetua & perfecta*. nam si hæc impotentia sit temporanea, licèt ignorata, quæ ætatis processu aut humanâ arte sine mortis periculo auferri potest, valet matrimonium D. Th. loco cit. Procedit autem resolutio quæsiti de perpetua & perfecta impotentia cum omni fœmina Si enim cum una sit impotens, & potens cum alia, valet matrimonium etiam cum illa cum qua est impotens, secundùm S. Th. loco cit. contra Sylv. & alios deducitur ex C. laudabilem & C. fraternitatis, de frigidis & maleficiatis, ubi dicitur, si quis separato priori matrimonio invenitur habilis ad aliam fœminam, redeat ad priora connubia.

Dico 9. Impotentia generandi non tollit matrimonium. Matrimonia enim senum & sterilium valida sunt, ut patet ex usu. nam etsi isti non possint habere filios, qui est finis vltimus matrimonii salvatur tamen in eis finis proximus, scilicet usus matrimonii. D. Th. loco cit. ad 3 quo usu concupiscentia sedatur & est inter eos vera traditio corporum, & obligatio ad actus matrimoniales. item emittunt semen ex natura sua prolificum, quàmvis ex accidentali frigiditate ineptum.

Secus

Secus de spadonibus dicendum, qui etsi penetrent vas fœminæ, quia tamen non emittunt semen ex natura sua prolificum, sunt inhabiles ad matrimonium. accedit Bulla Sixti V. edita anno 1587. declarans matrimonium spadonum cum quibusvis mulieribus sive scientibus, sive ignorantibus, esse nullum.

Dico 10 Si fœmina ita sit arcta, ut sine miraculo aut arte magica, aut sine mortis periculo non possit aperiri, est inhabilis ad matrimonium juxta c. ex literis de frigidis & maleficiatis. Secus sentiendum si industria medicorum aperiri potest, ad quod ipsa tenetur secundum DD. etiam cum gravi dolore, non verò cum gravissimo. Fœmina quæ recipit semen, etsi non possit illud retinere, erit habilis ad matrimonium, nec ipsa, nec vir accedens ad eam cum tali periculo, peccant mortaliter. Bonac. q. 4. de Mat punc. 6. n. 18. isti enim, sicut & steriles faciunt, quod in se est, etsi ex aliquo accidentali impedimento, semen effundatur, & non sequatur generatio.

Dico 11. Si constat impotentiam esse perpetuam, non expectandum, sed mox dissolvendum matrimonium. nec licet osculis vel tactibus vacare. Si dubitatur conceduntur tres anni, quibus possit vti vxore & spe ad nitendum. C. laudabilem de frigid. & malef: Attamen si sic nitentes certificantur de impotentia perpetua, non licet vlterius niti. eò quod, vel hæc impotentia, tandem successu temporis cognita, præcessit matrimonium, & sic matrimonium est nullum, quare habens hanc nequit vlterius niti. vel est subsecuta matrimonium, & sic etiam non licet vlteriùs niti. poterunt tamen hi, in quibus post matrimonium est subsecuta impotentia se libidinosè tangere & osculari sine periculo tamen pollutionis, Bonac. loco cit n. 17. & Dela Cruz a. 7 c. 2.

Dico 12. Impotentia orta ex maleficio & ligamine dæmonis si sit perpetua & antecedat matrimonium dirimit illud. Secus si sit temporalis ad quod expendendum conceduntur tres anni, juxta C. laudabilem de frigidis & maleficiatis. Nota, si maleficium sanetur per remedia hæc, ut per confessionem, lacrymas eleëmosynas, orationes, exorcismos, signum est matrimonium valuisse. cùm impedimentum sit ablatum per media ordinaria contra incursus dæmonum, quòd si maleficium sit ablatum per miraculum vel arte dæmonis signum est matrimonium non valuisse, & sic isti possunt cum aliis contrahere secundùm D. Th. loco cit. a. 2. ad 3.

Dico 13. Hermaphroditus in quo prævalet vnus sexus, potest matrimoniũ inire juxta sexum, qui in ipso prævalet, vnde si prævalet sexus virilis potest contrahere cum fœmina. quia censetur esse illius sexus, qui in eo prævalet. Et sic matrimonium est invalidum si celebretur juxta sexum inferiorem quare si sexus virilis prævaleat & fœmineus sit inferior, invalidè contrahitur cum viro eò quod censetur contrahi matrimonium cum persona eiusdem sexûs Hermaphroditus in quo sexus est æqualis, secundùm quem voluerit, poterit cõtrahere matrimoniũ.

Factâ tamen semel electione sexûs, & contracto semel juxta illum statum matrimonio, non potest mortuo conjuge mutare electionem, nam variaret electionem

ctionem in re grauissima, cùm sit valde indecens, vti modo hoc, modo altero sexu. Si tamen contraheret, validè contraheret, etiam facto juramento non variandi sexum. quia nullum jus tale matrimonium irritat. Nota, quinam sexus prævaleat, pertinet judicare ad Medicos, vel ad matronas peritas. In dubio ferendum est judicium ex ipsius hermaphroditi assertione. nullus enim meliùs valet discernere. Caveat tamen Parochus assistere illius hermaphroditi Matrimonio in quo sexus æqualis, donec hermaphroditus coram judice Ecclesiastico cum juramento protestetur quem sexum sequi velit. cum enim hæc pertineant ad forum externum non debet Parochus se ijs immiscere. antequam hæc peragantur coram judice Ecclesiastico. Bonac. quoad omnes partes cum aliis DD. q. 3. de Matrim: puncto 13. a. 26.

Dico 14. Amentia sequens matrimonium non dirimit illud. cùm sit indissolubile. secus dicendum est de amentia omnino tollente vsum rationis & antecedente matrimonium. cùm sic non habeatur consensus pro matrimonio necessarius. si tamen aliquis habens lucida intervalla, tempore lucidi intervalli contrahat valet matrimonium, erit tamen peccatum mortale si sic amentes contrahant: Imò si sola fœmina sic amens contrahat, ob periculum abortûs. nisi aliàs sit sterilis. Et tales interdicendi sunt ab vsu matrimonij ob periculum abortûs & educationis prolis.

Dico 15. Matrimonium puerorum ante 14. annum & puellarum ante 12. regulariter est nullum, ex defectu plenioris vsûs rationis pro Matrimonio requisiti. Et hoc tempus taxatur in jure. Quod si aliquis ante dictos annos pubertatis habeat sufficientem vsum rationis & naturæ vigorem, & contrahat sine Papæ dispensatione, valet Matrimonium juxta D. Thomam, in Supp. q. 58. a. 5. peccat tamen mortaliter. Nam in matrimonio contrahendo non debet attendi tempus sed an conjuges concipere possint & generare. Sufficit prædicta ætas, scilicet in puero 14. & puella 12. annorum, etsi protunc non habeant actualem potentiam coëundi, sed processu temporis habebunt. Nam potentia actualis coëundi non est de essentia Matrimonii. Expectandum tamen est vsq; ad annum 18. ut judicetur an sit perpetua impotentia. Sa V. Matr. n. 7. ex Sylvestro.

Dico 16. Si Parochus sciens matrimonii impedimentum ex confessione, rogetur assistere matrimonio, non habendo aliud remedium assistat. nam majus malum esset confessionis revelatio, quàm talis matrimonii invalidi permissio. Vide D. Th. in Supp. q. 11. a. 1. ad 1.

DISTINCTIO XC.

De Impedimentis dirimentibus matrimonium iure *Ecclesiastico.*

Dico 1. Servitus nota non dirimit matrimonium, sed ignorata. immo si servus contrahat cum serva putans liberam, valet matrimonium. S. Th. in Supp.

q. 52.

q. 52. a. 1. ad 1. cùm ambo ſint ejuſdem conditionis, & nulla interveniat injuria. Servitus etiam matrimonio ſuperveniens non dirimit illud. Vir enim abſq; conſenſu vxoris poteſt ſe ipſum in ſervum vendere. cùm ſit mulieris caput, ſolùmq; ei in ſpectantibus ad matrimonii actum ſubdatur. S. Th. loco cit. a. 3. peccat tamen vir ſine magna neceſſitate hoc faciens. cum ſic graviter vxorem conturbet. Nec dirimit ſervitus matrimonium invito Domino contractum. nam matrimonium eſt de jure naturali & Divino, ſervitus de jure poſitivo. jus autem poſitivum non præjudicat juri naturali & Divino. S. Th. cit. a. 2.

Dico 2. Cognatio eſt triplex. carnalis quæ eſt conſanguinitas vel affinitas. ſpiritualis & legalis. Conſanguinitas eſt propinquitas duarum perſonarum, quarum vna ab altera. vel ambæ ab eadem carnaliter deſcendunt. Affinitas eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula, aut ex eius poteſtate proveniens. per vltimam particulam denotatur affinitatem, etiam cauſari ex matrimonio rato non conſummato. Alii negant ex matrimonio non conſummato oriri affinitatem. pro ſe citant declarationem ſacræ Congr. & ſolùm vocant hoc impedimentum publicæ honeſtatis dirimens matrimonium intra quartum gradum. per quod diſtinguitur ab impedimento publicæ honeſtatis orto ex ſponſalibus. Sed quæſtio eſt de nomine parum refert an hoc impedimentum affinitas vel aliter vocetur. hoc verum, quod intra quartum gradum dirimat, ut determinat Pius V. motu proprio, qui incipit ad *Romanum ſpectat*. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas perſonarum ex vera baptiſmi aut confirmationis collatione, aut ex baptizati vel confirmati ſuſceptione proveniens. Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum ex adoptione vnius ab altero proveniens. de his infra.

Dico 3. Duæ ſunt lineæ in cognatione naturali conſanguinitatis. vna recta, altera tranſverſa, eſt autem linea, ordinata collectio perſonarum ſanguine junctarum, linea recta eſt collectio perſonarum, quarum prima producit ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic conſequenter, veluti Pater, Filius Nepos &c. deſcendendo. & in hac conſideratione appellatur recta linea deſcendentium. nam ſi ab inferiori incipiamus ſurſum verſus, appellatur recta linea aſcendentium. Linea tranſverſa eſt collectio perſonarũ quæ ab eodem principio (ſtipitem appellant. DD.) carnali propagatione emanant. talis eſt collectio fratrum patruelium, qui ſunt fratrum nati. conſobrinorum, qui ſunt ex fratre vel ſorore matris nati. amitinorum, qui ſunt ex ſorore patris nati. Linea tranſverſa alia eſt æqualis alia inæqualis, linea tranſverſa æqualis eſt, quando duæ perſonæ diſtant eodem gradu à cõmuni ſtipite. v. g. duo filii, duo patrueles primi &c. Linea tranſverſa inæqualis eſt, quando duæ perſonæ diſtant à communi ſtipite inæqualiter v. g. Petri Filius & Patruus, hoc eſt frater Patris, ſunt in tranſverſa linea inæquali, quia à communi ſtipite hoc eſt ab avo diſtant inæqualiter.

Dico 4. In linea recta aſcendentium & deſcendentium, tot ſunt gradus quot perſonæ mediæ, numerando vnum extremum. hinc quia inter Patrem & Filium nulla mediat Perſona, Pater & Filius ſunt in primo gradu. Pater Filius,

nepos, sunt tres, sed quia duæ personæ mediant numerando vnum extremum, ideo avus & nepos sunt in secundo gradu lineæ rectæ. Proavus & pronepos sunt in tertio gradu. abavus & abnepos in quarto, tritavus, &, trinepos, in quinto Vel ut loquitur Moscicensis 2. p. Tyrocinii § 4 n. 45. numerentur omnes Personæ, infima, suprema, hoc est stipes & intermediæ tot ergo erunt gradus, & tanta distantia à communi stipite quot recensebuntur personæ, vnâ tamen dempta.

Dico 5. In linea transversa æquali, quo gradu vna Persona distat à communi principio seu stipite, eo gradu distant inter se. v. g. duo Fratres germani, quia cum Patre sunt in primo gradu, in eodem gradu sunt inter se. Item duo Fratres patrueles primi seu Nepotes, quia ab avo distant secundo gradu, eodem gradu distant inter se.

EXEMPLUM.

Pater	*&*	Mater.	
	Primus gradus.		
Petrus		Anna.	
	Secundus gradus.		
Agnes		Paulus.	Nepotes.
	Tertius gradus.		
Simon		Martha.	Pronepotes.
	Quartus gradus.		
Lucia		Thomas.	Abnepotes.

Dico 6. In linea transversa inæquali, quo gradu à communi stipite distat persona remotior, eodem gradu distant inter se. v. g. Petri Filius & Patruus, hoc est fratre Petri, sunt in secundo gradu. quia Petri Filius distat à communi stipite id est ab avo secundo gradu. Vnde distans à communi stipite quinto gradu licitè cótrahit cum distante ab eodem stipite, quarto, tertio, secundo, vel primo gradu.

EXEMPLUM.

Pater	&	Mater.
Petrus	*Hic & sequentes distant ab isto quarto gradu quia ipse distat à stipite quarto gradu.*	Anna.
Agnes		Paulus.
Simon		Martha.
Lucia		Thomas.

Dico 7. Consanguinitas in primo gradu lineæ transversalis, ut inter fratrem & sororem jure naturali dirimit matrimonium. In quo DEVS ab initio mundi cum Filio & Filia Adæ dispensavit. Et in hoc secundùm communem sententiam nequit

quit Papa dispensare. Consanguinitas verò in secundo, tertio, quarto gradu, lineæ transversalis, soli jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium. sicq; solos fideles obligat. Nec infideles taliter conjugati seperari debent si baptizentur C. de infidelibus de consanguineitate & affinitate.

Dico 8. Gradus affinitatis desumitur ex gradu consanguinitatis. Et sic tot sunt gradus affinitatis quot consanguinitatis. Quare Titius v. g. in eo gradu affinitatis est cum consaguineis vxoris suæ, in quo gradu consanguinitatis est vxor cum illis v. g. Titius in primo gradu affinitatis est cum sororibus vxoris suæ, quia vxor Titij est in primo gradu consanguinitatis cum illis.

Dico 9. Sola copula ex qua quantum est de se potest sequi generatio, etsi defacto non sequatur, causat affinitatem. Quàmvis claustra non rumpantur, sed aliunde semen habeatur. Quare copula spadonum non causat affinitatem sicut & Matrimonium eorum non est validum ut supra dixi. Matrimonium autem senum & sterilium causat affinitatem, sicut & matrimonium eorum est validum, quia ex eorum copula, quantùm est ex se, potest sequi generatio, licèt per accidens non sequatur.

Probabilitate non caret ad contrahendam affinitatem non sufficere semen virile, sed debet simul concurrere semen muliebre. Colligitur ex S. Th. in Supp. p. 55 a. 4. ad 2. vbi dicit. *Vir & mulier efficiuntur in carnali copula vna caro per commixtionem seminum. Vnde quantumcunq; aliquis claustra pudoris invadat & frangat nisi commixtio seminum sequatur non contrahitur affinitas.* Nam secundùm Hypocratem & Galenum in Summa Dianæ ver. Affinitas n. 7. relatos. semen muliebre est necessarium ad generationem. Igitur in hac sententia qui habuit copulam cum sorore vxoris suæ si hæc non seminavit, non contrahit affinitatem, & potest petere debitum. Vel si hoc fuit ante Matrimonium, non contrahitur impedimentum dirimens. Hoc certiùs est, quod non sufficiat semen mulieris ad causandam affinitatem. Bon. de Matrim: q. 3. punc. 12. n. 13. cum Paludano & aliis DD.

Dico 10. Affinitas orta ex matrimonio extēditur ad quartum gradum quàmvis matrimonium sit tantùm ratum, ut declarat Pius V. motu proprio. qui incipit, *ad Romanum.* Immo Bonac. q. 3. punc. 11. n. 11. idem docet contra Samuelem de Lub. V. Spons: n. 18. & Nau. licèt Matrimonium ratum sit invalidum, modò non sit invalidum defectu consensus. & præter communem sent: adducit declarationem Card. attamen non vocat hoc impedimentum affinitatis, sed publicæ honestatis vsq;ad quartum gradum. sed quæstio de nomine. Et sic qui contrahit sponsalia cum aliqua & deinde celebrat matrimonium cum eius sorore, non potest priorem accipere & sic nullam potest in vxorem habere. Affinitas verò ex copula illicita tantùm extenditur ad secundùm gradum, ex Trid. Sess: 24. C. 4. & sic maritus accedens ad consanguineam vxoris in tertio gradu, non privatur jure petendi debitum à sua vxore. Dela-Cruz q. 4. a. 5. n. 2. de Matr. Quia tamen hoc impedimentum affinitatis solo jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, in omni gradu affinitatis Papa dispensat, sicut dispensavit cum Casimiro Rege

Poloniæ,

Poloniæ, ut cum Ludovica Vxore fratris sui matrimonium iniret. Nec dirimit hoc impedimentum, nisi baptizatorum matrimonium. vnde fideles intra gradus affinitatis apud Christianos prohibitos cōjugati, separari nō debent, si cōvertantur.

Dico 11. Qui dedit causam affinitati privatur jure petendi debitum tenetur tamen ex justitia reddere, etiam tantùm interpretativè & implicitè petitus, quia alter conjux ob istius malitiam non debet suo jure privari. Quodsi ignoranter, v. g. vxor accessit ad consanguineum viri sui, non privatur jure petendi debitum, sine culpa enim non debet privari aliquis jure suo. idem dicas, si coacta, cum consanguineo viri rem habuit. Quodsi ambo conjuges dederunt scienter causam affinitati, privantur jure petendi, immo & reddendi. Bonac. loco cit. p. 12. num. 21.

Dico 12. Regulares privilegiati possunt dispensare cum conjugibus &c. V. additionem 5. in fine. f. 55. Nota, qui ignorat legem huius pœnæ, non petendi debitum in prædicto casu, non privatur jure petendi. Portell. in add. ad dubia Reg. V. ignorantia n. 29. & aliis

Dico 13. Consanguinei mariti non fiunt affines consanguineis vxoris, & consanguinei vxoris non fiunt affines consanguineis mariti, nullo enim jure potest probari talis affinitas. propterea duo fratres possunt ducere duas sorores. hoc tamen verum est, consanguinei mariti fiunt affines vxoris, & viceversâ. ob eandem rationem, potest filius ex alia vxore, ducere filiam vxoris Patris ex altero viro.

Dico 14. Titius v. g. qui habuit Bertham in vxorem, eâ mortuâ, potest ducere vxorem fratris Berthæ, mortuo fratre Berthæ. quia Titius factus est affinis consanguineis Berthæ, non vero factus affinis Berthæ. quia affinitas non parit affinitatem. Vxor autem fratris Berthæ non est consanguinea Berthæ, sed affinis consequenter Titius potest illam ducere mortuâ Berthâ, & eius fratre. Bonac. loco cit. n. 2. cum aliis DD.

Dico 15. Consanguinei & affines attentantes scienter matrimonium contrahere excommunicantur, sicut & Religiosi, Moniales, & sacris Ordinibus initiati. Qui tamen ex ignorantia, quàmvis vincibili, facit contra hanc legem, non excommunicatur, ut probat Led. C. 15. de mat. excommunicatur verò, si faciat ex ignorantia affectata. Qui etiam fictè contrahit, virtute prædicti decreti, non excommunicatur, quia in re ipsa non contrahit.

Dico 16. Ex sponsalibus causatur impedimentum publicæ honestatis, dirimens matrimonium in primo gradu lineæ rectæ & transversalis, hoc est nec matrem nec sororem sponsæ ducere potest, Trid. Sess. 24. Cap. 3. ratione cuius Sponsus accedens ad matrem aut sororem suæ sponsæ committit incestum etsi imperfectum. sed in confessione explicandum, Quodsi sponsalia fuêre nulla, ex quacunque causa, non contrahitur hoc impedimentum. ut declarat Trid. loco cit. moderando in hoc jus antiquum. Item sponsalia conditionata suspendentia consensum in futurum, ut si dicas, promitto te in vxorem ducere, si factis denunciationibus non sit impedimentum, non causant tale impedimentum. Secus dicendum

cendum dum impletur conditio, hàc enim impletâ incipiunt eſſe vera ſponſalia.

Dico 17. Inter baptizantem, baptizatum, eiuſq; parentes, inter baptizatum, patrinos, baptizatiq; parentes, contrahitur cognatio ſpiritualis. ex Trid. Seſſ. 24. C. 2. jus antiquum tollente, in quo iſta cognatio ad baptizati & patrini filios extendebatur. Per Sacramentum Confirmationis contrahitur ſimiliter cognatio ſpiritualis. Si non facta deſignatio Patrinorum ſive oblivione ſive negligentiâ, omnes tangentes realiter contrahunt cognationem. Si poſt deſignationem alii tetigerint, non contrahunt cognationem. Si plures fuerint deſignati, omnes contrahunt, ſi omnes tetigerint. Moſe. 2. p. Tyrocinii. § 4. n. 46. Hæc ſpiritualis cognatio non contrahitur inter Patrinos ad invicem ut declaravit. Pius V. in motu incipiente, *cum illius vicem.* nec tranſit à viro in vxorem, nec ad carnales patrini filios. quare poteſt aliquis accipere in vxorem filiam Patrini, aut etiam conjugem Patrini, Patrino defuncto. hoc patet ex Trid. loco cit. jus antiquum auferente, cui D. Thomas ante Trid. vivens conformabatur in Supp. q. 56. a. 4. & 5.

Vt Patrini hanc cognationem contrahant, neceſſarium eſt realiter puerum tangere quando actualiter baptizatur. ex declarat. Card. inſinuata à Dela-Cruz a. 6. n. 2. Vnde qui ſunt Patrini per procuratores hanc cognationem non contrahunt, ſed ſoli procuratores ſecundùm comm. Theol: & Canoniſtarum. Nec tamen omnes tangentes realiter contrahunt cognat. ſpiritualem. Nam tenentes puerum in baptiſmo neceſſitatis non contrahunt cognationem ſpiritualem. cùm Tridentinum loquatur de Patrinis in baptiſmo ſolemnitatis, dum ait, quòd Parochus interroget qui ſunt Patrini. Non baptizatus etiam, dato quod ſit Patrinus (cùm tamen eſſe non poſſit) non contrahit cognationem ſpiritualem. nam cùm ſit expers vitæ ſpiritualis, non poteſt ſpiritualem cognationem contrahere. non confirmatus vero, Patrinus confirmati, contrahit congnationem ſpiritualem, Sylv. V. Matr. n. 8. ſed an puer doli incapax, ſi ſit Patrinus contrahat hanc cognationem? negat. Navar. L. 4. Conſ. conſ. 2. & 3.

Dico 18. Cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur tempore matrimonii, non tollit matrimonium. ſed eum qui dat cauſam culpabiliter tali cognationi, privat jure petendi debitum. Quare ſi Pater baptizat filium in neceſſitate, quando alius non eſt qui baptizet, non privatur jure petendi debitum. cùm ſine culpa non debeat ſuo jure privari. Ex quo non inferas Patrem baptizantem filium ex fornicatione ſuſceptum, etſi non ſit alius qui baptizet, poſſe poſtea contrahere matrimonium, cum matre huius. Labat de Matr. dub. 7. §. 2. Dela C. a. 6. de Matr. n. 6. Qui etiam extra neceſſitatem baptizat filium, & ignorat inculpabiliter ſe per hoc contrahere cum vxore cognationem ſpiritualem, poteſt petere. nam non dat cauſam culpabiliter cognationi.

Dico 19. Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, ſeu filiam, vel nepotem &c. aſſumptio. Eſt duplex, vna perfecta, naturalem filiationem imitans, arrogatio dicta, per quam traducitur adoptatus in adoptantis poteſtatem, & ſuccedit adoptanti ab inteſtato, nec poteſt eum adoptans ſine culpa, quartâ hæreditatis parte priva-

te privare. & hæc adoptio fit tantùm principis authoritate. Alia quæ naturalem filiationem imperfectè imitatur, simplex adoptio dicta, quâ adoptatus in adoptantis potestatem non transit. vnde potiùs est quædam dispositio ad perfectam adoptionem. nec fit principis, sed v. g. Magistratûs authoritate, neq; adoptatus in bonis adoptantis succedit, nisi adoptans testamento ea relinquat. sic adoptari potest, qui non est sui juris. Nota, qui non est sui juris, vel est 25. annorum minor, aut mulier, nequit aliquem adoptare nisi ex speciali principis concessione. cum enim adoptio ad hæreditatis successionem ordinetur, solùm competit habentibus potestatem de hæreditate disponendi.

Dico 20. Ex adoptione perfecta contrahitur vinculum matrimonium dirimens, quod est cognatio legalis. Inter hos autem contrahitur cognatio legalis. 1. Inter adoptantem & adoptatum, filiosq; adoptati vsq; ad quartum gradum. 2. Inter adoptantem & vxorem adoptati & inter adoptatum & vxorem adoptantis. 3. Inter adoptatum, filiosque adoptantis legitimos. sed hæc tertia non perpetuò matrimonium dirimit, & solùm durat, dum alter eorum non emancipatur. S. Th. in Supp. q. 57. a. 3.

Dico 21. Primus casus in quo contrahitur impedimentum criminis est, si adulteri sibi invicem promiserunt de matrimonio contrahendo, post mortem alterius conjugis. & sufficit, sive hæc promissio præcedat, sive subsequatur adulterium, ut probat Fernandez de imped. Mat. sect. 5. Requiritur tamen quòd vterque istorum sciat interesse matrimonium. Item requiritur ut promissio sit seria & acceptata. Secundus casus. si vir & fœmina convenerunt ad occidendum conjugem, ut inter se contrahant, & defacto occidunt, oritur inter eos impedimentum dirimens, etiam nullo præmisso adulterio. Requiritur ut ambo communi conspiratione ad mortem concurrant. & satis est concurrere per se vel per alium, immediatè vel mediatè, præcipiendo, juvando, consulendo, non tamen sufficit ratihabitio ? Item satis est quovis mortis genere occidere, seu ferro, seu veneno, seu suffocatione, requiritur insuper, ut concurrant ad mortē animo sibi nubendi. Tandē requiritur quod mors sequatur ex vi machinationū adhibitarū, & nō à casu, aut alter. hæc omnia probat. Fern. loco cit. Tertius casus. si vnus conjugū occidat alterū conjugē animo cōtrahendi matrimoniū, etiam eo nesciente cum quo intendit contrahere, dummodo interveniat adulterium cognitum ab ipsis adulteris. Ad incurrendum hoc impedimentum requiritur, ut adulterans, sive per se, sive per alium, occidat eo animo, ut cum adultero contrahat, requiritur etiam quod vterq; istorum sciat interesse matrimonium. Vide Fern. loco cit. Quartus casus, si adulteri contraxerunt vivente innocente, dummodo vterq; adulter sciat, alterum conjugem superstitem. & sufficit adulterium subsecutum. Armilla V. Matr. n. 33. Bon. de Mat. q. 3. p. 6. n. 8. & hoc impedimentum currit, licet primum matrimonium fuerit tantùm ratum, & quoad habitationem separatum. Cand. aureum. n. 213. Duo hic sunt notanda. primum dicta, explicando præfatos casus, sunt vera, si primum matrimonium verum, & non solùm existimatum. 2. Hæc impedimen-

impedimenta criminis (& idem de aliis impedimentis) incurri, non solùm ab eo, qui habet notitiam eorum, sed etiam ab eo, qui ignorat hæc esse impedimenta, patet ex praxi. nam & pro his solet exigi dispensatio.

Dico 22. Matrimonium inter baptizatum & non baptizatam est invalidum, etsi post matrimonium alter eorum baptizatur. Immo si Christianus cum Catechumena credente contrahit, invalidum est matrimonium. Non autem est invalidum matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica, sed moraliter illicitum ut innuit. Mosc. 2. p. Tyr. § 4. n. 36 Sed Nau. Azor. & Sanchez relati in addit. Sa. n. 8. Non damnant mortalis matrimonium Catholici cum hæretica, vbi hæretici cùm Catholicis permixti vivunt. Si prædicta disparitas cultûs, quòd videlicet vnus sit baptizatus & alter non baptizatus. contingat post matrimonium, nō dissolvitur matrimonium. Matrimonium enim paganorum, non dissolvitur per hoc solùm, quod alter conjugum ad fidem convertatur, ex C. gaudemus, de divortio. Quod intelligitur, si matrimonium fuit contractum sine impedimento juris naturalis, licèt fuerit contractum cum impedimento juris canonici tantùm. Vnde potest conjux conversus ad fidem, cùm non converso habitare sine injuria creatoris. Dixi sine injuria creatoris. nam si conjux persistens in infidelitate nolit cum converso ad fidem habitare, nisi cum injuria creatoris, hoc est Deum blasphemando, eius laudes audire renuendo, conjugem ad fidem conversum scandalizando, ac seducendo, matrimonium etiam consummatum dissolvitur. S. Th. in Supp. q. 59. n. 5. tuncq; conversus ad fidem potest aliam vxorem ducere. Idem est, si conjux infidelis discedit, nolens cum conjuge ad fidem converso habitare. quod patet ex 1. ad Corint. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater.* idest liber manet à matrimonii jugo, ut communiter explicant.

Et quidem secundùm aliquos matrimonium statim ac infidelis discedit, aut cum alio habitare non vult, nisi cum injuria creatoris dissolvitur, Sed secundum S. Th. loco cit ad 2. non dissolvitur quousq; fiat aliud matrimonium, cuius signū est, si infidelis convertatur, qui fuit ad fidem conversus, nondum conjugatus, ad eum redire tenetur, idq; facere potest absq; novo consensu, & tunc contractus civilis matrimonii, elevatur ut sit Sacramentum. Quod si conjux ad fidem non conversus nimium distet ut requiri non possit, quid agendum? Sanchez putat nihil vltra requiri. nam moraliter certum est, quod nolit converti & domum relinquere. Pontius requirit dispensationem Summi Pontificis. In Summa Dia. V. imp. matr. n. 10. vtraq; opinio judicatur probabilis. Hic casus in partibus nostris facilè evenit, dum v. g. Turcæ vel Tartari baptizantur. Cæterùm si conjux præsens, ad fidem non conversus, velit pacificè sine injuria creatoris cohabitare alteri ad fidem converso, hic non potest aliud matrimonium inire. S. Th. loco cit, licèt possit liberè discedere à non converso ad fidem. Verba enim Apostoli 1. ad Corint 7. *Ego dico non Dominus si quis vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Consilium tantùm continent Supponitur

tur ergo posse conjugem conversum ad fidem, cum non converso habitare sine injuria creatoris, & periculo subversionis, aliàs non. Idem habet Samuel de Lub. V. matr. Bonac. tamen de Mat. q. 3. punc. 7. n. 6. putat in casu supra posito aliud matrimonium celebrari posse, & allegat aliquorum locorum consuetudinem, in quibus certum tempus assignatur, intra quod si alter non convertatur, fit separatio, in eandem sent. inclinat Mosc. loco cit. n. 25. nec tamen S. Th. contrariatur, sed praxi aliquorum locorum probabile fundamentum habenti favet.

Dico 23. Si conversus ad fidem recipiat sacros Ordines & vxor memor suæ salutis tandem convertatur, prohibetur cum alio matrimonium celebrare. si tamen solemniter profiteatur, vxor tandem ad fidem conversa, cum alio matrimonium contrahere potest, licet primum matrimonium in infidelitate fuisset consummatum, vtramq; partem probat. Bonac. de Matr. loco cit. n. 9.

Dico 24. Tunc vis dirimit matrimonium, quando vnus conjugum per violentiam aut metum injustum, in virum constantem cadentem, à causa libera illatum matrimonium contraxit etiamsi interiùs habuerit consensum. comm. DD. etiamsi juraverit. Bon. q. 3. de Mat. punc. 8. n. 16. etiamsi consummaverit Candel. aureum n. 215. citans S. Th. est autem metus in virum constantem cadens, qui virum animo fortem frangit, qualis metus est diuturni & sordidi carceris necis &c. in fœmina tamen ad metum in virum constantem cadentem, minùs requiritur. Validatur tamen Matrimonium, si ille qui antea fuit coactus, postea consentiat copulæ affectu maritali. Qui ergo contraxit per metum injustè incussum, & in virum constantem cadentem, non potest accedere ad mulierem, cum qua sic contraxit, licèt ei mors immineat. cum non sit sua, attamen ad evadendam mortem, potest accedere affectu maritali, & tunc validabitur matrimonium. nec erit necessaria nova Parochi & testium præsentia, ut ex dicendis patebit. nam non est intentio Ecclesiæ annullantis, matrimonia coacta, impedire illum si velit contrahere, cùm lex in favorem eius lata. Dixi *per metum in virum constantem cadentem.* nam matrimonium ex metu levi, quamvis injustè incusso contractum, secundùm communem sententiam valet, nisi desit consensus. quia qui ex metu levi operatur, censetur liberè operari. cùm posset metum deponere.

Et sic si puella metu reverentiali mota, consentit in matrimonium, valet. Vbi Confessarii notent pro puellis, sæpè enim parentibus, stante metu reverentiali dicunt, faciatis ut vultis, in quibus verbis licet non consentiant expressè ob verecundiam, consentiunt tacitè. Samuel de Lub. V. filius num. 7. secus est, quando puella propter timorem parentum, quem præcesserunt comminationes, verbera maledictiones & huiusmodi generis mala, consentit in matrimonium, tunc enim est nullum. Dixi etiam superius. *per metum injustè incussum.* nam metus in virum constantem cadens, iustè tamen incussus, non invalidat matrimonium, ut communiter DD. Vnde si juventus in stupro promittat matrimonium ne judici, & magistratui prodatur, valet matrimonium. quia justè prodi poterat. nisi hoc fine incuteretur metus accusationis, ut matrimonium contraheretur, tunc enim matrimonium

trimonium non valeret. Bonac. loco cit, n 10. Similiter, si matrimonium promittat ne occidatur. quia metus occisionis pro stupro injustè incutitur. Si etiam judex ei quem ad mortem, vel ad aliam pœnam grauem damnare debuerat, offerat in matrimonium filiam occisi, matrimonium non est invalidum. quia metus justè incutitur ad compensandum damnum. Non vero validum matrimonium, si judex promittat liberationem, ut filiam suam in vxorem accipiat, quia hoc non tendit ad compensationem delicti. Nota, secundùm Bonac. loco cit. n. 11. non justè cogitur stuprator, judici proditus ut eam ducat, quam consentientem defloravit, nisi alius titulus adsit, qualis titulus esset si ibi esset lex recepta, præcipiens contrahere matrimonium cum stuprata, vel si præcesserint sponsalia, vel promissio Matrimonii ut dicit Sanchez apud Bon. vel si involuntariè violata, ut dicit Bonac. loco cit addo, si quæ consentit, si impraegnata.

Dico 25. Parentes non possunt cogere filios ad contrahendum matrimonium, neq; ad tale matrimonium, cùm filii habeant plenam libertatem ad eligendum statum. vnde hac occasione non possunt exhæreditari. Possunt tamen Parentes mediis suasionibus, imò & increpatione paternâ absq; vi & metu, quando adest justa causa v.g. quia indignum est matrimonium, impedire tale matrimonium vel inducere ad aliud. Licet autem filii non possint cogi, tenentur tamen sub mortali, consilium parentum petere, & deinde sic consultis parentibus, inire matrimonium. quod placet. Nisi multum intersit, ut filius tale matrimonium contrahat. v. g. ad componendas graves inimicitias &c tunc enim sub mortali tenetur obedire parentibus, si nubere voluerit & non habet justam causam resiliendi Mosc quoad omnes partes loco cit. n 30. Pro meliori horum notitia, scias ex Trid. Sess. 24 cap 9. Excommunicari DD, temporales Magistratus, & alios jurisdictionem in foro exteriori habentes, si cogant sibi subditos ad contrahendum matrimonium. Aliqui hanc excommunicationem extendunt ad parentes cogentes, sed Bonac. loco cit. n. 34. cum communi DD. negat. immo negat extendi ad impedientes attento textu Tridentini. Moscicensis 2. p. Tyroc. §. 4. n. 31. extendit ad impedientes quod & alii docent.

Dico 26. Ordo sacer matrimonium antecedens, illud dirimit. insuper taliter matrimonium contrahens excommunicatur, & fit irregularis, ut refert Dela C. de Matrimonio a. 3. n 4. Ordo verò sacer matrimonio superveniens non dirimit illud, quamvis tantùm sit ratum, sicut dirimit professio solemnis, Bonac. de Matr. q. 3. punc. 4 n. 60. cum aliis DD. Idem censeo de voto à Patribus Societatis peracto biennio emisso, quod de susceptione Ordinis sacri, per se loquendo.

Dico 27. Si reclamante vxore vir ordinatur. quamvis id faciat matrimonio non consummato, manet irregularis etiam mortua vxore. Ita in extrau. antiquæ, de voto. Ordinis tamen susceptio valida. Tenetur in sententia probabiliori ait Ledesma apud Dela C. loco cit. intrare religionem ante consummationem Matrimonii. Si non ingreditur tenetur post duos menses reddere debitum petitus. Ita S. Th. q. 53. a. 4. ad 2. Ipse verò non potest petere, & petenti ait D. T. non te-

netur vxor reddere, nam recipiendo Ordines cessit juri petendi. Si vxor consentit ut vir ordinetur privatur jure petendi & tenetur vovere castitatem, immo si sit juvencula cuius castitas periclitatur tenetur religionem intrare Colligitur ex S. Th. loco cit. a. 4. ad 2.

Dico 28. Matrimonium clandestinum, hoc est in absentia Parochi & duorum testium contractum est illicitum & novo jure Tridentini nullum. Nec habet vim sponsaliorum. Mosc. loco cit. n. 32. Contrahentes tamen matrimonium sine Parocho & testibus quamvis consumment illud, possunt, si non obstat aliud impedimentum, sine dispensatione de novo in facie Ecclesiæ contrahere, illis tamen, & testibus sine præsentia Parochi, punitis. Nec obstant illa verba Tridentini *sint inhabiles ad sic contrahendum.* Nam non debet intelligi quòd sint absolutè inhabiles ad contrahendum, sed quod sint inhabiles ad contrahendum. clandestinè. Necessario ergo debet assistere Matrimonio Parochus contrahentium. Patet ex Trid. Sess. 24. cap. 1. vbi dicitur. *Qui alter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de Parochi vel Ordinarij licentia &c. contrahere attentabunt. sancta Synodus ad sic contrahendū inhabiles reddit & huiusmodi contractus nullos esse decernit.* Et satis est ut assistat Parochus, alicuius cōtrahentium etsi matrimonium celebretur in aliena parochia, ex declaratione Cardinaliū insinuata à Dela Cruz q. 3. de Mat. n. 7. Qui etiam ad aliquem locum divertit propter negotium intentionem habens manendi ibi majore parte anni, potest ibi contrahere. Bonac. de Matr. q. 2. p. 8. n. 3. cum aliis Doctoribus. Nam si potest ibi sepeliri & adstringi legibus, cur non poterit ibi matrimonium contrahere. Quod si Parochus sit ipso jure privatus beneficio, modò in judicio non fuerit illo legitimè privatus, validè assistit Matrimonio. Quia adhuc est Parochus cum titulo colorato, & errore communi vulgi, quæ autem fiunt ab aliquo cum titulo colorato, & errore communi, nec adest impedimentum juris naturalis vel Divini, sunt valida; etiam respectu illius qui scit verum titulum deesse. Et ob id validè assistit matrimonio cui non ex ani, mo, sed fictè, proprius Parochus dedit licentiam assistendi. Item cui datur licentia eo quod putetur esse Sacerdos licet non sit, quia adest error communis & titulus coloratus, nec adest impedimentum juris naturalis vel Divini. Hæc probat Bonac. loco cit.

Licèt etiam Parochus adesse cogatur, valet matrimonium. Nam Sacerdos nō est minister matrimonii, sed ipsimet contrahentes. quare non est necessarium ut assistat voluntarius. Idem sit judicium de testibus. Immo etsi Parochus affectet non audire, obstruendo aures, claudendo oculos, valet matrimonium. Item valet matrimonium celebratum coram Parocho aut eius vicario, etsi Episcopus prohibuisset aliquos matrimonio copulare. Pro his insinuat declarationes Cardinaliū Dela Cruz quæst: 3. de Matr. n. 9. Nec tamen Parochus est vnicus assistens Sacramenti Matrimonii, sed de licentia Parochi vel Ordinarii vel Vicarii Generalis potest alius Sacerdos assistere & non requiritur licentia in scriptis vel specialis ad istum actum sed sufficit verbalis generalis, ad omnia requisita pro officio Parochi,

nec

nec tamen sufficit præsumpta. Sed debet esse expressa, ut insinuat ex declaratione Cardinalium Dela-Cruz loco cit n. 7. quam dare potest Vicarius Parochi licet amovibilis habens facultatem administrandi Sacramenta & assistendi Matrimonio. Bonac. quæst 2. de Matr. punc. 8. n. 12. Parochus non Sacerdos potest dare licentiam aliis assistendi matrimonio: licet sit excommunicatus, suspensus irregularis, & non toleratus, immo Sacramentorum administratione interdictus. Manet enim in possessione dum Parochia non privatur. Ita Samuel de Lub. V. Mat. n. 15. cum aliis DD non obstantibus his quæ diximus. qui ex partibus, vbi Tridentinum est receptum, vadit etiam per modum transeuntis ad partes vbi Tridentinum non est receptum, validè ibi contrahit; licèt quandoq; peccet. Bonac. quæst. 2. p. 7. n. 2. possumus enim vti privilegiis regionis in qua sumus. nisi hoc fine aliquis vadat. Nam sic non contrahit, licet oppositum doceat Bonac. Pro nobis enim est declaratio Sacræ Congregationis anno 1628. insinuata in Summa Dianæ. V. Imp. matr. n. 28

Dico 29. Hi duo testes à Concilio requisiti debent esse rationis compotes, quicunq; illi sint, ut consanguinei, Religiosi fœminæ, infames secundùm Covarr. & sufficiunt etsi ad id non sint vocati. Immo etsi sint coacti, ut declaravit sacra Congregatio, Dela Cruz loco cit. n 6 Non sufficit tamen præsentia testium sicut & Parochi, physica tantùm, qualem habet dormiens, & surdus, sed requiritur moralis. ita ut assistant cum actuali advertentia, & de tali contractu fidem dare possint.

Dico 30. Inter raptorem & raptam; quàm diu rapta est in potestate raptoris, non potest esse matrimonium. Et raptor, auxiliantes, consulentes, favenres excommunicantur, manent perpetuò infames. Quod si sint Clerici de proprio gradu decidant. Et tenetur raptor, raptam decenter arbitrio judicis dotare, sive eam in vxorem ducat cessante raptu, & libertati restituendo, sive non. Trid. Sess. 24. c. 6. Nota. Raptum tunc propriè committi quando mulier vi rapitur ad matrimonium non verò si rapiatur ob aliam causam, etiam causâ libidinis. Sanchez. Et declaravit Sacra Congregatio, quam insinuat Summa Dian. V. impedimenta. Matr. n. 22. Si puella non vi rapitur nō est verè raptus, sed potius fuga, licèt hoc fiat invitis illis sub quorum cura manet, consequenter validè contrahitur matrimonium. Diana parte 3. t. 4. resolutione 261, & alii DD. Quia Tridentinum solùm respexit ad libertatem puellarum ne scilicet virgines nubere cogerentur. Hic autem nulla fit coactio. Item, si quis rapiat sponsam suam invitam, non committit verum raptum nec invalidatur matrimonium. si sponsa solùm contradicat raptui propter certos respectus, non vero contradicat matrimonio. Ita aliqui apud Bonac. de Matr. q. 4. punc. 18. n 11. à fortiori idem dicendum, si sponsa non invita rapiatur. Nec in tali casu licet Parentes sint inviti committitur verus raptus in jure Canonico ut habet. Bonac. ibidem, consequenter valide contrahitur. secus in jure Civili.

DISTIN-

DISTINCTIO XCI.

De modo occurrendi impedimentis.

DIco 1. Ad validandum matrimonium, quod est invalidum defectu consensûs interni, sufficit, si consensus de novo præstetur ab eo, qui consenserat fictè, modò ille qui verè consenserat non revocaverit suum consensum. nam ex parte vnius adsunt omnia ad contrahendum matrimonium. Ergo accedente consensu ex parte alterius nil deest. Ergo sic validatur matrimonium. Nec est necessarium in hoc casu dicere aliquid illi, qui verè consenserat, nec est necessarium aliquo signo externo exprimere consensum internum. Quia signum externum jam fuit exhibitum in contractu solemni, secus dicendum est quando, defuit consensus vtriusq; sic enim necessarius est consensus signo externo expressus, Bonac. de Matr. q. 2. punc. 9. n. 1. & seq. cum aliis quoad omnes partes. sed quantum temporis debeat effluere inter consensum præcedentem vnius conjugis & consensum novum alterius conjugis, ut censeatur validari matrimonium? Respondet Navarrus & Guttierez posse in tali casu validari matrimonium, licèt intercedat quodcunq; temporis spatium. Nam quantùm præstat ad naturam matrimonii materia & forma censetur esse simul moraliter, quamvis consensus alterius præstetur post multum temporis, modò alter non revocaverit suum consensum. Nota, securiùs esset in prædicto casu validari Matrimonium per consensum vtriusque, cùm Clemens VIII. responderit Rectori Romanæ Pœnitentiariæ Soc: IESV requiri consensum vtriusque si vnus fictè consensit. De quo in Summa Dianæ V. Matrim: n. 10.

Dico 2. Ad validandum matrimonium, quod fuit nullum, propter impedimentum dirimens, necessarius est post acceptam dispensationem, vel impedimenti cessationem novus vtriusq; consensus signo externo expressus, nec sufficit consensus illius qui novit impedimentum. Ita communiter apud Bonac. nam sicut à principio requirebatur consensus vtriusq; exteriùs manifestus, ita modo requiritur, cùm prius matrimonium perinde se habeat ac si nullo modo fuisset celebratum. Et sic quando matrimonium fuit invalidum propter impedimentum dirimens, tunc impedimentum obtentâ dispensatione, vel cessante impedimento, manifestandum est conjugi illud ignoranti, quando manifestari potest absque gravi periculo: secus, si commodè & absq; gravi periculo nequeat manifestari. Et hoc pacto intelliguntur clausulæ dispensationum, in quibus præscribitur conjugem admonendum de invaliditate matrimonii. Non enim credibile est obligare Summum Pontificem cum tanto incommodo. Nec tamen negandum est Matrimonium posse validari etiamsi impedimentum non manifestum, modo alter inscius impedimenti ita consentiat, ut dicat consentio quantùm possum vel quantum debeo. Quia positis his adest sufficiens consensus. Secus dicendum est, si conjux inscius invaliditatis prioris matrimonii intendat solùm ratificare præteritum Matrimonium quod credit esse verum, ut docet Bonac. loco citato n. 7. Nota licèt

ta licèt metus gravis ſit impedimentum dirimens, tamen quando matrimonium eſt invalidum propter metum gravem, ſolet doceri, quod ſufficiat illud revalidare per conſenſum vnius vel internum vel ut ſecuriùs externum v. g. accedendo vel acceptādo copulam affectu maritali, beneſpectatā ſaltem authoritate DD.

Dico 3. Quando impedimentum nequit abſque gravi periculo manifeſtari conjugi ignoranti illud, tunc ſic eſt procedendum, ſcilicet. Quando vir eſt lætus, mulier v. g. dicat ita te diligo quòd ſi non eſſemus conjugati, vellem de novo tecum contrahere, & dico me tecum matrimonium contrahere. & petat, à viro, ut in gratiam ſui eadem verba repetat; vel ſaltim aliquo ſigno oſtendat. Dela-Cruz de matr. q. 3. n. 5. Caveat tamen ne ante validatum matrimonium petat aut reddat debitum. Docent etiam aliqui, quando, impedimentū vni conjugum notum, non poteſt abſq; periculo manifeſtari, nec conſenſus extorqueri, quod fit, ſi vir non ſit hilaris, nec velit reſpondere, & ex alia parte petat debitūm, & vxor nequeat negare abſq; ſcandalo & ruina mariti, docent inquam, ſublato impedimento ſufficere, ut ipſa copulam habeat affectu maritali. ſed hæc ſententia probabilis eſt, ob auctoritatem DD. & non ob rationem ait Bonac. placet hîc apponere doctrinam Gabr. à S. Vinc. in ſumma Morali V. Matr. vbi hæc. nulla requiritur conſenſuum ſimultas. quia vno poſito ſemper cenſetur manere, quàm diu non retractatur, & ſic ſemper poteſt poni alter, exemplo aliorum contractuum. vnde ſi matrimonium fuit nullum ſive ratione conſenſûs ſive ratione impedimenti, non requiritur quòd conjux qui novit nullitatem moneat alium, ſed ablato per diſpenſationem impedimento conſcius nullitatis ponat conſenſum cùm alterius conſenſus manere cenſeatur. oppoſitum tamen probabilius. ita ille. ſed fuſiùs diſp. 3 de Matr. n. 17. & 19.

Dico 4. Vt validetur Matrimonium antea invalidè celebratum propter aliquod impedimentum dirimens, non requiritur ut de novo contrahatur coram Parocho & teſtibus etiamſi prius matrimonium fuerit mala fide celebratum. deſumitur ex praxi, ut ait Navar. in manuali cap. 22. n. 70. quod intellige modò impedimentum ſit occultum & ſublatum, nec ſit periculum ut probetur in judicio, & matrimoniū diſſolvatur in foro externo. Item, modò impedimentum ſit ignotum Parocho extra confeſſionem, & teſtibus, quando contrahebatur matrimonium. aliàs non poſſent teſtari de validitate matrimonii. A fortiori nō requiruntur benedictiones, quando ſublato impedimento revalidatur matrimonium. non loquor autem in reſolutione data de impedimento matrimonii clandeſtini, hoc enim revalidatur per præſentiam Parochi & teſtium.

Dico 5. Poſt notitiam impedimenti dirimentis contracto jam matrimonio, nec peti nec reddi debet debitum ſub mortali. cùm non ſint veri conjuges. Quo in caſu conſulat conſcius impedimenti Confeſſarium vel alium virum doctum quomodo ſe gerere debeat. Confeſſarius verò ſi prudenter putat ſe nihil profecturum propter maximam rei difficultatem non moneat ſed in bona fide relinquat. Moſc. p. 5. Elemen. ad ſacr. conf: de prudentia Confeſſarii n. 14. Cavtè

Nn autem

autem discurrat ne de invaliditate scrupulum ingerat. Est autem in præsenti bona fides quando impedimentum nescitur, licèt peccatum adulterii, vel alterius criminis præcesserit. quòd si Confessarius sperat se profecturum, debet monere vel etiam quantum potest dispensationem procurare, si autem pœnitens mala fide, hoc est sciendo impedimentũ dirimens, matrimonium contraxit, omnino Confessarius moneat. immo, si parva spes emendationis, non absolvat, ne malo statui pœnitentis cooperetur.

Nota, ut possit Confessarius cognoscere pœnitentem laborare ignorantiâ invincibili, & bona fide procedere, curet bono & prudenti modo intelligere, an pœnitens putet se in bono statu constitutum esse. Nam si putaret non in bono statu se constitutum esse, jam non laboraret ignorantiâ invincibili, nec bona fide procederet, & consequenter esset corrigendus. Cautè tamen Confessarius ut supra dixi discurrat, ne dubium aliquod ingerat pœnitenti, dum non adest spes emendationis. quando pœnitens saltim mediocriter suo objecto afficitur, ex alia verò parte non ponderat impedimentum, quòd maximè locum habet in rudibus. Item est difficilis aditus ad Papam vel Legatum, vel saltim ad Ordinarium loci. Hæc modo benè, & non primo, occurrente in confessione casu considera.

Dico 6. Papa dispensare potest in omnibus impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico introductis. Immo & Episcopus potest in foro occulto conscientiæ, si hæc simul concurrant. primò, si impedimentum sit occultum. secundò, si matrimonium sit publicum. tertiò, si separatio sit maximè scandalosa. quartò, si ad Papam vel ad alium, habentem potestatem, propter legitima impedimenta non adsit accessus. ita Candelabr. aureum cum aliis de Matr. circa fidem. Quod intellige modò matrimonium sit contractum bonâ fide, nam si contrahatur mala fide sciendo impedimentum dirimens, præsumitur Summum Pontificem in tali casu sibi reservare facultatem juxta Conc. Trid. Sess. 22. cap 5 quod vult sic contrahentes separari sine spe dispensationis obtinendæ.

Potest etiam Episcopus per se vel delegatum in vrgentissima necessitate dispensare in impedimento dirimente & antecedente matrimonium v. g. si jam parata sunt omnia ad nuptias nec adest alia via evadendi infamiam, vel suspicionem gravis delicti in confessione manifestati, ut docent aliqui apud Bonac. Alij tamen securius dicunt, posse Confessarium hoc remedio vti, ut sponsus voveat castitatem, v. g. ad mensem vel duos, deinde dicat se castitatem vovisse, mandatumque à Confessario à matrimonio abstinere, donec dispensatio veniat. Caveat tamen ne dicat se ad mensem tantùm v. g. vovisse, ne audientes asserant sufficere dispensationem Episcopi, sicq; remedium deludatur. Cæterùm si nullum periculum infamiæ vel suspicionis delicti, apertius procedatur & dicatur ut modo sit solemnitas convivii, deinde adveniente dispensatione matrimonium celebretur.

DISTINCTIO XCII.

De Divortio.

Nota.

NOta: Divortium est legitima vxoris & mariti separatio apud competentem judicem cum causæ cognitione & sufficienti probatione facta. Est duplex. Quoad thorum & quoad vinculum. quoad thorum contingit divortium quando habitatio vel conversatio mutua Conjugum ad tempus vel nulla temporis habitâ ratione interdicitur. Quoad vinculum, quando matrimonium secundùm substantiam suam in perpetuum rescinditur.

Dico 1. Tot modis solvitur matrimonium quoad vinculum, quot sunt impedimenta dirimentia & antecedentia matrimonium. Nam impedimenta sequentia contractum matrimonium non solvunt, cùm sit insolubile; sunt tamen nonnulla quæ solvunt matrimonium jam contractum. Sic professio solemnis emissa in religione approbata & non solus ingressus ad talem religionem solvit vinculum matrimonii contracti rati & nondum consummati. Conversio etiam ad fidem altero remanente in infidelitate secundùm superius dicta solvit vinculum matrimonii licet fuerit consummatum. Idem à fortiori de morte, vnde licet mortuus à mortuis resurgat, alter non manet obligatus nisi de novo contrahat. Quod & procedit de religioso mortuo, qui si resuscitetur, non tenetur ad observantiam Religionis.

Dico 2. Quando vnus conjugum fornicatur, non est faciendum divortium quoad vinculum. Matrimonium enim non dissolvitur per fornicationem vnius conjugum, ut determinatur in Trid. Sess. 24. c. 7. Nec obstat illud Matt. 19. *Qui dimiserit vxorem, & aliam duxerit, excepta fornicationis causâ, mœchatur.* Nam illa exceptio, solùm refertur ad dimissionem vxoris, ut docet S. Tho. in supplemento quæst. 62. a. 5. ad 4. solùm ergo potest vir dimittere vxorem, & vxor virum, ob fornicationem. *Nam frangenti fidem fides frangitur eidem.* Et sic, ut docet S. Th. art. 3. loco citato. si conjux scit etiam in secreto, alterum adulteratum esse, potest, nisi excommunicatione cogatur, ei debitum negare, quamvis non possit sine judicio Ecclesiæ ab eo separari quoad cohabitationem. G. Porro, de divortio. sed petere separationem, nisi aliàs adulterium, aut alia causa sufficiens pro divortio sit notissima. Dela Cruz de Matr. q. 5. n. 4. Nec solùm tunc, quando de fornicatione certò in secreto constat, licèt petere divortium, sed etiam quando suspicatio adest violenta, ut si inveniatur solus cum sola horis & locis suspectis. Ita S. Th. loco citato a. 3. ad 4.

Dico 3. Vir tenetur dimittere vxorem fornicariam, aliàs non pœnitentem, ne peccato eius consentire videatur, & favere incertitudini prolis. Et dimissio eius sæpe proderit ut corrigatur, ad quod tenetur vir, cùm sit caput. si ex dimissione subtrahantur necessaria viro pauperi & infirmo, aut subeat periculum incontinentiæ, & aliàs non sequitur incertitudo prolis aut scandalum, nec est spes emendæ, licèt viro sequatur infamia, non dimittatur.

Dico 4. In his casibus non licet viro adulteram dimittere. Primò, si ipse ante divortium, etiam insciâ vxore, fornicatus, quamvis post vxoris fornicationem, ut docet S. Thomas loco cit. a. 6. ad 5. Secundò, si vir vxorem prostituit, vel

vel ſcivit quòd adulteretur, & non prohibuit. Tertiò vxor probabiliter credens ſuum virum objiſſe alteri nupſit. Niſi ſcienter ſteterit cum ſecundo poſt adventum primi. Quartò, ſi latenter eſt ab alio cognita ſub ſpecie viri. Quintò, ſi fuit per vim oppreſſa. ſi tamen vel præcepto parentum, inſtantiâ conſanguineorum vel ſimili cauſa fornicetur, non excuſatur ut liberetur à divortio. Samuel de Lub. V. divort. n. 16. Sextò, ſi illam vir reconciliavit. Cenſetur autem reconciliare quod carnaliter ſponte & non ab Eccleſia coactus cognoſcat, & ſciens adulterium. Septimò, ſi tempore infidelitatis vir dedit vxori libellum repudii, & mulier alteri nupſit tunc ſi vterq; convertatur ad fidem tenetur vir vxorem recipere. Ex cap. Gaudemus de divortio. vide D. Thomas loco cit. a. 1. Addit Samuel de Lub. loco cit. n. 16. Caſum octavum ex Sylveſtro, ſi vir contra voluntatem vxoris abſtinendo præſtet adulterandi occaſionem. Non ſi prætextu alterius incommodi v. g. paupertatis, ſed Sà. V. divort. in 10. abſolutè docet, quod vir non poſſit dimittere vxorem cui dedit adulterandi occaſionem.

Dico 5. Sodomia activa vel paſſiva & beſtialitas, eſt cauſa ſufficiens divortii perpetui Bonac. q. 4. de *Matr.* punc. 5, n. 4. Nam per ſodomiam & beſtialitatem dividitur caro conjugis cum beſtia vel alio. Nec obſtat, quod in Tyrocinio artis pœnitentiariæ p. 2. § 4. n. 37. dictum fuerit ob ſolam fornicationem carnalem eſſe perpetuum divortium. hoc enim intelligendum eſt ordinariè. Quando peccatum quaſi ſodomiæ committitur cum propria vxore, non eſt cauſa ſufficiens divortii perpetui, quia non dividitur caro. Bonac. cum aliis loco cit. Tamen quando vxor ſollicitatur à viro ad tale peccatum diſcedere poteſt propter periculum animæ, donec vir reſipiſcat. Pollutio etiam extraordinaria cum alia vel cum propria vxore non eſt cauſa ſufficiens divortii perpetui, quia caro propriè non dividitur. Idem loco cit. n. 5. poteſt tamen eſſe cauſa divortii ad tempus, eò quòd ſit inductio ad peccatum. Iuxta dicta intelligendus eſt S. Thomas loco cit. a. 1. ad 4.

Dico 6. Divortii temporalis plures cauſæ aſſignantur. Prima cauſa eſt hæreſis. vnde ſi vnus conjugum perſiſtat in hæreſi divortium celebrari poteſt quàm diu perſiſtit. Immo tenetur conjux catholicus divertere ab hæretico nolente reſipiſcere, quod poteſt facere etiam propriâ authoritate. ſiquidem jure naturæ obligatur cavere proprium animæ periculum, quod hic imminet ex tam vicino hoſte. Nam ex nimia familiaritate cum quibus frequentes ſumus, peſſimi mores contrahuntur, Moſc. loco cit. in hoc & ſimili caſu non tam eſt divortium quam ſimplex relictio conjugis. ſecunda cauſa eſt ſævitia mariti. Et intelligendum eſt de ſævitia propter quam timetur grave aliquod malum, non verbera levia. ſiquidem eſt licitum viro vxorem verberare, non paſſim ex leviq; cauſa nec acriter, quamvis gravis cauſa per vxorem ſit data, ſed raro vrgenti ex cauſa atq; moderate. quia acris verberatio Iudici eſt relinquenda. Moſc. loco cit. n. 39.

Quodſi vxor injuſtè & graviter verberata, non tamen facto per judicem divortio diſceſſerit repetenti viro cuius ſævitiam veretur, non reſtituitur, niſi præ-

ſtitâ

ſtitâ cautione, quòd reſtitutæ nullam inferrat violentiam. Quæ cautio ſecundum. Bon. de Mat. q. 4. p. 5. n. 25. debet eſſe pignoratitia vel fidejuſſoria. Si ſpectatis nonnullis circumſtantiis non ſufficiat juratoria. Si verò tanta ſit viri ſævitia, ut vxori timenti de ſecuritate nequeat vllo modo provideri, tunc vſq; ad cauſæ deciſionem alicui probæ & honeſtæ mulieri committatur cuſtodienda. Tertia ſi vnus conjugum machinatur alteri mortem. Et ſufficit huius machinationis vehementiſſima ſuſpicio. Samuel de Lub. V. divort n. 9 Quarta, quando delictum vnius, eſt cauſa gravis damni alterius, ut quando vxor eſt venefica, graviter nocens familiæ maleficiis. Immo, licèt tantùm ſit venefica commercium habens cum dæmone, digna eſt divortio. Quinta, quando furia vnius conjugis ita eſt vehemens ut alter conjux cohabitando ſubeat periculum vitæ. ſed iſtæ tres cauſæ immediatè poſitæ, reducuntur ad ſævitiam. Sexta, quando vnus conjugum inducit alium ad quodvis peccatum. v. g. ſi in domum ſuam ducat parum pudicos, ſitq; ita incautus ut aliquo ex illis relicto exeat, ipſa verò ſollicitetur ab illo verbis, nutibus, aut tactibus. Maritus verò rogatus ab vxore ne eos admittat, negligat. Non tamen poteſt diſcedere à viro miniſtrante ei alimenta ex vſura, furtoq; acquiſitis rebus. Quia quando vxor aliundè alimenta non habet excuſatur iſtis parcè vtens juxta decentiam ſui ſtatûs, quamvis maritus efficiatur impotens ad reſtituendum injuſtè parta. Moſc. loco cit. n. 38. ſed ſi vir nollet deſiſtere ab vſuris & furtis, poſſet à tali diſcedere, ita aliqui à Sa tacitè relati. V. Divort. n. 5. licèt ipſe in oppoſitum inclinet. Has cauſas reducit Moſc. ad triplex crimen.

Dico 7. Vxor non poteſt recedere à marito propter morbum gallicum. nec ob lepram quæ etiam eſt contagioſa. præterea nec ob amentiam, niſi immineat ſibi probabile mortis periculum. Samuel de Lub. loco cit. n. 15 quoad omnes partes. Doctrina S. Thom in Supp. q. 64. a 1. ad 4. de lepra hæc eſt Vxor viro leproſo tenetur reddere debitum. non tamen tenetur ei cohabitare. quia non tam citò inficitur ex coitu ſicut ex frequenti cohabitatione & quamvis proles generetur infirma, tamen meliùs eſt ei ſic eſſe quàm non eſſe. hæc D. Th.

Dico 8. Conjux innocens. poſt divortium ritè celebratum, non tenetur recipere conjugem nocentem etiam correctum, & ſuppliciter veniam petentem. cûm jam nocens amiſerit jus. Etiamſi innocens poſt divortium fornicatus eſſet, ut docet S. Th. in Supp. q. 62. a. 6. ad 4. ad cavendum tamen periculum animæ & ſcandalum poteſt cogi à judice ut conjugem nocentem recipiat. Quando verò innocens revocat nocentem tenetur redire. S. Th. loco cit. ad 3. quia illa ſententia lata eſt in favorem innocentis, & ſic non debet eius juri præjudicare. Niſi nocens per divortium ſeparatus de licentia innocentis caſtitatem noviſſet aut religionem intraſſet. S. Th. loco cit. Ledeſma tamen cap. 29. de matr. nullam requirit licentiam. nam qui divortium fecit, eò ipſo ad tale votum licentiam dedit.

DISTINCTIO XCIII.

De Matrimoniali debito.

DIco 1. Conjuges tenentur sibi mutuò debitum reddere, etiam interpretativè & implicitè petentes, ut docet S. Th. in Supp. q. 64. art. 2. quare sine rationabili causa debitum negans mortaliter peccat, nisi alter remisse petat vel nolit negantem tam rigorosè obligare, Fundamentum conclusionis sumunt Theologi ex primæ ad Corint. 7. *Vir uxori debitum reddat.*

Dico 2. Conjuges sæpè à redditione debiti excusantur. Primò ob salutis periculum v. g. si fœmina in partu moreretur conceptâ prole. In dubio verò an debitum noceat saluti, non tenetur reddere. Secundò, si proli jam conceptæ, à fortiori si proli animatæ, periculum abortus immineat. animatur autem proles, si mas, post dies 40 fœmina post dies 80. Tertiò excusantur conjuges à redditione debiti, si mulier non habeat nutricem, fœcundata enim mulier lac amittit. Quartò, si multi filii, nec adest unde alantur. Quintò, si febri conjuges laborant, non autem si capite mediocriter, vel dente molari. Mosc. 2. p. Tyr. in speculo part. n. 25. Sextò, si statim post prandium petant. cùm copula tunc sit gravis detrimenti causa. Septimò, si unus ex conjugibus nimis frequenter petat vel formaliter ebrius sit. cùm tunc irrationabiliter petat. Octavò, lepra seu simili morbo laboranti non est obligatio reddendi debitum, cum periculo infectionis, nisi hic defectus notus fuisset ante contractum matrimonium, tunc conjux sanioris corporis cessit juri suo. Nec obstat, quod ex tali coitu generetur infirma proles. quia si conjugis infirmitas est perpetua, non sunt conjuges perpetuò privandi jure petendi & reddendi debitum ob prolis infirmitatem, cui meliùs est sic esse, quàm simpliciter non esse. Nonò, innocens si per excommunicationem, vel superioris præceptum compellatur habitare cum adultero per hoc non tenetur ad debitum. Samuel de Lub. V. divort. num. 11. Decimo, non tenentur reddere debitum ante duos induciarum menses finitos, neque ante nuptiales benedictiones deniq; si sit rationabilis causa negandi debitum. scias in his attendendam prolixitatem temporis, quo debitum negatur, periculum incontinentiæ, & causam ob quam debitum negatur.

Dico 3. Fœmina non peccat negando debitum, quando experta est se non posse filios in lucem vivos edere. Quia magnum vitæ periculum subit ex morte fœtus in ventre. potest tamen petere cum tali periculo ad evitandum grave periculum incontinentiæ. nam elegit minus malum ad vitandum majus. Bonac. de Matr. q. 4. p. 1. n. 14 cum Led. Vict. & aliis.

Dico 4. Accedere ad menstruatam est tantùm veniale secundùm Ca'et. V. Matr. & alios. menstruata non tenetur reddere. eò quòd non sit obligata reddendi, quando adest turpitudo ex parte actûs ut comm. docetur. est autem in præsenti turpitudo ex parte actûs Quod si menstruum est perpetuum, nec veniale est à tali petere, nisi grave vitæ periculum immineret, tunc enim etiam mortale esset ad menstruatam accedere.

Dico 5. Quidam dicunt, quòd unus absq; consensu alterius potest vovere quod non petat debitum, non autem quod non reddat. quia in primo uterq; est

sui

ſui juris, ſed non in ſecundo. ſed quia ſi alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium oneroſum redderetur, dum opporteret vnum, onus ſemper petendi debitum ſubire, & ideo alii probabiliùs dicunt, quod neutrum poteſt ſine conſenſu alterius vovere Hæc S. Th in Supp. q. 64 a 4. ad 3 Quæ doctrina non intelligitur de viro parum verecundo. Nota doctrinam S. Th. non contrariari dictis d. 89. §. Qui verò, cùm votum validè emiſſum, non tam facilè in toto ceſſet. V. dicta in 1. d. 15. conclus. 3.

Dico 6. Si ambo conjuges conveniant in vovendo caſtitatem, probabile eſt, ſi vnus petat debitum, alter non poſſit reddere, cùm renunciaverit juri petenti. ſed etiam probabile, ſi vnus petat, etiam implicitè tantùm, alter teneatur reddere. cùm per votum, etiam inconvenientia factum, neuter amiſerit jus ex juſtitia petendi. quàmvis ſic petens debitum, peccet contra votum. Bonac. q 4. de Matr. p. 3. n. 8. cum aliis DD. & idem, ſi vnus de alterius licentia emiſit votum de non reddendo debitum. Dela-Cruz q. 6. de matr. n. 2. & ſupra 2. præc. d. 9. conc. 2. & d. 10 conc. 3. per hoc enim non tollitur dominiũ quod habetur in corpus alterius. Hoc tamen ſecuriùs, qui conſenſit in votum vxoris, poteſt tuta conſcientia petere, ſi ſolùm permiſit eam facere, quidquid velit.

Dico 7. Si vterq; rationabiliter dubitat de valore Matrimonii, & nondum adhibitâ diligentia, non poteſt reddere debitum petenti, quia non habet jus petendi nondum adhibitâ diligentiâ. Bonac. loco cit. p 4. n. 7. Si adhibitâ diligentia poteſt & reddere & petere. Dela Cruz q. 3. n. 1. Dixi rationabiliter. nam ſi dubium parum fundamentale, judicio prudentis deponatur.

Dico 8. Si vnus conjugum illicitè petat ob ſolam circumſtantiam perſonæ, quia v. g. voto caſtitatis ſe obſtrinxerat, alter tenetur, & ex juſtitia, & ſub mortali reddere, hanc probat. Bonac. loco citato. p 3 n. 3. allegans comm. DD. idem procedit de ſene, ſterili, prægnante (licet multoties peccare poſſint venialiter tales petendo debitum) his enim ex juſtitia & ſub mortali reddendum. ſi illicitè petat ob circumſtantiam actûs, non eſt reddendum debitum v. g petit retro accedere, in vaſe tamen debito, & ſine periculo effuſionis. Arm. V deb. n. 6. & alii. niſi adſit neceſſitas, quia v g. pinguis. Sententia tamen Sanchez & aliorum etiam probabilis, quòd taliter petenti reddendum debitum, quia ſic reddendi debitum ordinariè eſt neceſſitas, cùm alias ſoleant oriri rixæ. An verò poſſit vxor licitè petere & reddere debitum Marito, qui ſolet in fine copulæ membrum extrahere, & extra vas ſeminare approbare vereor. nec obſtat, quòd petens vel reddens cooperetur actioni quæ ex ſe poteſt benè fieri. nam & ille qui Domino aſcendenti per feneſtram ad ſtuprandam virginem ſcalam tenet, cooperatur actioni quæ poteſt quantùm eſt ex ſe & genere ſuo benè fieri, mortaliter tamen peccat, ut determinat Innocentius XI. damnando propoſitionem 51.

Dico 9. Duobus modis poſſunt conjuges exercere actum Matrimonii ſine omni peccato, ſcilicet, ſi intendant prolem vel debiti redditionem. aliàs ſemper eſt ibi peccatum ad minus veniale S. Th. in ſupp. q. 49. a. 5. Sufficit autem hæc

intendere

intendere virtualiter ſeu implicitè. Quare convenire cum vxore ad cavendam incontinentiam, aut fornicationem in ſe, eſt veniale. S. Th. loco cit. ad 2. Dicit enim, ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic ibi eſt aliqua ſuperfluitas. & ſecundùm hoc eſt peccatum veniale. Nec ad hoc matrimonium eſt inſtitutum, niſi ſecundùm indulgentiam, quæ eſt de venialibus. Sic S. Th alii oppoſitum tenent, & taliter convenientem peccati venialis non damnant. Convenire tamen ad vitandam incontinentiam alterius conjugis, non eſt veniale. quia ſic eſt quædam redditio debiti. S. Th. Ibidem. Convenire etiam cum conjuge propter ſanitatem eſt veniale S. Th. loco cit. ad 4. à fortiori convenire propter ſolam delectationem eſt veniale S. Th. loco cit. art. 6. & Determinat Innoc. XI. dum hanc propoſitionem damnat. *Opus conjugij ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali.*

Dico 10. Peccant mortaliter conjuges, extra vas naturale, & legitimum copulam habentes, aut extra vas ſeminantes. Et quoties voluntariè impediunt conceptionem fœtûs. Tactus etiam & amplexus conjugum ſi ex eis ſequatur pollutio extra vas ſunt peccata. Quòdſi fœmina à parte ſuperiori maneat ſeu à latere accedat, non eſt mortale, niſi eſſet periculum effundendi ſeminis extra vas. Imò non eſt mortale ſecundùm Samuelem de Lublino & alios V. Debitum n. 4. Si vir etiam non vrgente neceſſitate, retro, ad vas tamen legitimum accedat, veniale, tamen graviſſimum docet Bonac. q. 4. de matr. punc. 13. num. 1. accedere etiam ad ſuam imaginando aliam, eſt mortale.

Dico 11. Si vir habens copulam cum vxore non ſeminet cùm poſſit pecat mortaliter. præcipuè ſi jam fœmina ſeminavit. nam tenetur perficere opus ſuum. Ledeſm. cap 9 de Matr. & alii. ex cauſa tamen vrgentiſſima poteſt vir relinquere imperfectam copulam, etſi fœmina jam ſeminaverit. Et eſt probabile, non peccare mortaliter eum qui non ſeminat quia valde debilitatur. Ledeſm. & alii. nam iſta copula licèt non aſſequatur finem principalem qui eſt generatio, vitat tamen fornicationem, quæ vitatio eſt finis ſecundarius. Vel ſi honeſtas ita ſuadeat v. g. quod aliquis interea ſuperveniat & hoc eſt probabile licèt alioquin ſecuta pollutio extra vas. cùm hæc pollutio non cenſeatur voluntaria, ſed præter intentionem ut docent aliqui apud Bonac. q 4. de Matr. punc. 10. num. 16. Docet etiam Arm. V. debitum n. 9. non eſſe mortale ſi incœpto coitu, vnus de alterius conſenſu deſiſtat ab actu; ſine periculo tamen pollutionis, in ſe & in alio.

Dico 12. Nullum tempus ſacrum impedit debiti redditionem. Arm. V. Deb. num. 10. cum Palud. licèt ſit bonum his diebus abſtinere. Magis tamen inconvenit die ante Euchariſtiæ ſumptionem vel ipsâ die ſumptionis exigere vel petere debitum ob Euchariſtiæ reverentiam, niſi alter conjugum nimis inſtet. tamen ſi fiat, non judicatur mortale à Theologis. Quòd autem Concilium Eliberitanum dicat hominem ante ſumptionem debere abſtinere à propria vxore tribus, quatuor, aut octo diebus, concilium eſt. Duo tamen præter alia ſunt, quæ

quæ conjugibus reverentiam erga hoc Sacramentũ inculcant. Primò si panes Propositionis ab his qui vxorem tetigerant comedi non poterant, quantò, magis panis ille qui de cœlo descendit. Secundo Regem Oza. 1. Paralip. cap. 13. manum suam ad DEI arcam extendentem, ne boum exorbitantiâ caderet, fuisse à DEO percussum, moxque exspirâsse, quòd nocte præcedenti vxorem cognoverit, ut affirmant expositores.

Dico 13. Si conjuges diu cogantur habitare in Ecclesia, nec extra ad coitum exire possint, non peccant tunc coëundo. Nec violatur Ecclesia, etsi talis coitus publicetur. Dela-Cruz q. 3. de sacrificio Missæ, n. 3. cum Sylv. & Victoria. Et minor necessitas requiritur ut res habeatur cum vxore, in locis Ecclesiæ adhærentibus, ut in loco turris vel cœmeterio. At si conjuges sine causa in loco sacro coëant, vtpote si possint exire ad coitum extra locum sacrum, aut si per breve tempus cogantur esse in loco sacro, & facilè possint abstinere à coitu ibi, peccant mortaliter peccato sacrilegii petendo & reddendo debitum, & violatur Ecclesia, si coitus publicetur. Dela Cruz cum Led,

Dico vltimò. Regulares privilegiati possunt dispensare ad petendum &c. V. additionem sextam in fine f. 55.



LIBER III.
DE CENSVRIS.
DISTINCTIO I.
De Censuris in Communi.



Ota. Censura est Ecclesiastica pœna, his, vel illis Ecclesiæ bonis privans. Iuxta Canonistas, tres sunt Censuræ. Excommunicatio, Suspensio, Interdictum. Excommunicatio est Censura Ecclesiastica, quâ homo Christianus communibus fidelium bonis privatur. Si est major, privatur omnibus fidelium bonis. Si minor, privatur passivâ receptione Sacramentorum. Hæc autem communia fidelium bona, sunt tria, scilicet exterior conversatio, quæ in mutuo colloquio & convictu consistit. Sacramentorum participatio. Tandem Orationes & suffragia Ecclesiæ. Suspensio, est Censura Ecclesiastica privans vsu Ecclesiastici officii aut beneficii. Pro officio intellige tam officium Ordinis, quam Iurisdictionis. Pro beneficio intellige, tam beneficia curata, quàm simplicia, atq; etiam dignitates, ut canonicatus &c. Interdictum est Censura Ecclesiastica privans aliquorum Sacramentorum ministratione & receptione, divinis officiis, etiam audiendis, sepulturâ Ecclesiasticâ & ingressu Ecclesiæ. His addunt Theologi irregularitatem, non ut irregularitas sumitur in tota sua latitudine, sed cùm habet rationem pœnæ. Est autem irregularitas impedimentum jure canonico introductum ad suscipiendos Ecclesiasticos ordines, aut ad susceptos exercendos.

Dico 1. Probabile est quatuor esse species Censuræ scilicet Excommunicationem, suspensionem, interdictum & irregularitatem, ut provenit ex mero delicto. Tres primæ partes conceduntur ab omnibus. Vltima probatur. Quia in multis Bullis, postquam concessa est facultas absolvendi ab excommunicatione, suspensione & Interdicto, subjungitur, & ab omnibus censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus verbis non potest aliud significari, quàm irregularitas, nam tres communes censuræ jam præmissæ sunt. Accedit, quòd irregularitati ex mero delicto provenienti conveniat definitio censuræ superiùs allata. Ex quo patet Irregularitatem sic sumptam taliter posse definiri, scilicet. Est Censura Ecclesiastica privans suscipiendis vel exercendis Ecclesiasticis Ordinibus. Privans inquam Ordinibus ut talibus, nam suspensio privat ut sunt officia.

Dico 2. Mulier jure Divino est incapax ferendi censuras, cùm sit incapax jurisdictionis spiritualis, etiam ex commissione ut docet D. Thom. in supplemento q. 19. a. 3. ad 4. Vir verò carens primâ tonsurâ ex solo jure Ecclesiastico est incapax ferendi censuras. Et idem est de vxorato, quàmvis minoribus initiato. Et sic istis à solo Papa potest committi facultas ferendi censuras. Dico

Dico 3. Soli habentes iurisdictionem ordinariam Ecclesiasticam in foro externo possunt ex officio & propriâ auctoritate ferre censuras; sive istam jurisdictionem habeant à jure sive ex privilegio, sive ex consuetudine, sive à Papa immediatè. Cuiusmodi sunt Episcopi & eorum Vicarii Generales, & alii habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Prælati Regularium, etsi non sint Sacerdotes. Et prædicti possunt delegare suam auctoritatem ad ferendum censuras subjectis aliàs de jure capacibus, utpote initiatis primâ tonsurâ aliàs non vxoratis Dela-Cruz a. 1. de Cens: dub. 3.

Dico 4. Peccata externa etiam secreta possunt puniri censuris latis per modum legis. Percussor enim Clerici occultus, & hæreticus, qui aliquo signo sufficienti etiam occultissimo protulit hæresim, sunt excommunicati. Dixi *censuris latis per modum legis*. Nam peccator externus, sed occultus, & sine testibus, non potest in particulari & nominatim puniri censuris latis ab homine. Nam hoc esset cogere eum censuris, ut revelet crimen suum, quod est contra jus naturale.

Dico 5. Ecclesia non potest punire censuris peccata purè interna. Ita commun. Nam ista non cadunt sub hominis cognitione, ut sic puniantur. Nec obstat, quòd excommunicatur, qui aliter, quàm Ecclesia sentit de Sacramentis, tamen sentire est actus purè internus. Non obstat inquam, nam similes censuræ non incurruntur per opus internum, nisi hoc signo aliquo manifestetur. Nec etiam obstat, quòd Papa possit reservare peccata purè interna. Nam reservare peccata pertinet ad forum internum, & ferre censuras pertinet ad forum externum Ecclesiæ.

Dico 6. Probabilis est sententia aliquorum, quos tacito nomine refert summa Dianæ. V Censura quod nulla censura etiam irregularitas incurratur propter culpam venialem. quia de pietate Sanctæ Matris Ecclesiæ non est credendum, quod velit culpæ levi pœnam gravem imponere. vnde quoties ob ignorantiam aut impotentiam excusamur à peccato mortali, aut à circumstantia, cui est imposita aliqua censura, excusamur etiam à tali censura. Nam vbi non est culpa, non justè infligitur pœna. Ex quo sequitur, si occidisti hominem ignorando invincibiliter esse Clericum, non incurristi excommunicationem.

DISTINCTIO II.

De Excomminicatione Minori.

DIco 1. Excommunicatio minor privat sub mortali sumptione Sacramẽtorum, ut habet communis sententia cum D. Thom. Quòd si excommunicatus excommunicatione minori celebret non fit irregularis. Item excommunicatio minor privat electione passivâ, collatione & præsentatione ad dignitatem seu beneficium Ecclesiasticum. Sic excommunicatus scienter acceptans electionem, & scienter illum (utpote inhabilem) eligentes peccant mortaliter. ita etiam commun, Vtrùm verò excommunicatio minor privet sub veniali administratione Sacramentorũ, negat Bonac. cum aliis,

Dico 2. Incurritur excommunicatio minor ob communicationem prohibitam cum excommunicato non tolerato. Aliquando tamen incurritur excommunicatio major communicando & participando cum excommunicato non tolerato. *Primò*, si præsumis scienter sepelire publicè, excommunicatum non toleratum. Quæ excōmunicatio incurritur à solo sciente & præsumptuosè sepeliente non verò, à jubente, consulente, aut faciente, nec ab ignorante etiam vincibiliter. Led. c. 7. de excommunicatione. *Secundò*, si participes scienter in crimine cum jam excommunicato nominatim, v. g. si Bertha excommunicatur ob concubinatum cum Petro, Petrus cum ea fornicando eandem excommunicationem incurrit. Et idem est de faventibus, auxiliantibus, consulentibus pro tali crimine. Alios casus V. apud DD.

Dico 3 Sicut Sacerdos non expositus pro Confessionibus potest absolvere à venialibus, ita potest absolvere ab excommunicatione minori, quæ incurritur ob participationem venialem cum excomm. non tolerato. Arm. V. absolutio n. 38. & alii. Ab excommunicatione tamen minori, quæ incurritur ob participationem mortalem, nequit absolvere non expositus. Armilla loco citato.

DISTINCTIO III.

De divisione Excommunicationis maioris.

AGendum priùs esset de Excommunicationis majoris natura, sed quia hæc in effectibus relucet, ideò ibi examinabitur. Præmittimus tamen definitionem. Definitur ergò à Dela-Cruz Est censura Ecclesiastica privans externâ communicatione fidelium tàm in civilibus quàm in divinis, & communibus Ecclesiæ orationibus & suffragiis. Ab hac, non differt anathema quoad vinculum, sed quoad solemnitatem. cuius forma describitur in jure. hoc solus Episcopus fulminat.

Dico 1. Excommunicatio major alia est à jure, alia ab homine A jure est, quæ per aliquod statutum, vel constitutionem fulminatur. Ab homine est, quæ per aliquem judicem fertur. Vtraq; aut est ipso facto, ut est comminatoria. Excommunicatio ipso facto est, quæ statim abſq; alterius sententiæ expectatione incurritur. Comminatoria est, quæ non statim incurritur, sed expectat judicis sententiam.

Quæritur, vnde agnoscitur, esse excommunicationem ipso facto, & esse comminatoriam. ℞. Si tradatur sic, sit excommunicatus, habeatur pro excommunicato, tunc est excommunicatio ipso facto. Si autem tradatur sic. sub pœna excommunicationis vel sic excommunicetur. &c. tunc est comminatoria.

Quæritur 2. Quæ adhuc est differentia inter excomm. à jure & ab homine! ℞. Excommun. à jure durat etiam post mortem judicis, dum jus ipsum durat. Posita autem ab homine cessat cessante vitâ vel officio judicis, si tamen ante mortem vel finem officii incurritur, durat. Secunda differentia Ab excomm. à jure & non reservata potest quilibet expositus absolvere, non verò ab excomm.

lata

lata ab homine. alias differentias V. apud Fernandez de Excommun. §. 1.

Dico 2. Excommunicatus excommunicatione majori alius dicitur toleratus alius non toleratus. Ex Concilio Constantiensi solùm tenemur vitare in Divinis, aut civilibus notarios Clericorum percussores, ita ut hoc factum nullatenus possit celari vel excusari. Et nominatim publicè excommunicatos seu denuntiatos nomine proprio, vel saltem officii. Vitandi appellantur non tolerati.

DISTINCTIO IV.

De Effectibus Excommunicationis Majoris.

DIco 1. Excommunicatus privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, ita ut publicas orationes non liceat pro eo fundere, aut celebrare nomine Ecclesiæ. nam nomine particularis personæ possunt quæcunque, orationes pro excommunicato offerri, etiam in momento Missæ, cum in Missa non desinat Sacerdos esse persona privata. Hæc procedunt de excommunicato non tolerato. nam pro excommunicatis toleratis licet publicè orare & sacrificia offerre, ut probat summa Dianæ V. Excomm. Debent tamen suffragia specialiter tunc applicari, cùm Ecclesia excommunicatum ab eis quantum est ex se excludat.

Dico 2 Probabilis est sententia, si excommunicatus non toleratus per contritionem justificetur, suffragia Ecclesiæ illi prosunt, etiam ante obtentam absolutionem ab excommunicatione. Ita Faber in 4. dis: 25. disp. 4. c 4. dub. 151. Nam Ecclesia non intendit suis suffragiis eum privare, qui Deo reconciliatus est. pariter, si per excommunicatum non stat ut absolutionem obtineat, fruitur communibus Ecclesiæ suffragiis. Hoc enim suadet materna benignitas Ecclesiæ.

Dico 3. Privatur adhuc excommunicatus Sacramentis, tam activè quàm passivè, ita ut nec Sacramenta ministrare nec suscipere absque peccato mortali possit. Et hoc verum est tam de excommunicato tolerato, quàm non tolerato. Toleratus tamen potest ministrare Sacramenta, si à fidelibus petatur. Hinc potest sacrum facere die festo, ut subditi satisfaciant præcepto, si id requirant. Quod deducitur ex Concilio Constantiensi in quo absolutè conceditur fidelibus communicare cum excommunicatis toleratis.

Dico 4. Excommunicatus, etiamsi sit tantùm toleratus, ministrando in Ordine majori suscepto, seu illum recipiendo fit irregularis. Non, si ministret aut recipiat Ordines minores. Et ministratio hic vetita, est, baptizare solemniter &c. dicere solemniter ex officio Epistolam &c. dicere collectas in choro ex officio ut hebdomadarius, benedicere solemniter aquam, fruges &c Non tamen baptizare sine solemnitate, aut canere litanias &c. cùm hæc non requirant ministrum Ordinis. Hoc probat Dela. Cruz partim ex jure, partim ex DD.

Dico 5. Item excommunicatus privatur exteriùs, quibusdam bonis communibus, hoc versu contentis. scilicet.

Os, orare, vale, Communio, mensa negatur.

Per ly *os* denotatur prohiberi conversationem quovis modo, verbo, signo, scripto factam. Per ly *orare* denotatur prohiberi, simul interesse Divinis. Per ly *vale* denotatur prohiberi salutationem, honoris exhibitionem aperiendo caput, donorum missionem, &c. Per ly *Communio* prohibetur civilis contractus. Tandem per ly mensa prohibetur simul in vna mensa comedere, in vno lecto dormire, non tamen prohibetur in vno cubiculo habitatio, si habitent tanquam alieni habitatores, ut docet Innoc. apud Fern. de Excomm. §. 12. Hæc inquam prohibentur cum excommunicatis non toleratis.

Dico 6. Si dum Missa celebratur intret excommunicatus non toleratus, & nolit exire, astantes Missæ tenentur sub mortali exire, cum ne eo cõmunicent, & Sacerdos cessare tenetur, si non incœpit canonem. Aliqui tamen relati in summa Dianæ dicut, tutiùs esse etiam incœpto canone relinquere Missam, si nondum sit peracta consecratio.

Hoc intelligendum de existentia excommunicati ut audiat sacrum, non verò si ibi sit exercendo suam artem aut sedens aut dormiens in angulo. Sicut etiam quando dicitur non debere communicare in oratione, intelligendum de oratione communi, nam potest excommunicatus etiam in Ecclesia privatim orare, cum aliis privatim orantibus.

Dico 7. Excommunicatus etiam si sit toleratus, non potest eligi vel præsentari ad beneficium Ecclesiasticum. Quod si ante acceptationem incurrat excommunicationem, peccat quidem acceptando, valet tamen acceptatio. Nam jura solùm irritant electionem & collationem factam excommunicato sed non acceptationem, quæ nulli jus novum confert. Item talis non est capax, ut eligatur ad dignitatem Ecclesiasticam, imò nec sæcularem v. g. in Regem Ducem &c. Quæ omnia vera sunt etiamsi excommunicatio inculpabiliter ignoretur ab electo aut eligente.

Sed petes, vtrum validetur præterita collatio beneficii, per absolutionem ab excommunicatione?

℟. Non, sed opus novâ collatione, hoc, & immediatè antecedentia probat Bonac. de Excomm. q. 2. puncto 4.

Dico 8. Excõmunicatus nõ toleratus, privatur executione suæ jurisdictionis, quare non potest eligere aut conferre beneficium Ecclesiasticũ. item nõ potest absolvere à censuris per se, vel per alterum, delegando tunc alteri jurisdictionem ad hoc. Secus dicendum est de jurisdictione data ante excommunicationem, quæ tunc non expirat. nisi aliàs excommunicatus iste non toleratus sit occultus. nam tunc sententia ab isto lata & collatio per eum facta valet, item absolutio à peccatis & censuris, ex dispositione Ecclesiæ ita pro bono communi ordinantis. Dixi, *Excommunicatus non toleratus*, nam si sit toleratus, etiamsi publicè sciatur, omnia quæ operatur ex jurisdictione Ecclesiastica, aut sæculari, ut collatio & electio ad beneficium valida sunt. cùm tales excommunicati ob bonum fidelium in nullo sint à fidelibus vitandi, ut patet ex Concil. Constantiensi.

Dico

Dico 9. Beneficiatus qui lapsus est in excommunicationem post beneficii consecutionem, non est privatus fructibus beneficii, neq; tenetur eos à se sponte abdicare, modò exequatur onera & officia beneficii, sive excommunicatus sit Curator animarum, sive sit Canonicus, sive habeat beneficium simplex. Bonac. referens alios de Excomm. q. 2. puncto 4. quod procedit de excommunicato tolerato, nam de excommunicato vitando aliter sentiendum. Idem Bonac. Hic tamen, ut alii pauperes, non privandus necessariis.

Dico 10. Mortuus in excommunicatione privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, & est exhumandus si jam sepultus. Hoc intelligendum de excommunicato denunciato, vel notorio Clerici percussore. Per quem stetit absolutio ab excommunicatione, mortuus tamen est in excommunicatione. Nam si Confessus in articulo mortis, vel contritus, hoc est dans signa contritionis externa obiit, absolvendus est ab eo, qui poterat excommunicationem tollere, & humandus in loco sacro. Si verò humatus est in loco profano, inde extrahendus.

Dico 11. Gesta per judicem excommunicatum non toleratum sunt nulla, sive sit judex spiritualis, sive sæcularis. Hinc judex spiritualis excommunicatus & non toleratus invalidè excommunicat. Gesta tamen per actorem excommunicatum & non toleratum, item per reum advocatum & procuratorem, licèt sint illicita valida tamen. Testimonium etiam excommunicati & non tolerati, tam in causa matrimoniali, quàm in alia causa validum est. Hæc & alia tradit. Bonac. de Excomm. q. 2. puncto 7. Item contractus civiles, v. g. emptionis, venditionis, &c. cum excommunicato non tolerato sunt validi, ut probatur in summa Dianæ. Ipse tamen excommunicatus, licèt sit toleratus non potest agere in judicio. Licèt enim non prohibeamur conversari cum excommunicato tolerato, ipse tamen se immiscere non debet, ut comm. docetur.

Sunt & alii excommunicationis effectus. quos apud Bonacinam q. 2. de Censuris & alios vide. Hi tamen duo non sunt prætereundi Primùs quòd durans pertinaciter in excommunicatione per annum, sit suspectus de fide. Secundus, quòd subditi non teneantur excommunicato servare fidem, etiam juratam, &c.

Quæritur. V. Excommunicatus recipiat aliquando validum Pœnitentiæ Sacramentum? R. Affirmativè. primò, si pœnitens confiteatur peccata, & excommunicationem, & Confessarius solùm absolvit à peccatis. Secundò. Si pœnitens ex ignorantia inculpabili non confiteatur excommunicationem. In his ergo casibus excommunicatus recipit Sacramentum & gratiam. Si excommunicatus ex ignorantia aut inadvertentia culpabili, non tamen crassa obliviscitur confiteri excommunicationem, peccat mortaliter ob negligentiam, nec recipit gratiam, recipit tamen Sacramentum Pœnitentiæ informe. Et sic dum postea confitetur, non tenetur repetere confessionem, sed censuram & negligentiam, & sic absolutus à tali censura & negligentia recipiet effectum præcedentis Sacramenti informis. Cajetanus V. absolutio & alii.

Adverte. Tunc dici negligentiam culpabilem & non crassam quando adhibita

hibita diligentia aliqualis, ſed non ſufficiens. tunc dicitur negligentia culpabilis craſſa, quando nulla adhibita diligentia.

DISTINCTIO V.

Qui Excommunicati vitandi & quæ culpa incurratur ex vtraq; parte converſando?

NOta. Ille dicitur nominatim declaratus & denunciatus excommunicatus, conſequenter non toleratus & vitandus, qui ut talis ſententiâ Iudicis declaratur contraxiſſe excommunicationem. Ad quod requiritur, ut nomine proprio exprimatur, aut apponantur alia ſigna quæ ſignificent illum eſſe excommunicatum, certè, & ſine omni dubio. Fern. ex jure, de Excomm. §. 14.

Dico 1. Solos notorios Clerici percuſſores. Item nominatim declaratos ſeu denuntiatos tenemur evitare in humanis tantùm ſub veniali, in Divinis ſub mortali. Cæteros verò etiam de quibus communiter ſcitur, quòd ſint excommunicati, quales ſunt hæretici, nec in humanis nec in Divinis tenemur evitare. Imò provocare ad hæc non prohibemur. patet jam ex dictis. Adverte. Hunc favorem non eſſe ex parte excommunicatorum, non enim ipſi ſe immiſcere poſſunt, ſive in humanis ſive in divinis. ſed ſemper tenentur abſtinere à communione fidelium, ut communiter notant Authores.

Dico 2. Qui eſt notorius Clerici percuſſor notoreitate juris tantùm hoc eſt, de quo eſt fama, vel eſt in judicio convictus, non eſt vitandus, ſed debet eſſe notorius notoreitate facti. Tunc autem reſpectu collegii ſeu viciniæ eſt notoreitas facti, quando coram decem percuſſit. Imò plures requiruntur reſpectu magnæ civitatis. Bonac. q. 2. de Excomm. punc. 1. quoad omnes partes. Et ſic Angelus V. Notorium docet. Si vicinia habet decem perſonas tantùm ad notoreitatem facti requiritur ut omnes ſciant. ſed ſententia Sylveſtri, ſufficere ſex (ſaltem reſpectu collegii &c.) eſt ſecurior. V. Lezanam in ſum V. Notorium. Scias ex Donato Laynenſi Publicè percuſſor &c. Vide in fine f. 56 add 7.

Dico 3 Excommunicatus, licèt ſit toleratus, peccat mortaliter ſe immiſcendo divinis v. g. ſi audiat Miſſam, adſit horis Canonicis in choro decantatis aliiſque cæremoniis ſacris ſolemniter, hoc eſt modo ab Eccleſia præſcripto factis. quia facit contra prohibitionem in re graui. Bonac q. 2. de Excomm. p. 3. immiſcendo tamen ſe in humanis ſolùm peccat venialiter, quia facit contra prohibitionem in re levi. Aliqui dicunt apud Bonac. p 6. excommunicatum toleratum non peccare mortaliter eligendo & judicando, ſupponendo quòd validè judicet. Secus eſſet ſi excommunicatus non toleratus in prædictos actus electionis, judicii & alios majoris momenti, ſe intromitteret.

DISTINCTIO VI.

In quibus caſibus licitum eſt converſari cum excommunicato non tolerato.

Caſibus,

CAſus, in quibus licèt converſari cum excommunicato non tolerato comprehenduntur hoc verſu *Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe.*

Per *Vtile* intelligitur omnis vtilitas ſpiritualis & temporalis. licet enim converſari cum excommunicato non tolerato dando ei victum, conſilium, imò hæc licet recipere ab eo, etſi alia verba miſceantur vrbanitatis causâ. Et ſic licet admittere excommunicatum non toleratum ad concionem audiendam.

Per *Lex*, intelligitur lex Matrimonii. nam licet conjugibus inter ſe invicem communicare. Quòd ſi mulier vel è contra, ſcienter cum excommunicato denunciato & non tolerato matrimonium contraxiſſet dicit S. Thom. in 4. diſt. 18. q. 2. a. 4. cum illo communicare non poſſet. quia contractus factus in excommunicationis injuriam, videtur non tribuere jus contra ipſam.

Per *Humile* intelliguntur ſubjecti, ut filii, ſervi, familiares, pupilli. Hi poſſunt converſari cum ſuis ſuperioribus non toleratis, quando manent in eadem domo & ſub cura eorum, ut advertit Corneio relatus à ſumma Dianæ. V Excommun. effectus. Et hæc converſatio ſeu communicatio poteſt eſſe etiam in divinis. proindè prædicti ſubditi poſſunt ſuperiores non toleratos ad ſacrum euntes comitari. Koninch loco citato in Summa Dianæ. Quod dicitur de filiis, ſervis, &c. reſpectu Patris, Domini &c. Idem dicendum de Patre & Domino &c. reſpectu filiorum, ſervorum &c. Quare cum filiis, ſervis &c. excommunicatis non toleratis, poteſt Pater, Dominus &c. communicare. Prælato, quàmvis tolerato obedire non tenentur Religioſi, ſicut & communicare ſeu converſari non tenentur, cùm nemo privilegio vti teneatur, aliàs eſſet onus. Villalobos.

Per *Res ignorata* intelligitur quod ignorantia excuſet à peccato converſationis cum non tolerato, & idem dic de inadvertentia. Imò ſi dubito an Petrus ſit excomm. non toleratus, poſſum cum eo participare. Nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Per *Neceſſe* intellitur licere communicare etiam in Spiritualibus cum excommunicato non tolerato propter vitandum damnum proprium, aut excommunicati aut alterius. Si tamen aliquis in contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ mihi mortem minaretur, ſi non communicavero cum tali excommunicato teneor ſubire mortem. tenemur enim exponere vitam pro bono Eccleſiæ.

DISTINCTIO VII.

Quis poſsit excõmunicare? excõmunicari? & ob quam cauſam? vbi etiam de adjuvantibus cauſam excommunicationis?

DIco 1 Soli habentes in foro contentioſo Eccleſiaſtico juriſdictionem ordinariam, etſi non ſint Sacerdotes, poſſunt propriâ authoritate excommunicare, & id delegare perſonis de jure capacibus, modo iſti non ſint excommunicati non tolerati & publici. Vide dicta ad 1 conc. 2. & 3. Item dicta d. 4. conc. 8.

Dico 2. Subjectum capax excommunicationis, eſt homo determinatus, baptizatus,

privatus, vivus, subditus. Dicitur determinatus, quia tota civitas aut collegium simul excommunicari non possunt, nisi in particulari excommunicandi distinguantur. Cap Roman. §. in universitatem. de sententia excomm. in 6. Et ratio est, nam periculum est ne excommunicatio cadat super innocentes.

Dico 3 Nullus potest excommunicari excommunicatione majori pro peccato veniali. Nam per talem excommunicationem excludimur ab Ecclesia, quod pro veniali non debetur. Debet autem adesse contumacia præsens. Quare ob solum peccatum præteritum, & cui non fuit annexa excommunicatio, nullus excommunicari potest. Probabile tamen est posse Papam in puram pœnam præteriti criminis aliquem excommunicare, sicut & suspendere. Fern. de excomm. §. 5. cum Toleto.

Dico 4. Aliquando fertur excommunicatio justa de causa in communi, quæ in particulari non esset justa, tamen considerata causa in communi obligat etiam in particulari. v. g. si excommunicentur, qui hortorum fructus surripiunt, justa est causa in communi, quia notabile infertur damnum, dum hic & ille rapit, & ideò excommunicatio obligat singulos.

Ex quo infertur superiores justè reservare sibi damnum unius floreni Polonici communitati factum. Nam hæc materia licèt non sit sufficiens in particulari, in communi tamen est sufficiens, cùm sic conventus notabiliter damnificetur, si hic & ille accipiat.

Dico 5. Cùm certum est, te non peccâsse mortaliter in tali vel tali facto, non incurris excommunicationem latam ob illud. Palud. in 4. d. 18. q. 1. a. 2. & sequitur ex concl. tertia. Hinc colliges non incurrere excommunicationem debitorem, cùm non est solvendo. incipit tamen ligari excommunicatione, quàm primò potest solvere, ut notat Fern. loco citato ex Toleto. Item nec ille incurrit excommunicationem, qui in judicio non detegit crimen, quod probare non potest, secùs si juberetur solùm denunciare ad correctionem delinquentis, qui non acquievit fraternæ correctioni. Et sic in aliis casibus in quibus judicaveris non intervenire peccatum mortale.

Dico 6. Quando excommunicatio fertur contra facientes, non comprehendit mandãtes, consulentes, favorem vel auxilium præstantes nisi id tenore verborum exprimatur, aut aliis juribus habeatur declaratum. Pariter, quando excommunicatio fertur, contra facientes, mandantes, consulentes &c. non ligat si effectus non sequatur. Quod intellige nisi aliud exprimatur, ut exprimitur in ea, quâ excommunicantur Religiosi, qui concionantur animo retrahendi Auditores à solutione decimarum, quàmvis non retrahant. ut benè ponderat Bonac. de excomm. in particulari.

DISTINCTIO VIII.

Utrùm Excommunicatio ignorata, & injustè lata, liget?

Nota.

NOta: Ignorantia alia est Iuris, alia facti. Ignorantia facti tunc est, quando facio rem, quam non puto me facere. v. g. percutio Clericum & nescio esse Clericum. Ignorantia juris tunc est, quando ignoro alicui crimini annexam esse excommunicationem v. g. percutio Clericum, & ignoro an hæc percussio habeat annexam excommunicationem. Præterea ignorantia alia est invincibilis, quàm jurisperiti vocant probabilem, alia vincibilis seu improbabilis. Illa est quando quis ea nescit, quæ aut scire non tenetur, aut non potest. Hæc est, quando quis ignorat ea, quæ scire potest & tenetur, eorumq; antea, aliquem saltem scrupulum habuit.

Dico 1. Ignorans invincibiliter factum aut circumstantiam, cui est imposita excommunicatio non contrahit excommunicationem. quia ad excommunicationis contractionem requiritur contumacia, non est verò contumacia, vbi est ignorantia. Imò ignorans vincibiliter culpam, modò non ignoret crassè & supinè, excusatur à contractione excommunicationis summa Dianæ V. Ignor. & alii. Nam Ecclesia intendit punire formalem inobedientiam & formaliter volitam, illa autem inobedientia cum ignorantia vincibili, etsi sit peccatum mortale. non tamen est directè & formaliter volita. plus dico, si excommunicatio lata sit contra scienter violantes, præsumentes &c. non incurritur licèt interveniat ignorantia crassa aut supina. Bonac. relatus in summa Dianæ V. Ignorantia idem tenent alii. Quia temeritas & scientia, si non affectatam saltem crassam excludunt ignorantiam. Quid autem sit ignorantia crassa v. d. 4. § adverte. in fine.

Dico 2. Qui habet ignorantiam sive juris communis, sive juris particularis, licèt hæc ignorantia sit vincibilis, & circa factum ex se ipso illicitum, talis non incurrit excommunicationem. Patet hæc Conclusio ex præcedenti.

Dico 3. Excommunicatio nulla nullum effectum habet, quod enim nulliter factum, non censetur factum. Verum taliter excommunicati, ad vitandum scandalum saltem in publico se gerere debent acsi essent, excommunicati juxta illud, sententia Pastoris etiam injusta timenda. Donec nullitas judicio sapientum cognoscatur & hoc vulgo manifestetur. Quod si antequam nullitas publicetur, se ingerat divinis publicè, peccabit, irregularitatem tamen non incurret. cùm hic actus inobedientiæ non sit perfectus in sua specie.

Quæritur, quando excommunicatio nulla? ℟. Quando fertur à non judice aut à judice suspenso seu excommunicato non toleratis. aut si fertur post legitimam appellationem. Aut si sit contra innocentem etiam probatum nocentem. V. sum. Dian. est autem vera excommunicatio ex ira aut odio lata, sed in causa justa peccatur tamen.

Dico 4 Dum Iudex secundùm probabilem opinionem fert excommunicationem vel declarat eam incurrisse, subditus licèt habeat pro nullitate excommunicationis opinionem probabilem, debet obedire & se habere adinstar excommunicati. Aliàs confusio magna oriretur in Ecclesia.

 DISTIN-

DISTINCTIO IX.

Quæ servanda in ferenda excommunicatione. vbi etiam de intentione excommunicantis.

DIco 1. Non sunt determinata verba, sub quibus ferenda excommunicatio, sed satis est dicere. Sit anathema. excommunicetur, à communione separetur. Servari tamen debent aliquæ cæremoniæ. Hinc quando fertur excommunicatio ob præteritum peccatum, debet præcedere trina monitio cum competentibus intervallis. sufficit tamen vna pro trina datis tribus intervallis, nisi necessitas, suaserit ista intervalla moderanda. Item requiritur ut feratur in scriptis, in quibus exprimatur causa excommunicationis. nisi esset periculum in mora, si in scriptis daretur. Dixi. *ob præteritum peccatum cui nulla annexa censura.* Nam si quis propter delictum aliquod ligatus est excommunicatione à jure, excommunicari potest ab homine absq; præmissa admonitione.

Quæritur quod spatium assignandum, cuique intervallo admonitionum, si aliàs necessitas restringere non suadeat?

℞. Spatium duorum dierum. Quare quando vna admonitio fit, debent dari sex dies, exprimendo, ut primi duo sint pro prima, secundi pro secunda, tertii pro tertia admonitione.

Dico 2. Ferens excommunicationem absq; præmissa trina monitione, interdicitur per mensem ab ingressu Ecclesiæ. Ferens excommunicationem voce non scripto, incurrit suspensionem per mensem ab ingressu Ecclesiæ, item suspensionem à participatione divinorum officiorum, ita ut exercens aliquem actum ordinis intra talem mensem fiat irregularis à solo Papa dispensabilis. Has pœnas non incurrunt Episcopi aut Superiores Prælati, quia in iis non fit eorum expressa mentio. ut fieri debet ad contrahendum ab eis ipso facto juris suspensionem. Nec superiores Religiosorum. Nam in his non servatur ordo juris, sicut in sæcularibus. Hæc omnia deducit Fern. de excom. §. 11. ex jure & DD.

Dico 3. Excommunicatio pendet ab intentione ferentis illam. Quare si nō intendat ligare, sed terrere, non ligat. Pendet etiam ab intentione petentis illam. Et sic in excommunicatione contra retinentes bona, non comprehenduntur vxor, filii, aut alii sic conjuncti, dum aliud non constat de intentione petentis excommunicationem. Angelus apud Fernan. loco citato §. 9.

Dico 4. Dum ad instantiam creditoris fertur excommunicatio contra aliquem nisi solvat intra certum tempus, si creditor ante impletum tempus prorogavit illud, non incurritur excommunicatio, etsi non solvatur debitum intra tempus prius taxatum. Vtrùm vero transacto tempore prorogato liget excommunicatio, affirmat Fernandez. Negat Dela-Cruz. cum hoc sit jurisdictionis. Nisi alias prorogatio fiat de consensu Prælati saltim tacito.

DISTIN-

DISTINCTIO X.

De absolutione ab Excommunicatione.

DIco 1. Pluribus excommunicationibus à pluribus judicibus ligatus, aut ab vno ob plures causas, potest ab vna absolvi manente aliâ excommunicatione. S. Th. in supp. q 24. a. 3. sufficeret tamen vna generalis ab habente authoritatem.

Dico 2. In articulo mortis vir baptizatus etiam laicus etsi sit hæreticus verè absolvit ab excommunicatione. Sylv. V. Absolutio, Armilla & alii. Nam talis stando in jure Divino est capax jurisdictionis pro absovendo ab excommunicatione, ergo piè credendum est Ecclesiam concedere illam tunc, sicut in simili casu concedit omnibus Sacerdotibus absolvere ab omnibus peccatis. Hoc veriùs Clericum primæ tonsuræ posse tunc absolvere ab excommunicatione est communis.

Quæres: Vtrùm in tali casu debeat servari ordo majoritatis, hoc est, vtrùm nequeat inferior absolvere præsente superiore. affirmat Fernandez §. 18. citans Innoc. negant alii relati à summa Dianæ V. Absolvere à censuris. Quia in articulo mortis omnes videntur æqualis authoritatis.

Dico 3. Ab excommunicatione potest absolvi invitus S. Th. in supp. q. 24. a. 2. inscius & ignarus. Hinc per generalem censurarum absolutionem tollitur etiam culpabiliter oblita, si Confessarius poterat ab ea absolvere, à peccato tamen censuræ annexo non remanet absolutus, sed hoc postea confitendum. Idem dic de absentibus, aut per litteras, & tunc manent absoluti, quando litteræ notificantur. Et sic Prælati Regularium in festis præcipuis in suis capitulis absolvunt â censuris subditos etiam absentes. Imò mortui si constet eos pœnitentiam egisse absolvendi sunt ab excommunicatione, ut pro eis offerantur suffragia, ad quod cogantur hæredes. Et Fern. relatus in summa Dianæ V. absolvere à censuris dicit absolvi posse etiamsi signa contritionis non dederint dum modo non constet obiisse in peccato mortali.

Dico 4. Vt absolutio sit valida requiruntur aliquæ conditiones. 1. debet esse absoluta, sine conditione futuri, actum suspendente, quia tunc nulla v. g. si dicatur, absolvo te ab excommunicatione si restitueris. sed oppositum probabiliùs, cùm sit jurisdictionis externæ actus 2. data ab eo, cui de jure non competit, sed ex mandato vel commissione, debet servari, quod canon præcipit, v. g satisfacere &c. aliàs est nulla, cui autem de jure competit dare absolutionem, valet, licèt non serventur, quæ canon tantùm præcipit, etiam extra articulum mortis. 3. absolutio ab excommunicatione, & idem dic de aliis censuris, vi aut metu extorta, non valet, quàmvis habeatur justa causa absolutionem petendi. Et extortor excommunicatur. 4. non valet absolutio quando causa primaria est falsa &c.

Dico 5. Ab excommunicatione lata ab homine in particulari, & nominatim contra aliquem, ille solus qui eam tulit, aut eius successor, aut superior aut

alius ex istorum commissione valet absolvere. Quod si ex justa causa sit difficilè excommunicato excommunicatorem accedere, conceditur ut præstitâ cautione, quòd excommunicationis mandato parebit, à proprio absolvatur Confessore. Adverte. Qui ex officio aut commissione potest excommunicare, potest, etsi non sit Sacerdos, ab eadem excommunicatione absolvere. cùm vtriusq; sit eadem ratio. Excipiuntur aliqui casus quos vide apud Dela-Cruz dub. 5.

Dico 6. Confessarius expositus valet absolvere ab excommunicatione generali lata ab homine, qualis est quæ fertur in visitationibus, si aliàs non reservatur. Quia hæc secundùm aliquos ad censuram juris revocatur. Ex quo patet, posse dictum Cófessarium absolvere ab excommunicatione lata à jure non reservata. D. Th. in supp. q. 24. a. 2. Scias. Nomine censuræ. V. in fine. f. 56. addit. 8.

Dico 7. Qui ex commissione absolvit ab excommunicatione, debet servare formam suæ commissionis, aliàs absolutio erit nulla. v. g. si committitur absolvere, satisfactâ parte, aut cum tali pœnitentia, seu præmissâ Confessione Sacramentali. aliàs si nihil horum jubetur in commissione, valet absolutio sine eis, cùm ista ex se non connectantur cum absolutione à Censuris. Ex quo patet si in Iubilæo aut simili indulto non exprimitur absolutionem à censuris debere fieri in foro Sacramentali, potest validè dari extra tale forum.

Dico 8. Absolutio excommunicationis ab homine nominatim latæ factâ virtute Iubilæi, aut similis indulti, valet in foro externo seu contentioso, satisfactâ parte, & cessante contumaciâ. Sine satisfactione verò valet in foro conscientiæ, præstando cautionem de satisfaciendo, cùm commodè fieri poterit. Hoc deducit ex quadam Bulla Pij Quinti Dela-Cruz L. 2. de statu Relig. c. 7. d. 1. Ex quo patet, non esse necessariam actualem satisfactionem, quando non est possibilis, ut obtineas in foro conscientiæ absolutionem censurarum virtute Iubilæi aut similis indulti, non obstante quod ibi petatur, nam debet intelligi, aut pro foro contentioso, aut quando est possibilis.

Dico 9. Non potest excommunicatus absolvi ad reincidentiam de consensu solius partis, & sine consensu saltim tacito excommunicantis, cùm excommunicatio ad reincidentiam requirat jurisdictionem. Fit autem absolutio ad reincidentiam, dicendo v. g. *absolvo ab excommunicatione ad tres dies, ut si intra eos non solvas*, V. Dela-Cruz.

QVÆSITVM.

Quam pœnam incurrit, absolvens ab excommunicátione reservata. Vbi etiam de casibus Episcopo reservatis.

℞. Absolvens à casibus B. C. D. incurrit excommunicationem sed jam non reservatam. Ita refert Bonac. de Censuris Bullæ C. D. d. 1. q. 21. punc. 3. Imò secundùm eundem & alios loco citato, qui ex ignorantia crassa sic absolvit, non excommunicatur, Quia est sermo de præsumptione. Præsumptio autem (ut ipse ait)

ait) dolum & scientiam importat, quam prædicta ignorantia excludit, eò quòd laborans tali ignorantiâ si legem sciret observaret eam. Qui tamen prætextu priuilegii absolvit à casibus B. C. item à casibus tract. de Sacramentis d. 66. conclusione decimâ enumeratis, itē quos sibi Episcopus reservat, ex Decreto Clementis VIII. incurrit excommunicationem Papæ reservatam, modò absolvat in Italia extra vrbem, ut addit Bonac. loco citato. à qua Regulares vi privilegiorum absolvunt, secundùm aliquos, in summa Dianæ V. absolutio à reservatis. Dixi, *prætextu privilegij*. Nam qui v. g. ex malitia tantùm absolvit, non incurrit reservatam. Bonac. cùm aliis loco citato. Nam decretum Clementis VIII. loquitur prætextu privilegii.

Nota. decreto Clementis etiam prohiberi absolvere censuras, quas sibi Episcopus reservat, ut declaravit S. C. de mandato Pauli V. 1617. die 7. Ianuarii.

Præterea Regulares, seclusis privilegiis, ab excommunicatione juris, intellige, reservata, vel à sententiis per statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis, seu à culpa & pœna absolvere præsumētes excommunicatione Papali reservatâ innodantur. V. Arm. V. Excomm. excomm. 49. Dixi *Regulares*. Nam sæculares hanc non incurrunt. Incurrunt tamen absolventes à casibus B. C. & aliis, in decreto Clementis, ut supra.

Dixi, *seclusis privilegijs* de quibus conc. 10. cit. & §. dato. Nota etiam doctrinam supra datam de præsumptibus, quos hæc excommunicatio afficit, ut videre est apud Armillam.

An verò absolventes ab Interdicto & suspensione per statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis eandem incurrant excommunicationem negat Bonac. dis. 2. de Excom. in particulari extra B. C. q. 9. p. 5. cum Sylv. Tabiena & aliis.

DISTINCTIO XI.

Recitantur variæ Excommunicationes.

Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini sunt sequentes. *Primò* excommunicantur Hæretici eorum fautores, eorum libros hæresim continentes vel de religione tractantes, scienter, legentes, tenentes, imprimentes, aut defendentes. & Schismatici. Nota audientem legi librum hæreticum non excommunicari. Gab. à S. Vincentio. *Secundò*, Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores. *Tertiò*, Piratæ mare Ecclesiæ discurrentes, atq; eorum receptatores. & fautores. *Quartò*, Naufragorum Christianorum cuiuscunq; generis bona, etiam in littoribus inventa, surripientes. *Quintò*. Imponentes nova pedagia seu gabellas, vel augentes vel etiam exigentes. *Sextò*, Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes. Qui falsificant per alios, excommunicantur quidem, sed non reservatâ Papæ. Mosc. p. 9. Elem. ad S. Conf. *Septimò*. Deferentes arma & alia vsui bellico necessaria ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia iisdem in damnum Christianorum

nuncian-

nunciantes. comprehenduntur fautores. *Octavò,* Impedientes eos qui victualia & alia necessaria Romam convehunt. per Romam intelligitur curia Romana. comprehenduntur impedientium defensores. *Nonò,* Ad sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, suâ aut aliorum operâ lædentes. & sine jurisdictione vexantes in curia cōmorantes. 10. Romipetas ad Vrbem accedentes, in Vrbe morantes, vel abeuntes, lædentes, comprehenduntur fautores. 11. Offendentes S. Rom. Ecclesiæ Cardinales, & alios Prælatos. eorumq; fautores. 12. Ad Romanam curiam pro negotiis suis recurrentes, per se vel per alios lædentes. fit extensio ad fautores. 13. Appellantes, à gravamine vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem. Executionem litterarum Apostolicarum aut aliarum expeditionum impedientes. & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes. 14. Avocantes causas spirituales vel spiritualibus annexas ab Officialibus Ecclesiasticis, & intromittentes se in causas spirituales. cum fautoribus. 15. Officiales sæculares qui personas Ecclesiasticas trahunt ad sua tribunalia. quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, vel contra eam ordinationes faciendo, vel his vtendo. 16. Impedientes Prælatos & alios judices Ecclesiasticos ne suâ jurisdictione vtantur. Quiq; illorum & delegatorum judicia eludentes, ad curiam sæcularem recurrunt, aut contra sententias eorum decernunt. præstantesq; favorem. 17. Vsurpantes Sedis Apostolicæ, ac quarumcunq; Personarum Ecclesiasticarum jurisdictiones, fructus, vel etiam sequestrantes. per vsurpare intelligitur aliquid sine justo titulo sibi appropriare, ut refert Filliucius. 18. Imponentes decimas & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis aut eorum fructibus, & idem de exigentibus imposita. & de fautoribus. 19 Iudices sæculares qui se interponunt in causis capitalibus aut criminalibus contra Ecclesiasticas personas, eas scil: processando, banniendo, capiendo, sententiam ferendo vel exequendo. 20. Præsumentes occupare bona aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem vsurpantes. cum fautoribus.

Favere idem est quod commodum seu vtilitatem præstare, seu aliquid conferens & juvans ad finem ab alio intentum. Bonac. de Cens. B. C. D. disp. 1. q. 12. punct. 1. in fine.

Præter Excomm: Papæ in B. C. D. reservatas, sunt aliæ.

PRimò sic excommunicantur violantes interdictum Sedis Apost: post specialem monitionem, & ad id inducentes 2. Dantes vel accipientes pro gratia vel justitia apud Sedem Apostolicam. 3 Mulieres quæcunq; præsumentes ingredi Monasteria Religiosorum. Religiosi qui faciunt vel permittunt fœminas ingredi sua Monasteria prætextu facultatum, à Summo Pontifice vel aliis concessarum incurrunt excomm: Papæ reservatam, & privationem dignitatum, officiorum & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, ut patet ex motu Greg. XIII. *Vbi gratiæ &c.* prætextu inquam facultatum ante hunc motum concessarum. Alii verò Religiosi, qui fœminas in Monasteria intromittere vel admittere

mittere præsumunt, etiamsi fœminæ absq; prætextu facultatum ingrediantur, incurrunt ipso facto suspensionem in divinis, & præterea privationem officiorum & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda. ut patet ex motu Pii V. *Regularium personarum.* Inter hos motus hæc differentia. Motus Gregorii non requirit præsumptionem, motus verò Pii V. requirit. 2dò. Motus Gregorii requirit, ut prætextu facultatum ingrediantur. Motus Pii V. hoc non requirit. Bonac. quoad omnes partes de Clausura q. 5. punc. 3. Scias terminos, quibus censuræ feruntur, benè ponderandos ne pœnitenti injuria fiat. 4. Incendiarii, postquam fuerint ab Episcopo excommunicati, & saltem generaliter denuntiati. Advert: ex Armilla excommunicatione 23. incendiarios quorumcunque locorum, non esse ipso facto excommunicatos, sed posse ab Episcopo excommunicari. 5. Religiosi saltem sine licentia Vicarii, Eucharistiam, & extremam Vnctionem ministrantes & Matrimonium solemnizantes, id est, solemniter benedicentes. procedit hæc contra præsumentes, non verò contra facientes ex ignorantia vel necessitate vel ex ratihabitione vel ex privilegio. V. dicta in 2. d. 48. conc. 7. Bon. de Censuris in particulari disp. 2. q. 9. punc. 5. probat authoritate S. Congreg. Regulares Matrimonium solemnizare audentes tantùm suspendi. & sic excommunicatio Clementinæ commutata in suspensionem. 6. Absolventes à casibus & censuris Papæ vel Episcopo reservatis V. dicta in fine d. 10. 7. Domini temporales cogentes divina celebrare officia in locis interdictis. Convocantes ad hæc. prohibentes, nec excommunicati aut interdicti nominatim, ab Ecclesia ejiciantur dum Missarum solemnia celebrantur, ac à celebrantibus. ut exeant, monentur, omnes hæ actiones sunt contra præsumentes. Adv: comprehendi etiam Prælatos habentes jurisdictionem temporalem. 8. Nominatim excommunicati vel interdicti, nominatim moniti ut tempore divinorum ab Ecclesia exeant remanere præsumentes. 9 Præsumentes dare vel accipere aliquid ex pacto ab ingredientibus Monasterium. Nota ly *ex pacto.* quo secluso non agitur contra hoc præceptum. Sunt verò exemptæ Moniales per quosdam Pontifices. 10. Professæ egressæ de Monasterio, nisi causâ incendii. causâ pestis per superiorem probata &c. licentiam dantes. immo hi & illæ incurrunt privationem dignitatum, administrationum & officiorum, & inhabiles ad illa in futurum obtinenda efficiuntur. Item sic excommunicantur, & dictas pœnas incurrunt comitantes & recipientes, si sint causa egrediendi vel perseverandi extra. Secus si causâ vrbanitatis. 11. Præsumentes ingredi Monasteria Monialium Minorum & Prædicatorum, sine licentia eius, qui eam dare potest. comprehendit mulieres, referente Alloza. 12. Præsumentes ingredi Monasteria quarumcunq; Monialium prætextu licentiæ Episcopi, vel alterius Superioris, sine necessitate. hæc ligat etiam fœminas ingredientes, & Moniales admittentes. Dixi, *prætextu licentiæ.* nam ingredientes sine licentia, tantùm ligantur excommunicatione Tridentini, non reservatâ. Hæc (scil: Tridentini) comprehendit etiam fœminas. Quòd si malo fine quis ingrediatur, reservatur Papæ reservatione speciali. cum Regulares intra Italiam extra

Vrbem virtute privilegiorum ab hac non abſolvant. de his & ſimilibus V. Bonac. de Clauſura. Praxis Monialium Ratiborienſium aliquibus ex prædictis oppoſita, vel ſpeciali privilegio, vel aliâ ratione fulcitur. 13. Audentes exenterare mortuos niſi fiat ob honorem, ut in principibus, vel ob anathomiam, vel ut transferantur de loco profano ad ſacrũ, vel alio fine, quàm ad ſepeliendum, comprehenduntur mandantes. 14. Permittentes duellũ, mandantes, inſtigantes, auxiliũ vel favorem dantes, etſi pugna non ſequatur ſpectantes, intellige, qui ex induſtria ad tale ſpectaculum accedunt, licèt duellum privatim executioni mandetur. Vtrum verò provocans non ſecutâ pugnâ eidem excommunicationi ſubjaceat affirmat Filliucius allegans ſtylum Curiæ ſed ſtyllum Curiæ non obligare vbiq; locorum refertur in Summa Dianæ. V. Lex. Mendoza apud Dia: p. 5 tr. 14. reſol. 102. & Gab. à S. Vinc. diſp. 4. de Cenſ: q. 10. contrarium Filliucio tenent. Scribentes chartas provocatorias, etiamſi nec expreſſa provocatio ad duellum ſubſecuta, excommunicantur. idem de faventibus, quia ſic exprimitur, dictarum chartarum neceſſaria eſt publicatio, ut excommunicatio incurratur. 15. Clerici ſcienter admittentes & participantes in divinis cum excommunicatis nominatim à Papa. 16. Eccleſiaſticus temerè inducens ut aliquis promittat, voveat vel juret eligere ſepulturam in ſua Eccleſia, aut non mutet jam electam. non, ſi exhortetur. hæc non extenditur ad Parochos reſpectu ſuorum Parochianorum. 17. Perſeverans in excommunicatione per annum, inflicta à delegato Papæ ob inobedientiam ſuorum mandatorum. 18. Habentes litteras Apoſtolicas falſas, poteſt viginti dies, ab excommunicatione lata per Epiſcopum generaliter. 19. Infringentes & ſpoliantes Eccleſias. Adv: non ſufficit tantùm infringere, niſi quis furetur. nec ſufficit quælibet fractio ſerræ vel arcæ, ſed Eccleſiæ vel forium ejus. ut reſervetur Papæ requiritur denuntiatio, ſaltem in communi. Quâ remotâ abſolvit quilibet approbatus ſpectando jus commune, ait Bonac. 20. Aggravantes temerè eos, qui cenſuram ferunt. hæc ante duos menſes non reſervata Papæ ſed à quolibet approbato tollitur. 21. Simoniaci in Ordine & Beneficio, & Mediatores. 22. Audentes extrahere delinquentes è locis ſacris. 23. Impugnantes temerariè inſtitutum vel conſtitutiones Societatis Ieſu. 24. Componentes, retinentes, imprimentes, libros infames, detractorios Ordini S. Franciſci, vel S. Dominici apud N. Salazar additur ly præſumptuosè. 25. Impedientes præfatos Religioſos ne in ſuis Eccleſiis poſſint celebrare, aut prædicare, aut eleëmoſynas recipere. 26. Aſſerentes licere abſolvere abſentem. 27. Impedientes executionem litterarum S. Pœnitentiariæ. fit extenſio ad faventes. 28. Facientes jurare illicita & contraria libertati Eccleſiaſticæ. 29. Rapientes bona Eccleſiaſtica. hæc reducitur ad quadrageſimam ſeptimam videatur ergo. 30. Exigentes tributa ab Eccleſiaſticis. hæc licèt referatur à nonnullis inter reſervatas, non eſt reſervata. 31. Qui in concionib⁹ aliiſq; actib⁹ publicis ut lectionibus, concluſionibus, audent aſſerere B. V. conceptam in peccato originali ſuſpenduntur à divinis &c. Qui verò eodem auſu affirmant tenentes quamcunq; opinionem de conceptione B. V. M. in hæreſim

incidere

incidere aut mortaliter peccare, excommunicantur. 32 Clerici vel Religioſi pro-
curantes fraude aut ſcienter alienationes bonorum Eccleſiaſticorum in detrimen-
tum Eccleſiarum. hoc tempore majori cum rigore propter decretum Cardinaliũ
anno 1624. alienationes rerum Eccleſiaſticarum procedunt. Cave ne confundas
alienantes, cum alienationem procurantibus. Vide excomm: vndecimam non re-
ſervatam. 33. Præſumentes prædicare miracula falſa vel incerta. & prophe-
tias non contentas in S. Scriptura. has ajunt quidam non fuiſſe receptas. 34.
Mendicantes tranſeuntes prætextu alicuius indulti ad Ordinem Monaſticum, præ-
ter Carthuſianorum. & idem de recipientibus Eugenius tamen 4. indulſit Prio-
ri & Fratribus Eremi Montis Camaldulenſis ut omnes & ſingulos cuiuſcunq; Or-
dinis exiſtant, & de quibuſcunq; Congregationibus, domibus, ſeu Monaſteriis,
ſive Mendicantium ſive non Mendicantium, etiam Carthuſienſis Ordinis, vene-
rint, Superiorum ipſorum licentiâ petitâ licèt non obtentâ, in prædicta Eremo re-
cipere & retinere poſſint. Ita refert Fagnanus 2. p. tertii Decretalium de Regul:
C. ſanè n. 61 & 63 & 64. Cautè tamen res agantur inquirendo poſteriores par-
ticulares prohibitiones. 35. Religioſi ſine licentia ad partes tranſmarinas pro
majori parte ab infidelibus occupatas ſe transferre præſumentes. 36. Detinen-
tes in ſuis Monaſteriis vel Eccleſiis Apoſtatas Fratrum Prædicatorum poſtquam
eis denuntiatum fuerit. 37. Prohibentes, impedientes vel moleſtantes ſcienter,
Perſonas non impeditas volentes ingredi Religionem S. Benedicti Congregatio-
nis Montis Oliveti. In quo favore cõmunicant alii Religioſi. Intellige ſi in aliis
communicant V, quæ tradit Dela-Cruz ſupra 7. præceptum q. 7 a. 2. dub. 2. V
etiam l. 4. d. 11. conc. 4. 38. Parochi non adimplentes juramenta de reſidendo
certo tempore in ſuis Parochiis ad Papæ proviſionem vel diſpoſitionem pertinen-
tibus. comprehenduntur ſcienter faventes. 39. Religioſi qui prætextu faculta-
tum à Sixto IV. conceſſarum cõmutant vota Papæ reſervata, circa hanc excomm.
adverte ex Antonio à Spiritu S. tractatu de obligatione Religioſorum, hanc cen-
ſuram non incurrit, qui vi alterius privilegii vel nullus cõmutat. Vnde cum nulla
facultas conceſſa à Sixto IV. de hac re, hæc excõmunicatio præſenti tempore in-
curri non poteſt. Suarez Palaus apud Ant; cit. niſi errore vincibili putaret facul-
tatem conceſſam imò cùm Bulla excommunicans loquatur de cõmutatione non
debet extendi ad diſpenſationem. cùm pœnæ extendendæ non ſint. Clavis Re-
gia apud cit. 40. Malè auctorantes alienationem bonorum Eccleſiaſticorum. ſed
hæc non eſt reſervata ut docet Bonac. contra Moſcicenſem. 41. Peregrinantes,
in Ieruſalem abſq; licentia Papæ. 42. Qui merces, victualia & ſimilia infidelibus
deferunt. Qui tamen licèt belli tempore deferant non excommunicantur in B.
C. D. Secundùm Toletum apud N. Souſam. C. 8. in annotationibus ad textum.
Imò nullo modò excommunicantur, ſi extra bellum deferunt, ut vidi apud Ar-
millam. Imò deferendo tempore belli non reſervatur Papæ. Quòd ſi quocunq;
tempore deferant Alexandriam vel in partes Ægypti reſervatur excommunicatio,
Papæ vtraq; tam reſervata quàm non reſervata eſt contra præſumentes. 43 De-

trahentes in ſermonibus Prælatis & ſuperioribus, eorumq; ſtatui. Caiet: tamen, Caranza & Navarrus referente N. Salazar de Cenſ: in particulari §. 5. dicunt, hanc jam non eſſe in vſu. 44. Inferentes violentiam locis Minorũ vel prædicatorum. 45. Qui bona quatuor Ordinum Mendicantium occupare vel vexare audent, ſi intra tres dies non reſtituunt. 46. Seculares impedientes loca, juriſdictiones, bona, cenſus, ac fructus cujuſcunq; Eccleſiæ, Monaſterii vel loci pii. 47. Qui alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſvis ſæcularis vel Regularis beneficii, aliorumq; piorum locorum, juriſdictiones, bona ac jura &c. quocunque modo vſurpare præſumunt. & cum complicibus, etiamſi tales Imperatores ſint. Et qui impediunt ne tales fructus percipiantur ab his ad quos pertinent, cum complicibus. Trid. ſeſſ 22. c. vltimo. differt autem ab excommunicatione 17. B. C. D. nam hæc non eſt contra præſumentes. nec comprehendit mandantes, & quomodocunq; impedientes. 48. Capientes privilegio vel conſuetudine fructus primi vel vlterioris anni, beneficii vacantis. Immo tales incurrunt excommunicationem Bullæ C. D. ut probat Bonac. ſuper B. C. D. excommunicatione 17. 49. Prælati, qui perſonam Eccleſiaſticam, collegium vel conventum traxerint ad forum laicale pro cauſis quæ ſpectant ad forum Eccleſiaſticum. Sed hæc etiam reſervatur in B. C. D. ſi trahant authoritate laicali, habendo officium laicale. 50. Exercentes recipiendo, confidentiam Simoniacam. dixi recipiendo. nam reſignans ſub confidentia non excommunicatur. ad incurrendam iſtam non eſt opus ut confidentia in pactum expreſſum deducatur, vel ſit confidentia ex parte vtriuſq; V. Bonac. de Excomm. in particulari d. 2. q. 3. punc. 25. 51. Percutientes Clericum. de hac ſpecialiter tractabitur.

Adv. 1. Enumerando præfatas excommunicationes, conſultò (ut videre potui) addidi, ly *ſcientes, præſumentes, audentes, temerariè*, ſignificando, quàmvis ignorantia craſſa & ſupina à cenſuris non excuſet, excuſat tamen, ſecundum probabilem ſententiam, ſi prædictæ vel ſimiles particulæ addantur. niſi adſit in facto ingens temeritas. Quare ſi ſic pœnitentem ignorantem factum, ſeu prohibitionem, ſeu excommunicationem vult excuſare Confeſſarius, circa reſervatam videat textum. In non reſervata abſolvat quantùm indiget pœnitens. V. diſt 8. concluſionem 1. & 2.

Adv: 2. Referentes breviter excommunicationes, non ſolùm omittunt nonnullas actiones, quibus per ſe & ſolitariè ſumptis annectitur excommunicatio (quas & meum compendium, in promptu habere non potuit) ſed etiam omittunt nonnullas particulas, indicantes neceſſarias conditiones ad incurrendam excommunicationem. v. g. ly *ſcienter, præſumentes, ſi intra tres dies non reſtituit &c.* quas quærendo addidi. primam tamen & quadrageſimam ſextam in Moicicenſi tantùm referente breviter excommunicationes, videre potui. omnimodam ſecuritatem aſſerere non audeo, vbi non addidi.

Et ſic Authores compendiosè tractantes, dum excommunicationes referunt, non ideo referunt ut Confeſſarius omnino incurriſſe judicet ſed ut, quantùm ne-

ceſſarium

cessarium est, absolvat, nisi reservatio innuatur. Nec etiam judicentur Personæ in excellenti gradu constitutæ incidisse in excõmunicationem, nisi certiùs, quàm de aliis, constet, solent enim quandoq; ab excommunicatione eximi, & minori censurá notari, sed hoc rarò. nec ad hoc attendere, referendo, vacabat.

Adv: 3. à prædictis excommunicationibus potest Episcopus vel habens facultatem ab eo, absolvere si sint occultæ. Et hoc virtute Tridentini sess: 24. c. 6 de Reform. Bonac de Clausura q. 1. punc. 5. etsi excommunicatio Papæ reservata sit lata post Tridentinum. Bonac. l. c.

Adv. 4. Regulares habentes privilegiũ absolvendi à reservatis Papæ possunt à prædictis absolvere, exceptis nonnullis, de quibus l. 2. d. 66. hoc privilegium innuit Bonac. l c immo cum nonnullis docet id posse Regulares in foro conscientiæ practicare, quàmvis censuræ sint deductæ ad forum contentiosum. Quia, ut ait, privilegium absolutè concessum, absolutè est intelligendum. Religiosi volentes uti hoc privilegio, & similibus, habeant notitiam, saltem communicationis privilegiorum cum aliis.

Referuntur excommunicationes non reservatæ.

1. Contra Religiosos animo vagandi dimittentes habitum. 2. Contra Religiosos ad quæcunq; studia sine licentia sui Prælati euntes. nisi ibi sit Conventus suus in quo sunt mansuri. Scias, ut Religiosus sit liber ab hac censura requiritur consilium Conventûs, vel saltem majoris partis supposito tamen quòd Prælatus Conventûs habeat talem authoritatem. nam non omnis habet. non tamen requiritur consensus. textus enim solùm requirit consilium, ut benè ponderat Bonac: de Excomm: in particulari q 8. punc 8. 3. Contra Religiosos non servantes interdictum generale, vel cessationem generalem à Divinis, quam servat Cathedralis vel Parochialis oppidi. Scias ex Bonac. l. c. punc. 14. authoritate Episcopi non posse interdictũ speciale imponi Ecclesiis exemptis. consequenter Religiosi non servantes hujusmodi interdictum speciale non subijciuntur huic censuræ. V. Bonac. l. c. 4. Contra Religiosos qui decimas Ecclesiis debitas sibi usurpare præsumunt, nisi restitutionem intra duos menses fecerint. aut qui solutionem decimarum impediunt, nisi post monitionem factam ab iis quorum interest impedire destiterint intra mensem. Est tamen differentia inter Religiosos, quòd Religiosi habentes officia, administrationes, & beneficia, suspensiones incurrant à prædictis. qui verò prædicta non habent, incurrunt excommunicationem. quia suspensio quâ alii punitur ipsis infligi non potest cùm non habeant officia vel beneficia à quibus suspendantur. Contra Religiosos præsumentes dissuadere decimas Ecclesiis ex justitia debitas. sive concionando, sive aliàs, sermone tamen. Contra Religiosos non recipientes decimas, si requisiti à Rectoribus Ecclesiarum vel Vicariis, scienter prætermittunt facere conscientiam in Confessione de solutione decimarum, est suspensio ab officio prædicationis, quod si non præmissa pœnitentiâ seu monitione (si commodè fieri potest) prædicare præsumunt, ex-

communicantur. tempus requisitionis determinatur in jure. Vide infra suspensione quartadecimâ circa finem. 5. Contra Monachos simplices & Canonicos Regulares præsumentes ad curias principum se conferre malo animo contra Prælatos, vel monasteriis nocendi. ut hæc incurratur, necessarium est secundùm Bonac. de excomm: in particula q. 8. punc. 9. ingredi curiam principum & non sufficit aggredi iter. 6. Contra Clericos, si sint in sacris, Religiosos, & Moniales, scienter Matrimonium contrahentes. Item alios qui scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis canonicè prohibitis, aut cum Monialibus cum eadem scientia matrimonium contrahunt. 7. Contra Mendicantes qui sine licentia accipiunt novas domos ad habitandum. Nonnulli habent ad hoc privilegiū Julii II. 8. Contra Monachos habentes sine licentia Abbatis arma intra Monasterium. 9. Contra Religiosos. Item Clericos in dignitate constitutos, vel Sacerdotes, medicinæ vel legibus studentes. ut hæc incurratur necessarium est ut auditio prædictarum scientiarum per duos menses non intermittatur. 10. Contra Sacerdotes habentes officium præfecti sæcularis, non comprehenditur habentes annexam suæ dignitati præfecturam. si hæc aut nomine proprio, aut nomine principis Ecclesiastici teneatur, ut hæc incurratur, necessaria est ex vna parte præsumptio, ex alia parte monitio. 11. Contra alienantes vel locantes Ecclesiastica bona in plures quàm tres annos. sed attendenda consuetudo comprehendit excommunicatio etiam recipientes. Adyt ex Lezana tomo 3 qq. Regularium V. Alienatio. hanc solùm incurrit, qui facit ex dolo aut malitia aut præsumptione. cùm Pontifex utatur Verbo *præsumpserint* Nec dicas, per Tridentinum sess: 22. cap 11 reservari. Quia Tridentinum solùm loquitur de vsurpantibus seu in proprios vsus bona Ecclesiastica convertentibus, (de quibus supra excomm: quadragesima septimâ reservata) vnde non debet extendi ad simpliciter alienantes. Cave, ne confundas alienantes & alienationem procurantes, de quibus supra excomm: trigesima septimâ reservata. 12. Contra dominos temporales prohibentes ne aliquid emant personæ Ecclesiasticæ aut vendant, coquant, molant, aut ne quis eis præstet officia ad societatem vitæ humanæ necessaria Vide excomm: 15 B. C. D. 13. Contra Personas Ecclesiasticas Episcopis &c. inferiores, permittentes in terris suis fœneratores publicos alienigenas, & intra tres menses non expellunt eos, vel locant eis, vel alio prætextu concedunt eis domos ad vsuras exercendas. 14. Contra violantes libertatem Ecclesiasticam, vel scribendo statuta ei præjudicantia, vel servando consuetudines tunc autem est reservatio in B. C. D quando vel statuta conduntur, vel ijs aliquis vtitur contra libertatem Ecclesiasticam. 15. Contra exigentes vel extorquentes ab Ecclesia vel Personis Ecclesiasticis portorium seu pedagium, pro rebus quas non deferunt causa negotiandi &c. Nota, si hæc & similia imposita exiguntur incurritur excommunicatio Bullæ C. D 16. Contra gubernatores & judices non reddentes jus Ecclesiasticis. sed hæc, numero decimo octavo clariùs exprimetur. 17. Contra Dominos temporales & Magistratus cogentes sive directè sive indirectè, etiam non subditos, minùs liberè Matrimo-

Matrimonium contrahere. 18 Contra eosdem non facientes justitiam Ecclesiasticis post trinam monitionem. 19, Contra laicos accipientes oblationes ab altaribus 20. Contra præsumentes vexare personam Ecclesiasticam, quia non elegit eum pro quo rogabatur. 21 Contra eos, qui noviter vsurpantes jus custodiendi aliquam Ecclesiam vacantem vel titulum advocationis, vel defensionis, aliqua bona illius capere præsumunt Et contra Clericos vel Monachos hoc fieri procurantes. 22. Contra laicos compellentes personas Ecclesiasticas ad submittendum perpetuò vel per longum tempus scil: ad decem annos Ecclesiarum bona immobilia, ac jura earum laicis. eadem excommunicatio afficit, hæc per licitum contractum tenentes, plus tamen vsurpantes quàm sit illis permissum per eundē contractū. nisi moniti destiterint & restituerint. 23. Cōtra impedientes aut perturbantes Notarios Ordinis Prædicatorū ne sua munera exequantur 24 Contra vocatos ut intersint electioni Monialium seminantes vel nutrientes discordias. Nota ex Armilla, non vocatos prædicta exercentes, hanc excommunicationem non incurrere. 25. Contra concedentes repressalia contra Personas Ecclesiasticas, vel extendentes, nisi infra mensem revocaverint hæc ligat præsumentes. Scias, Repressalia sunt, facultas alicui data ut pro damno sibi illato possit rem æquivalentem ab alia tertia persona, etiam vi, accipere. 26. Contra præsumentes vi extorquere absolutionem vel revocationem censuræ. 27 Contra præsumentes sepelire in loco sacro hæreticos denuntiatos, eorum credentes, receptatores, defensores, fautores. 28. Contra præsumentes sepelire aliquem in loco sacro interdicto vel nominatim interdictos, vel publicè excommunicatos. vel vsurarios manifestos. per publicè excommunicatum intellige denuntiatum. & vsurarius debet esse denuntiatus ut probabiliter docetur. 29. Contra præsumentes impedire visitationem Monialium in eo quod statuitur à Concilio nisi cessent moniti. 30. Contra non habentes pro authenticis omnes libros sacrorum Bibliorum. hæc & sequens in Trid. sess: 4. in decreto de canonicis scripturis non reservatur, sed reservatur in Bulla Cœnæ Domini, 31, Contra contemnentes scienter constitutiones Apostolicas. per Constitutiones Apostolicas intellige traditiones, vel ex ore Christi D. vel aliàs Spiritu S. dictante acceptas. 32. Contra imprimentes vel imprimi facientes librū vel quamlibet aliam scripturam sine debita licentia & approbatione certarū Personarum. hæc aliquibus apud Mosc p. 9. Elementorum ad S. Confessiones de excomm: non reservatis non videtur esse recepta. 33. Contra audentes pertinaciter asserere non esse necessariam Confessionem ante communionem. Scias ly *pertinaciter* non additur ly *docere* prædicare seu publicè defendere ly tamen audentes pertinet ad omnes actiones. 34. Contra raptores mulierum & complices 35. Contra cogentes qualcunq; mulieres ingredi monasteria vel profiteri, & contra authorizantes præsentes, consentientesque tali actui. Scias, sermonem procedere de præsentibus ex proposito, ut habet Bonac. 36. Contra impedientes sine justa causa sanctam voluntatem mulierum, velum accipiendi vel emittendi votum. 37. Contra fictè, id est prætextu facul-

tatis, Apostolicæ, resignantes in gratiam tertiæ Personæ beneficia Ecclesiastica vel permutantes. & Notarios ac testes hæc scientes. ad hanc incurrendam requiritur, ut resignent extra curiam & vitra duas diætas; 38. Contra Doctores & Professores non facientes professionem fidei, vbi recepta est Bulla Pii IV. Sed probabiliùs est tantùm ligari Rectores vel Superiores Vniversitatum, vel gymnasiorum, aut facultatem doctorandi habentes, qui permittunt consequi cathedras vel lectiones aut ad gradus promoveri non factâ fidei professione. 39. Contra audentes edere glossas in Tridentinum. Si in nonnullis ex prædictis innuitur satisfactio, propter quam inter reservatas mereantur numerari, attende ad tradita in 2. dist. 64. conc. 16. §. *Adverte*, & d. 66. conc. 4.

Excommunicationes Episcopo reservatæ sunt hæ. 1. Contra eum qui leviter percutit Clericum, & etiam graviter, si sit mulier 2 Contra excommunicatum excommunicatione Papali non valentem adire Papam. 3. Contra facientem prohibita sub excommunicatione Episcopali. 4. Contra causantem per se vel per alios, abortum fœtûs animati secuto effectu. Et idem de cooperantibus scienter, ope, consilio, vel aliâ ratione, non verò de propinantibus poculum sterilitatis, qui his temporibus non sunt excommunicati.

Communicans scienter in crimine cum excommunicato nominatim, eandem excommunicationem incurrit. Vnde, si excommunicatus nominatim, fuit excommunicatus excommunicatione Papali, communicans in crimine, eâdem innodatur. Et idem de Episcopali. Ille autem dicitur communicare in crimine cum excommunicato nominatim, qui participat in eo, propter quod fuit excommunicatus. v. g. Titus fuit excommunicatus nominatim ob fornicationem, post hanc excommunicationem mulier adhuc peccat cum eo. Hæc ergo mulier communicat, cum excommunicato nominatim, in crimine, & eandem incurrit excommunicationem.

Absolutus à Sententia excommunicationis ratione periculi. Si post periculum non se præsentat illi, qui ordinariè potest ab ea absolvere, reincidit in eandem, scilicet Papalem vel Episcopalem, qualis antea fuit.

DISTINCTIO XII.

Circa primam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.

Dico 1. In Bula Cœnæ Domini ille intelligitur Hæreticus, qui externè hæresim committit. Nam ab hæresi purè interna & mentali potest quilibet Confessarius absolvere. Intelligitur præterea Hæreticus formaliter, hoc est, qui non solùm externè v. g. ob metum vel aliam passionem, sed etiam internè fidei contradixit. Et ideò qui tantùm externè fidem negavit, non incurrit hanc excommunicationem. Sufficit tamen quodvis signum exterius interiorem errorem manifestans, quàmvis occultissimum, ut hanc excommunicationem inducat. Palud. Caiet. & Sylv. Quod signum non sit indiferens. Qui verò nullum explicitè errorem

torem profitetur, dicit tamen se habere fidem, quam talis vel talis Hæreticus profitetur, nomine Credentis venit. Atq; hâc excommunicatione ligatur.

Dico 2. Per Receptores ij intelliguntur, qui eo animo hæreticos recipiunt, ut occultent, ne ob hæresim comprehendantur, vel puniantur. Vnde qui ob alium finem recipit, non incurrit huiusmodi excommunicationem. Fautores verò hæreticorum sunt, qui ijs ut hæreticis, verbo, litteris, aut facto favent v. g. qui mittit munera, accommodat arma, quibus se defendant ab Inquisitoribus, equum in quo fugiant Inquisitorum satellites. Præterea sunt ij, qui cum ex officio teneantur hæreticos punire, non faciunt, neq; contra eos procedunt. Addit Sylv. etiam fautores hæreticorum censeri eos, qui cum juramento se obstrinxerunt de deferendis & accusandis hæreticis, non id faciunt, quales sunt vulgò dicti familiares Inquisitionis. Qui verò ex sola charitate hæreticos deferre obligantur, nomine Fautorum hic non intelliguntur. Tandem defensores hæreticorum, vel Credentium sunt ij, qui defendunt ne veniant in manus Iudicum puniendi excommunicandi aut capiendi ob hæresim. Item est defensor, qui patrocinium præstat aut advocat in causa hæresis, &c. Adverte, Nomen fautoris posse extendi ad receptatores & defensores ut extendit Fernandez;

Dico 3. Schismaticus qui in Bulla Cœnæ Domini excommunicatur est, qui pertinaciter ab Ecclesia separatur, pertinaciter repugnando mandatis Ecclesiæ Concilij Generalis & Papæ. hoc enim est discrimen inter Hæreticum & Schismaticum, quod Hæreticus habeat aliquam propositionem contrariam fidei, & eam pertinaciter defendit, Schismaticus vero tantùm separatur ab Ecclesia.

Dico 4. Contrahunt hanc etiam excommunicationem legentes scienter libros Hæreticorum authorum, qui continent errores contra fidem, vel de Religione tractant, etiamsi in eis error non contineatur, seu legant ad errores impugnandos, seu cognoscendos ob eruditionem. In qua lectione quantitas ægrè potest determinari. Qui enim cum Sà integram paginam pro quantitate notabili assignaret, laxè assignaret, nam Sà quantùm ad hoc expurgatus fuit. Qui verò cum Mendoza duas vel tres lineas, scrupulosè procederet.

Dixi *Hæreticorum autorum.* Non qui dicta Hæreticorum legunt in libris Catholicorum vel libros Catholicorum habentes scholia vel notas hæretici nisi scholia essent copiosa, ut liber potius ex ijs constaret. Qui vero libros in Indice prohibitos legunt aliam excommunicationem incurrunt sed non reservatam. Sed sciendum in nostris partibus Indicem non esse cum tanto rigore receptum. Vnde qui librum Catholici authoris propter vnam vel alteram propositionem damnatum legeret, excommunicatione indicis non innodaretur. ex Layman L. 1. t. 5 p. 2. c 5. Legendo libros contra bonos mores non incurritur excommunicatio ipso facto, est tamen obligatio sub pecc: mortali illos nec legendi nec retinendi. Ita determinat Pius IV. in Brevi. Dominici 1564.

Dico 5. Licèt prohibeamur libros Hæreticorum legere, non tamen eorum conciones audire. Becanus lib. 5. Controvers. huius temporis cap. 7. dicitq; mul-

tos viros bonos ſine ſcrupulo hoc factitare. Quod intellige pro partibus vbi Catholici hæreticis permixti. Eodem modo in talibus partibus licet comitari hæreticos ad ſepulturam. idem c. 10, Item eorum ritibus adeſſe, Lezana. Modo in his omnibus abſit ſcandalum & periculum ſubverſionis.

Dico 6. Diſputantes cum Hæreticis non excommunicantur hâc excommunicatione. Laicus tamen diſputans cum hæretico peccat mortaliter, quia hoc ei ſub alia excommunicatione interdictum C. Quicunq; de hæreticis. Quæ tamen tantùm eſt comminatoria. Catholicus etiam quicunq; diſputando coram ſimplicioribus peccat S. Th. 2. 2. q. 10. a. 7. Item Catholicus quicunq; diſputando cum hæretico pertinaci peccat, quia ſic nulla vtilitas ſperanda. Sed pacis perturbatio timenda. Vide Becanum l. c. ſed vigorem C. quicunque de hæret: in Germania lociſq; ſimilibus vbi Catholici hæreticis permiſcentur abrogavit conſuetudo ut putat Bonac. d. 3. q. 7. p. 5. & alii.

Dico 7. In Iubilæo, in quo datur facultas ſuper caſus Bullæ Cœnæ Domini, hæretici non denunciati, item relapſi qui publicè hæreſim coram Iudice non abjurarunt, hic in noſtris partibus intrepidè abſolvi poſſunt. Non poſſunt autem hæretici denuntiati, item relapſi. Dixi in noſtris partibus. Nam ſecus dicendum in Italia & Hiſpania, ac vbicunq; ſunt Cenſores, ſeu Inquiſitores fidei. Moſc. in Appendice ad Tyrocinium S. Artis Pœnitentiariæ.

Dices. Hæc opinio poteſt eſſe falſa, ergo ſequens eam nulliter abſolvet. ℞. Tranſeat antecedens, probabilitati enim nõ repugnat falſitas. Nego tamen Conſeq. Nam probabilis opinio efficit, ut Eccleſia ſuppleat defectum, & det juriſdictionem propter bonum commune, ut probat citatus D. l. c.

Dico 8. Epiſcopi per ſe tantùm & non per Vicarium ſuum poſſunt abſolvere ab hæreſi occulta. Trident, his verbis. *Liceat Epiſcopos &c. in quibuſcunq; caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunq; ſibi ſubditos, in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere impoſitâ pœnitentiâ ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm non eorum Vicariis ſit permiſſum.*

DISTINCTIO XIII.

Circa nonnullas Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini.

Dico 1. Illi incurrunt Excommunicationem huius Bullæ imponendo nova pedagia ſeu gabellas, qui ſupra ſe habent ſuperiorem temporalem. Fernandez in Bulla Cruciata cum Roderico.

Dico 2. Non ſolùm qui litteras Apoſtolicas falſificat, ſed etiam qui eas falſificari facit ligatur hac cenſura. Corduba apud Fern. loco citato. ſed oppoſitum annotavi ad excomm: ſextam B. C. D. Per has litteras Apoſtolicas intelliguntur tam Bullæ à Papa expeditæ, quàm ſupplicationes ſignatæ à Papa, verbo, fiat. colligitur ex textu B. C. Domini. Ideo non excommunicantur hac excommunicatio-

ne qui falsificant litteras Episcopi, vel Nuncii, vel Protopœnitentiarii, quia non sunt litteræ Papales Samuel de Lub. in præsenti. Item, non excommunicantur hâc excommunicatione, qui immutant aliquid accidentarium Papalium litterarum. Nav. neq; qui falsis ab alio factis litteris vtuntur in suum commodum, quia hi non falsificant. Hi tamen aliâ excommunicatione Papali excommunicantur, quæ supra num. 18. insinuata.

Dico 3. Non solùm illi, qui arma Turcis aliisq; infidelibus deferunt in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur, sed etiam qui materiam armorum ut ferrum, æs &c. aut quodvis aliud ad bellum conducens, ut equos &c. subministrant. Christiani tamen captivi qui metu verborum & necis coacti remigant in triremibus Turcarum pugnantium contra Christianos non excommunicantur. Navar. in Manual. c. 27. n. 63. Fern. p. 1. c. 9. § 16. Sec. 8. & alii quia Censuræ Ecclesiasticæ non feruntur nisi in liberè contumaces, peccant tamen mortaliter, quia talis remigatio est directè & per se ordinata ad occisionem seu damnum innocentium Christianorum. Fern. l. c.

Hæc excommunicatio (ut patet ex textu) afficit, eadem hæreticis per Papam nominatim declaratis, Catholicos impugnantibus præstantes, & ad Reipublicæ Catholicæ statum pertinentia, iisdem hæreticis in damnum Catholicorum nunciantes. Afficit quoq; auxilium, consilium & favorem, infidelibus contra Christianos, & hæreticis supra dictis cõtra Catholicos, in prædictis quomodocũq; dantes.

Dico 4. Per Prælatos in excommunicatione vndecima intelliguntur Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi Sedis Apostolicæ Legati vel Nuncii ut habetur in textu. Non solùm autem occidentes mutilantes, cædentes, vulnerantes, vi retinentes, aut in carcerem conjicientes &c. hâc excommunicatione ligantur, sed etiam jubentes, ratum habentes, & faventes, ut est in textu.

Dico 5. In eos Iudices sæculares lata est excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini, qui cum sæculares judices sint, cognoscunt causas Ecclesiasticarum Personarum quovis modo id intendant facere. Nomine Iudicum intelliguntur quicunque sæcularis fori officiales. Emanuel quem sequitur Fernandez in Bulla Cruciata. An verò per Bullam Cœnæ revocentur Privilegia Regni Galliarum circa casus Privilegiatos in quibus laici Magistratus se intromitromittunt contra Clericos &c. aliqui affirmant, alii negant.

Dico 6. Qui authoritativè seu ut Domini redditus Ecclesiasticos sine licentia Papæ capiunt incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, ut referendo prædictas excommunicationes n. 17. diximus. Item qui Ecclesiasticorum bonis onera imponunt, Possunt nihilominus Principes absq; metû excommunicationis vectigal laicis & Ecclesiasticis permixtim imponere ob publicam necessitatem. Publica autem necessitas intelligitur illa, quæ æque principaliter concernit laicos & Clericos, non quæ secundariò Clericos concernit. Præter publicam necessitatem debet concurrere consensus Cleri. secundùm aliquos nomine Cleri venit solùm Capitulum Cathedrale. Debet etiam præcedere licentia Summi Pontificis

tificis, nisi periculum esset in mora, in quo casu pro primi oneris impositione sufficit consensus Episcopi & Cleri. Admoneri autem debent Episcopi, ut cum tales licentiæ impetrantur, advertant, vtrum narrata in supplicationibus sint vera. nam id intendunt Pontifices, dum dicunt. stantibus præmissis. Immo debet audire Clerum de cuius interesse agitur, præcipuè si dicatur, vocato Clero. Quando ergo Ecclesiastici prædictum onus solvere tenentur, exactio fieri debet per Personas Ecclesiasticas ab Episcopo deputatas, ut expressum est in Bulla Vrbani VIII. concessa pro Ducatu Mediolanensi.

DISTINCTIO XIV.

De Excommunicatione lata in Clericorum percussores.

EXcommunicatio lata in Clericorum percussores his verbis in jure communi habetur. *Si quis suadente diabolo huius sacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur & eius suscipiat mandatum.*

Nota. Triplicem Fernandez refert percussionem seu læsionem, sc: enormem, levem & mediocrem. Enormis est, in qua proceditur vsq; ad membri mutilationem, vel effusionem sanguinis, vel contra Episcopum vel Abbatem. Effusio autem sanguinis debet esse in copia, non ex naribus vnde facilè effluit. Levis est quæ fit pugno, palma manu, pede, ligno, lapide, non facientibus vulnus. Semper tamen fit cum peccato mortali. Ad judicandum inter levem & enormem, consideranda sunt, personæ qualitas circumstantia loci &c. Mediocris est inter levem & enormem. Sed de hac non potest esse certa regula. Summa Dianæ etiam triplicem refert. scil: levem, gravem & enormem. Levem dicit non habere annexam excommunicationem. Gravem dicit reservatam Episcopo Enormem Papæ, sed sciendum de tali levi percussione loqui Dianam quæ non attingit culpam mortalem. Dela-Cruz de Sacram: Pœnitentiæ q. 5 dub. 3. concl: 1. & 2. tantùm duas assignat scil: levem & notabilem. Notabilem confundit cum enormi, & est in supra dictis casibus. Præterea quando per percussionem inhabilitatur membrum ad suum actum. Quando plebeius auctoritativè lædit Clericum. Si percussio fit cum magno scandalo, v. g. si percutitur Clericus sacris indutus. Colligitur etiam percussionem esse notabilem ex loco percusso v. g. si datur alapa. Navarus tamen hanc putat esse levem, eò quòd percussio, quæ fit palmâ manûs in jure dicatur levis. Sed intelligitur de percussione palmæ extra faciem ait Dela-Cruz cit. ex Armilla. Quòd si dubium, an sit percussio notabilis seu gravis, judicium pertinet ad Episcopum. Hostiensis apud Fernandes, vel etiam ad Confessarium habentem authoritatem Episcopi ex commissione aut privilegio. Et quoties non potest determinari, reputetur notabilis, Nav. & Rod. quos sequitur Dela C.

Dico 1. Injicere manus violentas in Clericum aut Monachum, si percussio

sit

ſit enormis ſeu notabilis reſervatur Papæ extra Bullam Cœnæ. Ideo de eo, qui præcipit, conſilium, auxilium aut favorem præſtitit. Idem de eo, qui cum poſſet, non impedivit talem percuſſionem, ſi ſcil: ex officio & juſtitia impedire tenebatur. Item excõmunicatur, qui ratam habet percuſſionem ſuo nomine factam, cum ratihabitio in jure mandato comparetur. Notat Tol. cum aliis apud Fernandes ad incurrendam hoc modo cenſuram, debet eo tempore ſuo nomine fieri percuſſio, quo ipſe ratificans poſſet eam infligere. Quòd ſi percuſſionem alterius nomine factam ratificas, peccas quidem ſed non excommunicaris. C. Cùm quis de ſententia excomm. in 6.

Dico 2. Per Clericum hic intelligitur Clericus majorum Ordinum, etiam excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, irregularis, non tamen degradatus realiter ſecũdum Caiet. in Summ. Apoſtata, & vacans ſævis criminibus. Armilla V. Excomm. Item per Clericum intelligitur ſaltem prima tonſura initiatus. V. Lezanam in ſum: V. Cler. etſi alias ſit ſemel & cum virgine vxoratus, hic tamen ſaltem habitum Clericalem deferat, & alicui Eccleſiæ deſerviat.

Dico 3. Per Monachum intelligitur Regularis Profeſſus etiam Converſus: item Converſa, imò Novitius & Novitia. Similiter ut docet Sylve. Tertiarii, alias Donati & Oblati. Oppoſitum de Tertiariis ſenſit Dela Cruz & Armilla niſi ſit privilegium, ut de Tertiariis Ordinis Noſtri & S. Franciſci. vel niſi ſint obligati perpetuò ad ſerviendum Deo. Armilla ex Panorm.

Qræres, vtrùm percutiens Clericum vel Monachum mortuum incurrat hanc excommunicationem. ℞. Felinus, quem ſequitur Fernandes affirmativè.

Dico 4. Per manum violentam intelligitur quicunq; effectus violentus in Perſonam vel in adhærentia Perſonæ ut notat. Sylv. v. g. ſi aquam proijcias pulverem vel ſalivam per modum injuriæ. Imò ereptio alicuius rei per vim, niſi res ſit alterius, & Clericus velit eam aſportare. Item abſciſſio ephippii. Item perſecutio talis, quæ cogat Clericum ſe præcipitare in flumen, vel aliud ſubire diſcrimen ad evitandum damnum. Non eſt tamen ſecundum Sylv. violenta manûs injectio, perſecutio ob quàm Clericus cadit & læditur ad lapidem. Item per manum violentam intelligitur captio, detentio, incarceratio. Niſi alias capiatur in crimine patrato, aut patrando, ut præſentetur ſuo ſuperiori. Aut ſi creditor capiat, vel detineat Clericum fugientem, ut eum Prælato ſuo præſentet pro juſtitia ſervanda. Item ſecundùm Rodericum & alios ponere manum violentam in equum cui inſidet Clericus reputatur injectio manûs in Clericum. Vtrùm verò Clericus, qui ſe ipſum percutit, in hanc excommunicationem incidat. Affirmat Sylv. & Tab. negat Caiet. quia Canon diſtinctam perſonam videtur requirere. Secus dicendum, qui Clericum, ſponte ſe verberibus ſubijcientem, percutit non jocosè, hic enim ſine dubio excommunicatur, quia privilegium Clericale datum eſt in favorem Ordinis Clericalis, cui Clericus cedere non poteſt. Hæc manuum injectio debet eſſe præuiſa. Nam caſualis, licèt ob negligentiam mortalis, non cauſat hanc excommunicationem, quia non eſt formaliter & explicitè injurioſa v. d. 8. conc. 1.

Præterea debet esse suadente Diabolo, hoc est per peccatum mortale commissa.

Dico 5. In his & similibus casibus non incurritur excommunicatio ob violentam percussionem. *Primò,* Quando fit joco, licèt jocus peccaminosè excedat modum. *Secundò*, Quando vis vi repellitur, cum moderamine inculpatæ tutelæ, licèt aliquo modo excedatur ob impetum iræ. *Tertiò,* Quando percutitur incontinens Clericus turpiter inventus cum vxore vel matre, sorore vel filia, non autem cum aliis personis remotioribus. Si tamen vir consentiret vxori ut adulteretur, & hac occasione inventus percutiatur Clericus, non evaditur excommunicatio. *Quartò* Quando percutit Clericum, de stupro eam tentantem facto non verbo tantùm, Dela-Cruz & Alloza. Et in universum, quando percussio est solùm peccatum veniale, ut fit ex subita passione aut sine plena deliberatione, item ut contingit inter pueros Minoribus initiatos verberantes, cùm enim talis rixa non oriatur regulariter ex ira perfecta non est mortale.

Dico 6. Sequentes possunt percutere Clericos absque excommunicationis contractione. *Primò*, Qui habent curam eijciendi foras turbantes officia Ecclesiæ, dum Clericos in Minoribus reperiunt officia divina turbantes. *Secundò*, Prælati suos subditos. *Tertiò*, Magistri discipulos. *Quartò,* Domini Clericos de sua familia. *Quintò*, Parentes filios. Ita Tolet. apud Fernandez. Adverte Custodes Ecclesiæ solùm alios Clericos in Minoribus possunt percutere ut refert Fernandez. Prælatis & Magistris licet leviter percutere ob correctionem etiam Sacerdotes. Ita Panorm. apud Fernandez. Imò & Parentibus idem licet Caiet. & Sylv. V. excomm. quia potestas parentũ in filios non minor, quàm magistrorũ in discipulos.

Nota. In percussione correctionis incurritur excommunicatio, dum exceditur modus ob iram & passionem, lethaliter. Sylv. & Tab. V. Excomm.

Dico 7. Quibus licet ob correctionem, Clericos percutere non possunt id facere per alium. Excipe Episcopos, qui id facere debent per alium Clericum. Item excipe Abbates, & Iudices Ecclesiasticos, si necessitas suadeat, ex C. universitatis de sententia excomm. Aliter facientes tam mandantes, quam verberantes excommunicantur excomm. Papali. Sylv. V. excomm. Prælati Regulariũ ob correctionem possunt verberare subditos per alios subditos. Ita concessit Minoribus Leo X. inter viva oracula. Sed Lezana & alii multi probant ex Bulla Vrbani VIII: hæc jam cessasse. Antonius Lusitanus Carmel. excalceatus fusè oppositum probat. scilicet adhuc non cessasse. Quod si Episcopus vel Abbas percutit Clericum per laicum excommunicatur excomm: Papali, quam etiam incurrit laicus. licèt fuerit justa causa percutiendi. Fernandez.

Dico 8. Qui mandavit percuti Clericum: & ante percussionem revocavit mandatum, admonuitq; mandatarium mutati propositi non incurrit excomm. quæ revocatio sufficit virtualis. talis erit si fecit pacem, sciente mandatario. Idem de consulente ac de mandante existimavit Sylv. & alii. Addit Innoc. debet consulens, cùm non sit certus de consiliario an desistere velit, admonere Clericum, ut caveat, saltem in generali. Alii arbitrantur incurrere excomm. si consiliarius percutit, ex vi consilii dati, quantumvis revocati. Dico

Dico vltimò. Qui percutit Clericum liberè se offerentem incurrit hanc excommunicationem, si seriò & non jocosè percutit. Quia privilegio concesso in favorem statûs Clericalis, Clericus cedere non valet. An verò taliter se offerens percussioni, excommunicetur, negari solet.

Q. Casu quo Prælatus manus violentas in Regularem sibi subditum, vel etiam non subditum injiceret, à quo absolvendus? ℟. à suo Superiori. Si autem superior in promptu non sit, potest ab alio Sacerdote ab eo in Confessorem electo absolvi. Rodriquez, Miranda, & Peirinis. Nec hoc est exercere aut delegare jurisdictionem, sed designare Personam, cui Papa vi juris communis vel privilegiorum eam jurisdictionem concedit. Suarez, Peirinis & Tamburinus. Si verò casus esset quòd in Conventu tantùm essent Prælatus & subditus Sacerdos, & quòd adinvicem se percussissent, nec esset alius à quo absolvi possent, plures dicunt posse se adinvicem absolvere. etsi enim excommunicatus excommunicatione majori non possit absolvere, in casu tamen necessitatis prout in præsenti, quia necessitas lege caret, id fieri potest. Tabiena, Rodriquez, Miranda, Coriolanus, Peirinis. Aliter respondet Suarez. Si talis excommunicatio est occulta, potest Prælatus absolvere subditum, & postea ab hoc absolvi. Si verò est publica, quia caret jurisdictione, debet eligere alium Sacerdotem extra Religionem, habilem tamen, & ab eo absolvi, & postea ipse absolutus absolvere potest subditum. Adducit Suarez ad hoc aliqua jura, sed non convincunt intentum. Ita in terminis Lezana to. 3. qq. Reg. V. Cler. n. 17.

DISTINCTIO XV.

De Suspensione.

NOta. 1. Suspensio est *censura Ecclesiastica privans usu Ecclesiastici officij aut beneficij.* Cum sit pœna debet incurri propter culpam & quidem secundum Cajet. sufficit venialis, sicut ad excommunicationem minorem, quæ etiam à magnis excludit. Hinc suspensio v. g. ob infirmitatem &c. non est propriè suspensio.

Nota 2. Aliqua quæ dicuntur de excommunicatione, dicenda sunt de suspensione. Hinc suspensio in scriptis & prævia monitione est ferenda, si imponatur ob contumaciam. Item sicut excomm: & interdictum sequenti appellatione non suspenduntur, ita & suspensio. Nulla est suspensio sicut & excomm: & interdictum, si imponatur post legitimam appellationem.

Dico 1. Suspensus ab Ordine non ob id suspensus est à beneficio, aut iurisdictione, neq; è contra, quia hæc sunt distincta & vnum ab altero non dependet. Et sic si talis intersit divinis officiis potest percipere fructus ob assistentiam & regimen debitos. Suspensus ab Ordine majori, non ob id suspensus est à minori, benè è contra. hinc qui suspensus à Subdiaconatu etiam à Diaconatu.

Dico 2. Suspensus simpliciter ab officio intelligitur tam Ordinis quàm jurisdictionis. Panor, & alii apud Fernandez. sicut suspensus simpliciter non ap-

posito

poſito an ab officio aut beneficio, intelligitur ſuſpenſus ab omnibus, ſecundùm Sylv. ſuſp. Scias nomine officii intelligi omnem poteſtatem ſpiritualem ad actum ſpiritualem exercendum, ſive ſit actus Ordinis, ſive Eccleſiaſticæ adminiſtrationis.

Dico 3. Omnis ille, qui poteſt excommunicare, poteſt ſuſpendere, ſola Perſona Eccleſiaſtica poteſt ſuſpendi, ut patet ex definitione. Debet autem ſuſpenſio fieri ob aliquam culpam & ſufficit venialis ad ſuſpenſionem levem. an verò requiratur contumacia? negandum videtur cum Innoc. & Abb. ſed poteſt imponi in pœnam præteriti peccati.

Dico 4. Suſpenſus à beneficio tenetur ſub peccato mortali reſtituere fructus, demptis neceſſarijs ad victum moderatum, ſi aliàs non habeat vnde vivat, nec poſſit facere ut abſolvatur. Huiuſmodi autem fructus fiunt vtilitati Eccleſiæ. Sed non fit irregularis etſi fructus non reſtituat. Sicut & ſuſpenſus à receptione Sacramentorum, ſi hæc recipiat, non fit irregularis, cum hæc recipere etiam laicis competat. Excipe niſi recipiat Ordines majores, ut docet Dela Cruz ex D. Raym. & Sylv.

Dico 5. Suſpenſus ab Officio non poteſt eligere, quando eligere competit ei non ratione beneficii, ſed officii, à quo eſt ſuſpenſus. ſed non fit irregularis eligendo alterum. Item taliter ſuſpenſus non valet excommunica &c. Peccat mortaliter, tam ipſe quàm ipſum non vitantes, in eo, in quo tenentur vitare. cùm violent præceptũ Eccleſiæ in re gravi, ſi ſit denunciatus, & ei cooperentur. Secus ſi nulla cooperatio. Et ſic aſſiſtens Miſſæ ſuſpenſi peccat, ex Nav. in Sum. Dianæ.

Dico 6. Suſpenſus ab Ordine ſacro aut officio Euchariſtico peccat mortaliter, & fit irregularis exercendo ſolemniter & ex officio actum ſacris Ordinibus deputatum. Vide dicta diſt. 4. concl: 4. conſequenter ſi prædicet ſolemniter & ex officio & præterea ſic prædicando excommunicatur, ut refert Fernandez. Quòd ſi quis ſuſpenſus ab Ordinibus minoribus eos exerceat non fit irregularis, ſecundùm Navar. Lib 3. concl: 3. de ſententia excomm.

Dico 7. Si quis bonâ fide putat ſe habere legitimam ætatem & ordinatur, bonâ fide non eſt ſuſpenſus, & ſic non fit irregularis celebrando. Imò nec compertà veritate peccat celebrando ſecundùm Nav. apud Led. c. 7. de Ordine. nec manet irregularis. Nam etſi in Tridentino habeatur, quòd carens ætate non ordinetur, ſed ſi bonâ fide ordinetur non vetatur exercere Ordines. Imò ſuppoſito, quòd ſit jam bonâ fide ordinatus, habet jus exercendi ſuum miniſterium. Ordinatus verò ſcienter ſine ætate, poſt abſolutionem à ſuſpenſione, celebrando non fit irregularis. Sylv. & Arm. V. Irreg. cùm jam non ſit ſuſpenſus, ſed peccat mortaliter, addit Dela Cruz.

Dico 8. Sicut nulla ſunt determinata verba in forma ſuſpenſionis obſervanda, ſed quævis ſuſpenſionem exprimentia ſufficiunt v. g. ſuſpendo te &c. Ita nulla ſunt determinata verba in forma abſolutionis à ſuſpenſione, ſed quibuſvis id ſignificantibus ſuſpenſio tollitur, v. g. ſi dicas abſolvo te à ſuſpenſione quam incurriſti ob talem cauſam & reſtituo te priſtinæ executioni. Imò ſuſpenſus

spensus pro certo tempore, vel quousq; satisfaciat, illo tempore impleto aut factâ satisfactione manet absolutus absq; alia verbali absolutione.

Dico 9. Absolutio suspensionis latæ ab homine, pertinet ad eum, qui eam posuit, vel ad eius successorem, vel superiorem vel ad aliùm ex istorum commissione. Et valet in foro externo, datâ virtute alicuius indulti, v. g. Iubilæi, satisfactâ tamen parte, & cessante contumaciâ, ut in simili docui de absolutione excomm. Dist. 10. conc. 8. pariter absolutio suspensionis à jure, à quo determinatum est tempus suspensionis, ante finitum tempus pertinet ad jûris conditorem, vel ad successorem vel ad alium ex istorum commissione, quamvis suspensio non sit aliunde reservata.

Dico 10. Episcopo in sua diœcesi, & eius Vicario conceditur in Concil: Trident. Sess: 24. c. 6. absolvere in foro conscientiæ suos subditos ab omni suspensione etiam Papæ reservata ex delicto occulto orta, exceptâ ad forum contentiosum deducta, & exceptâ ex decreto Sixti V. Suspensione Simoniace ordinantis, & ordinati. Et licet Clemens VIII hoc Decretum moderetur, pœnas tamen Simoniæ ibi contentas in suo robore relinquit. reservatio autem vel est pœna, vel robur pœnæ. Sed hoc non omnes concedunt, negant enim reservationem esse pœnam.

Dico 11. Si suspensio sit lata cum termino aut reservatione, non potest tolli ab Episcopo in foro externo, sed transacto termino tollitur. Et proptereà in præcedenti conclusione additum fuit, in foro conscientiæ. Secus si sit posita sine termino & reservatione, & ob delictum in quo Episcopus potest dispensare, sicut ob adulterium, aut alia minora delicta. Nam si sit posita ob delictum, in quo non potest Episcopus dispensare, nō poterit ab ea absolvere in foro externo, etiam si sit posita sine termino & reservatione. Ita refert Dela C. quantum ad omnes partes.

Q. V. Quilibet Confessarius ab Episcopo expositus possit absolvere in foro conscientiæ à suspensione juris non reservata? R. posse Bon: de Cens: in Communi d. 1. q. 3. punc. 1. n. 10. & cōmuniter Religiosi ex privilegiis absolvere possunt ab omni suspensione in foro conscientiæ. Adv: ad vltimam partem conclus: nonæ, si vis uti primâ parte huius responsionis. Dixi, *communiter* & non omnes. nam mihi non constat omnes Religiosos quoad similia esse privilegiatos. quod notandum dum de privilegiis & communicatione fit mentio.

DISTINCTIO XVI.

Referuntur, magis necessariæ scitu, suspensiones.

PRimò, eligens indignum pro cura animarum suspenditur à beneficiis Ecclesiasticis per triennium. Prælati talem per negligentiam confirmantes privantur potestate confirmandi primum successorem cuius electionem confirmaverunt, & suspendendi sunt a fructibus beneficii.

2 Sacris initiatus notorius concubinarius suspenditur. est autem notorius concubinarius, qui domi suæ concubinam quasi vxorem fovet. hæc non videtur

eſſe in vſu, ait Samuel de Lubiino V. Suſp. jus tamen novum Tridentini ſeſſ: 25. c. 14 de Reformatione eſt ſervandum.

3. Recipiens Ordinem ſacrum ſine licentia, ſui Epiſcopi ſine ætate, extra tempora, plures Ordines ſacros eodem die, ficto titulo, hoc eſt, qui ſacris initiatur ſine patrimonio, cum pacto non petendi ab Epiſcopo victum, & qui ordinatur ad præſentationem alicuius Beneficiarii cum pacto nihil petendi, ſuſpenditur ab ordine ſuſcepto. Immo qui ſimul recipit Minores cum ſacro, privatur executione ordinis ſacri.

4. Recipiens ordinem ſine teſtimonio ſuæ probitatis, dando à proprio ordinario, privatur exercitio ſuſceptorum, etiam Minorum. & ſic ampliatur prima pars præcedentis concluſionis. Recipiens ordinem poſt contractum matrimonium, ſuſpenditur à ſuſcepto ordine, nec poteſt promoveri ad officium vel beneficium. ſecus ſi tantùm recipiat Minores. Recipiens ordinem in excommunicatione majori, quàmvis tantùm recipiat Minores, ſæcularis quidem privatur executione ordinis ſuſcepti, Regularis verò non ſolùm privatur exercitio ordinis ſuſcepti, ſed & officio. Recipiens ordinem ſacrum in apoſtaſia ſuſpenditur ab executione ordinis in Apoſtaſia ſuſcepti, etſi redierit & pœnitentiam egerit. Abſolutio in hac haberi poteſt virtute privilegiorum, ſed in foro interno.

5. Qui præſumit excommunicare ſine trina monitione & teſtibus, ſuſpenditur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ. niſi ſit Prælatus Regularis, hæc potius eſt interdictum. Qui verò præſumit excommunicare, interdicere aut ſuſpendere ſolo verbo aut ſine expreſſione cauſæ, aut ſi requiſitus intra menſem temerè negat tranſumptum ſcripturæ, ſuſpenditur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis officiis: niſi ſit Prælatus Regularis. Scias, Excommunicatio per legem lata non requirit monitionem.

6. Audentes vſurpare aliquid ex redditibus dignitatum vacantium, Perſonatuum, Prioratuum vel Eccleſiarum ſibi ſubditarum, quos reliquerant mortui, aut collecti ſunt tempore vacationis, ſuſpenduntur ab officiis & beneficiis, donec reſtituerint, niſi habeant ad hoc privilegium vel conſuetudinem præſcriptam. Eccleſiam quoq; gravantes alienis debitis ſuſpenduntur ab adminiſtratione temporalium & ſpiritualium. & hæc eſt contra audentes.

7. Iudex Eccleſiaſticus faciens aliquid contra juſtitiam & ſuam cõſcientiam, per gratiam, odium, aut timorem, in gravamen partis alterius, ſuſpenditur per annum ab officio. & perpetuò, ſi iſto tempore ſe ingerit divinis.

8 Qui præſumit admittere, ad officia divina, ad Sacramenta, aut ſepulturam Eccleſiaſticam excommunicatos non toleratos aut interdictos publicos, ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, ſeu potiùs interdicitur, donec ſatisfaciat ad arbitrium illius cuius ſententiam contempſit. Et hoc ait Navar. tantùm contra exemptos, quorum nomine etiam veniunt Clerici privilegiati.

9. Habentes beneficium cui annexus eſt ordo, ſi infra annum non promoventur, ſuſpenduntur. Hanc ut jacet refert *Moſc.* p. 5. Elementorum ad S. Confeſſ: V. dicenda in 4. d. 9. conc. 2.

10. Qui

10. Qui non servat interdictum, juxta ea quæ solent doceri in trac. de interdicto suspenditur ab officio beneficio & jurisdictione.

11. Admittens vsurarios manifestos ad Eucharistiam, sepulturam aut oblationem, suspenditur ab officio, quousq; arbitrio Episcopi satisfaciat. Vocatur vsurarius manifestus qui est condemnatus de vsuris, secundùm Bonac. de Censuris in communi disp. 3. punc. 5. § 1.

12. Simoniacus in ordine suspenditur à functione Ordinum Simoniacè susceptorum. Quid autem incurrat Simoniacus in beneficio V. l. 1. d. 33. conc. 18.

13. Religiosi habentes administrationem rerum Ecclesiasticarum, alienando aliquid ad eam pertinens, aut alicui ad vitam, seu ad aliud certum tempus concedendo absque necessitate vel vtilitate & licentia sui Conventûs, aut Prælati, si non habet Conventum, etiamsi pretio illud concedant, suspenduntur ab officio & contractus annullatur. Et licèt permittantur rerum locationes, & venditiones redituum ad modicū tempus, tamen si dictæ solemnitates omittantur incurritur excōmunicatio & contractus annullatur. V. decretū S. C. 1624. 7. Septem. quod etiam refert Lez. tomo 1. qq. Regul. C. 10. n. 1 vbi major rigor invenitur.

14. Sacerdotes Religiosi matrimonium celebrare id est coniungere vel benedicere sine licentia Parochi præsumentes (propter quod & alii Sacerdotes vel Parochi, absolutè suspendūtur) Præterea Religiosi præsumentes vsurpare decimas suspenduntur ab officiis, administrationibus & beneficijs suis, si moniti intra duos menses nō satisfaciant. Quòd si nec officia, nec beneficia nec administrationes habeāt, non suspenduntur, sed excōmunicantur. Prælati Regulariū, ad quos occasione excessuum suorum Regularium in Clementina 1. de privilegiis, prohibitorum aliquid quoquo modo pervenerit, absolutè & simpliciter suspenduntur vsq; ad debitam satisfactionem, nisi intra mensem, postquam requisiti fuerint de eo, satisfecerint Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis damnificatis. hi excessus sunt tres, primus est retrahere testantem à legatis faciendis Ecclesiis Matricibus. 2. retrahere testatorem à debitis restituendis. 3. procurare ut legata, debita vel malè ablata incerta dentur sibi vel aliis personis singularibus sui Ordinis, vel Conventibus in præjudicium aliorum quibus debentur.

Observa cum Sayro l. 4. C. 13. & aliis, vetitum non esse Religiosis certiores facere moribundos de sua necessitate, ipsosq; hortari, ut suo monasterio aliquid sponte legent. Religiosi non recipientes decimas, si requisiti à Rectoribus Ecclesiarum vel Vicariis, scienter prætermittunt facere conscientiam in confessione, de solutione decimarum suspenduntur ab officio prædicationis. V. dicta in 1. d. 35. de decimis, tempus requisitionis determinatur à jure, scil: prima Dominica, quartâ & vltima Quadragesimæ. festa Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis & Assumptionis B. M. V. Nativitas S. Ioan. Baptistæ.

Religiosi audentes intromittere mulieres in monasteria suspenduntur. V. dicta de excomm. Papalibus reservatis extra B. C. D. Item, qui in Ordine Mendicantiū præsumit admittere Novitium ad professionem ante completum tempus, excom-

municatur & ſuſpenditur à receptione Novitiorum ad profeſſionem excommunicatio non eſt latæ ſententiæ, ſecus ſuſpenſio.

15. Prælati Regularium ſi requiſiti à Perſonis Eccleſiaſticis de præiudicio ex adminiſtratione, S. Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, Matrimonii ſolemnizationis, aut quacunq; abſolutione indebitè facta à ſuis Religioſis, infra menſem plenam ſatisfactionem læſis non exhibent, ſuſpenduntur ab officio & beneficio. Attende, poni, ly *requiſiti* & non ly *citati*. ſuſpenduntur inquam vſq; ad plenam ſatisfactionem, quâ poſitâ ceſſat ſuſpenſio.

16. Viſitantes, ſi recipere munera, vel exigere procurationem in pecunia, aut viſitationis officio non impenſo procurationem in victualibus vel alia re ſumere præſumunt, ſuſpenduntur abſolutè & ſimpliciter, ſi infra menſem duplum non reſtituant. donec reſtituant.

Scias 1. Suſpenſionem procedere de viſitantibus jure ordinario. & eorum familiaribus. 2. Incurri ſuſpenſionem licèt munera ſponte dentur. 3. Licere procurationem in pecunia ſumere, ſi liberè offeratur. His ſubiacent Religioſi dum viſitando aliquid accipiunt vltra victualia. ſolùm enim excuſantur accipiendo ex laudabili Religionis cõſuetudine vel inſtituto, ut habet C. Romana de Cenſibus.

17. Non ſolùm qui præſumit in concione populari, aut vbi adeſt virorum ac mulierum multitudo diſputare in alterutram partem de Conceptione B. M. V. aſſerendo propriam ſententiam rationibus, vel auctoritatibus, & alteram refellendo, aut impugnando, verum etiam qui præſumit de hac ipſa quæſtione cuiuſvis pietatis prætextu vulgari linguâ ſcribere vel dictare, ſcil: refellendo, aut impugnando, ſuſpenditur à divinis ſi eſt in ſacris, nec non privatur ipſo jure omni gradu & dignitate, & ad ſimilem redditur inhabilis, & à ſolo Papa diſpenſari poteſt, ex Bulla Pii V. quæ incipit, *ſuper ſpecula*. Ita in terminis Bonac. de Cenſ: in comm: diſp. 3. punc. 4. §. 1. Quæ verò ex dictis extenduntur ad omnes & ad privata colloquia. V. Bullam Greg. XV. & Bonac. de excomm: in particulari d. 2. q. 3. punc. 34. & d. 3. q. 6. punc. 5. vbi refert citatam Bullam.

18. Circa Sodomitas ſic Pius V. definit: *Omnes & quoſcunq; Presbyteros & Clericos ſæculares & Regulares cuiuſcunq; gradûs & dignitatis, hoc nefas exercentes, omni privilegio Clericali, omniq; officio & dignitate & beneficio Eccleſiaſtico præſentis canonis authoritate privamus.*

19. Clericus provocans ad duellum aut illud acceptans ſuſpenditur. ſed negat Navar. eò quòd in C. à Sylveſtro citato ſolùm dicatur eſſe ſuſpendendum. Aliàs ſuſpenſiones V. apud Opat: diſp. 18. de Pœnit. q. 1. & Moſc: p. 9. Element. ad S. Confeſſiones.

Adv: 1. Epiſcopos non affici ſuſpenſione vel interdicto, niſi quando ſpecialis mentio fit de eis. Quæ autem ſunt tales, refert Moſc: l. c. 2. Suſpenſus ſi non eſt denuntiatus validè abſolvit à peccatis. 3. Non addidi quæ ex his ſuſpenſionibus reſervatæ quæ non reſervatæ. Si ergo Confeſſarii non privilegiati volunt practicare ſententiam Bonac. & aliorum, videant textum, vel Doctores fusè cenſuras; examinan-

examinantes. 4. Addidi circa aliquas ly *præsumit* ly *scienter &c.* Quare si circa aliàs pœnitentem vel consilium petentē excusare vis, consule textum vel tractantem de suspensionibus ut tractat Bonac: nec tamen omninò certum est similes particulas excusare, dum adest ignorantia crassa. 5. Reperies in jure suspensiones quæ cessant impletâ conditione v. g. satisfactione. Si ergo te vis abstrahere ab absolutione, consule id supra, tales suspensiones censentur reservatæ non impletâ conditione, licèt aliunde non reserventur.

DISTINCTIO XVII.

De Degradatione.

NOta. Degradatio rigorosè accepta & ut realis, est privatio legitimæ executionis Ordinum, & beneficiorum Ecclesiasticorum in totum absque spe restitutionis, cum certa solemnitate, & privatione privilegii Clericalis cuiusvis. colligitur ex Sylv. Tab. & aliis. Debet ergo hæc pœna solemniter fieri amovendo actualiter insignia Clericalia à degradato. Quibus peractis sic degradatus eximitur à jurisdictione Ecclesiastica & traditur sæculari brachio. ut verbalis verò, est suscepti gradûs Ecclesiastici perpetua cum certa solemnitate depositio.

Dico 1. Degradatio non est maxima inter pœnas Ecclesiasticas, sed Excommunicatio. Patet ex effectu excommunicationis, priuat enim participatione Sacramentorum, tam activâ, quàm passivâ, Fidelium suffragiis, Ecclesiasticâ sepulturâ &c. tandem reddit excommunicatum jumentum diaboli. Quæ non competunt degradationi, hinc degradatus potest interesse divinis. Dici tamen potest degradationem majorem esse excommunicatione, quantum ad corpus inquantum degradatum sic abjicit Ecclesiâ, ut eum tradat brachio sæculari.

Dico 2. Solus Episcopus potest actualiter seu realiter & solemniter degradare. Nam res per quas causas nascitur per easdem dissolvitur, sed solus Episcopus ad Ordines promovet. Ergo & solus degradat. Vbi sciendum ad degradationem Presbyteri debere adjungi sex Abbates, ad degradationem Diaconi vel Subdiaconi tres. Quia ex Concil. Trident. Sess. 13. c. 4. de Refor: nunc tot Abbates sunt adjungendi; quot olim adjungebantur Episcopi, sed olim tot Episcopi adjungebantur ut probat Vivald. de Depos: n. 16. ergo &c. Si Diaconus fuit ordinatus à Papa nequit ab Episcopo degradari. Astensis in Sum. L. 7. tit. 7. a. 1. & alij.

Dico 3. Episcopus nequit degradari ab alio Episcopo. Nec à Legato à latere: nisi ex speciali commissione; sed à solo Papa. Astensis & alii. debet autem causa agitari coram duodecim Episcopis, processus & Episcoporum Iudicium sunt deferenda ad Papam, & ab eo proferenda sententia. Sylv. Tab. &c.

Dico 4. Omnis Clericus potest degradari, non tamen in vsu in Minoribus constitutum degradari, ut refert ex aliis Vivald. de Depos. n. 13. Hæc autem sunt ob quæ quis est degradandus. *Hæresis*; nisi statim pœniteat. *Falsificatio* litterarum Apostolicarum, *Conjuratio* in proprium Episcopum, vel injuria illi facta. *Sodo-*

mia ut decrevit Pius V. Hæc refert Fernand. Qui fatetur ex consuetudine haberi, propter quodcunq; atrox scelus degradationem incurri, qualis est v. g. Monialis violatio.

Dico 5. Matrimonium coram testibus & Sacerdote degradato ex licentia Parochi est verum. Sicut & absolutio in articulo mortis à tali data valet. Ratio primæ partis. Quia ex Trid. Matrimonium est verum coram Parocho & testibus, vel coram Sacerdote de licentia Parochi, sed talis degradatus adhuc est verus Sacerdos. Ergo &c. Adde veros esse Ordines collatos ab Episcopo degradato, quia per degradationem non amittit Episcopalem characterem seu potius extensionem characteris Sacerdotalis. Ratio secundæ partis. Quia propter instantem necessitatem dedit Eccesia talem potestatem cuiuis Sacerdoti, degradatus autem est verus Sacerdos.

Dico 6. Degradatus verbaliter tantùm, non amittit privilegium Canonis, *si quis suadente Diabolo &c* Degradatus autem actualiter seu realiter amittit tale privilegium secundùm Caiet. Sylv. V. Degradatio & alios. Hoc etiam interest inter degradatum verbaliter, quòd depositus non subjaceat potestati sæculari, degradatus verò actualiter subjacet potestati sæculari. Vide Lez. V. Degrad.

Dico 7. Degradatus actualiter tenetur ad horas Canonicas, Sylv. Arm. V. Degrad. & alii. Quia nemini debet suffragari suâ malitiâ Missus verò ad triremes & præ magnitudine laboris impeditus à recitandis horis Canonicis, non obligatur ad recitandam aliquoties orationem Dominicam & salutationem Angelicam, sicut Sacerdos deobligatus ex legitima causa à recitando officio, non tenetur sub præcepto ad alias orationes, ut suppleat horarum Canonicarum defectum.

DISTINCTIO XVIII.

De Interdicto.

INterdictum supra sic definivimus scilicet, *Est Censura Ecclesiastica separans hominem ab aliquorum Sacramentorum ministratione & receptione, à Divinis officijs etiam audiendis, à sepulturâ Ecclesiastica, & ingressu Ecclesiæ. Quâ definitione positâ.*

Nota. 1. Interdictum est triplex: Locale tantùm. Personale tantùm. Locale & Personale simul. Locale tantùm est, *quo solus locus interdicitur.* Quod rursus est duplex. Generale, *quo universalis locus interdicitur.* v. g. regnum vel provincia. Speciale, *quo interdicitur peculiaris locus,* v. g civitas, oppidum, sic exemplificat Fern. sed intelligendus respectivè. nam absolutò est generale ut referunt Bonac. Opatov: & alii. & clarè patet ex Clem: I. de sent: excommun: Quando civitas interdicitur includuntur suburbia, & ædificia propè mœnia. Item, quando Ecclesia, includuntur sacella & cœmeterium. Interdictum personale tantùm, est *quo interdicuntur personæ tantùm* Quod etiam est duplex. Generale, *quo interdicuntur universim omnes huius.* v g. oppidi cives. Speciale, *quo interdicuntur certæ personæ.* Interdictum locale & personale simul, *quo non solùm locus, sed & personæ interdicitur.* Differt autem locale à personali, quod personale associetur perso-

næ, nec vllibi talis persona potest admitti ad Divina & sepulturam. At si vna Ecclesia sit interdicta, in alia possunt divina audiri. Item Interdictum aliud est à jure, de quo Angelus V. Interdictum refert novem casus. Aliud ab homine. sed Mosc: & alii referunt plures.

Nota 2 Nomine Divini officii tempore interdicti prohibiti intelligitur Missa, horæ Canonicæ, aspersio aquæ in principio Missæ, ut solet fieri diebus Dominicis, benedictio solemnis Episcopi cum baculo, benedictio Abbatis & Abbatissæ, consecratio altaris, olei, chrismatis, calicis, & Virginis, benedictio aquæ, cineris, corporalium, ramorum Dominicâ in ramis, candelarum in Purificatione, ornamentorum Ecclesiæ, & velorum Monialium, processiones, Officia B. Virginis & Defunctorum, exequiæ, benedictiones nuptiales &c. & universaliter quæ publicè ad Divinum cultum fiunt à personis Ecclesiasticis. Non tamen intelligitur recitatio Litaniarum etiam musico cantu, dummodò non recitetur à Clericis superpelliceo indutis, & in processione cum Cruce, ut tradit Fernand.

Dico 1. Qui potest excommunicare & suspendere, potest & interdicere, sicut qui potest excommunicari & suspendi potest & interdici, vel quoad omnia, vel quoad aliquid, hinc qui interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, potest extra Ecclesiam celebrare. Nam in pœnalibus non fit extensio de casu ad casum non expressum propter paritatem rationis, immo nec si vrgeat major ratio, docet Portel. & alii, in Sum Dia. V. Lex. Decet tamen supponi culpa vel propria, vel aliena, & ideo interdictum comprehendit infantes & amentes. Ex quo patet Communitatem posse interdici, non quidem ob culpam hominis privati, nisi ex commissione Papæ, sed ob culpam personæ publicæ v. g. Prætoris, Episcopi &c.

Dico 2. Forma sub qua ferri debet interdictum non est determinata, sicut nec in aliis censuris, ideò servanda est consuetudo in eo evulgando. Attamen quando imponitur ab homine opportet ut evulgetur in scriptis, insuper debet apponi causa, quæ sit rationabilis. Præterea debet præmitti trina monitio peccatoris, propter quem interdictum imponitur. Ita refert Fernandes. Dixi, *si est ab homine*, quia si imponitur à jure ipso facto incurritur. Non tamen tenemur servare interdictum nisi publicè & specialiter denunciatum v. g, contra Personam seu locum determinatum à Iudice expresè promulgatum. Arm. V. Interdictum. Et satis est promulgari in Ecclesia Matrice, & non opus in omnibus Parochiis & Ecclesiis.

Dico 3. Relata in notando secundo, non poterant olim tempore interdicti celebrari, sed jam ex concessione Capituli Alma Mater celebrantur submisâ voce, januis clausis, sine campanis, excommunicatis & interdictis nominatim exclusis, nec admissis iis, qui privilegio carent audiendi tunc Missam. Dummodo Ecclesia ubi ista celebrantur non sit specialiter interdicta. Nam in ista solùm licet Missam semel in septimana celebrare pro renovanda Eucharistia, & cõmunicandis infirmis, cum dicta tamen cautella, scilicet submissâ voce, Capituli, Alma Mater.

Dico 4. possunt interesse divinis officiis tempore interdicti, Primò Clerici

primæ

primæ tonſuræ, aliâs non vxorati, etiam ſemel. Dixi *Clerici non vxorati*, quia Clerici vxorati amittunt omnia privilegia Clericalia. Duo excipe, nimirùm ut eorum percuſſores contrahant excommunicationem Canonis ſecundùm intelligentiam Concluſionis 2dæ diſt. 14. deindè ne conveniantur coram Iudice ſæculari. Secundò, habentes indultum ſuper hoc, modò non ſint excommunicati aut ſpecialiter interdicti, nec dederint cauſam interdicto, aliâs iſtis, etiam Clericis negatur intereſſe divinis. Et privilegium Clericorum, & habentium ſuper hoc indultum, favet eorum famulis & familiaribus ex more eos aſſociantibus. Tertiò intereſſe poſſunt adjutores Miſſarum ſecluſo dolo. & pueri ante vſum rationis.

Quæritur. Vtrùm privilegiati teneantur tempore interdicti audire Miſſam. Affirmat Sotus in 4. diſt 22. q. 3. a. 1. Quia præceptum obligat eos, qui licitè poſſunt audire Miſſam. Sed oppoſitum non caret probabilitate quia nemo tenetur vti privilegio.

Dico 5tò. Soli Clerici qui ſervaverunt interdictum, ſi aliâs non ſint ſpecialiter interdicti, poſſunt in cœmeterio in ſilentio, ſine ſolemnitate, & campanis ſepeliri, ſed jam ut docet Armilla V. Interd. conceditur eis Eccleſiaſtica ſepultura cum Miſſâ & officio funeris, cum cautela tamen Capituli Alma Mater, hoc eſt ſubmiſsâ voce &c. Alii etiã, quibus ex privilegio conceditur intereſſe divinis poſſunt cum ſilentio in cœmeterio ſepeliri. Aug. V. Interd. Infantes tamen ante vſum rationis decedentes Eccleſiaſticâ ſepulturâ privantur, hanc ſententiam Fernandez dicit eſſe communem. Hæc procedunt de interdicto locali generali. Nam ſecundùm Ludov. Abelly, laici, etiam perſonaliter interdicti, modò non ſint denunciati, poſſunt in loco ſacro non interdicto ſepeliri.

Dico 6. Sequentibus diebus anni ſuſpenditur effectus interdicti, & ex conſequenti poſſunt celebrari divina acſi non eſſet interdictum, ſcilicet In Natali Domini. Paſchate, Pentecoſte & Aſſumptione B. V. excluſis excommunicatis non toleratis, & admiſſis interdictis, etiam eis qui dederunt cauſam interdicto, modò propiùs non accedant ad altare. Idem conceditur pro feſto Corporis Chriſti & Octava. Idem, pro feſto Conceptionis & Octava. Et intelliguntur iſta de interdicto generali. Nam in Eccleſia ſpecialiter interdicta non licet divina celebrare etiam ſecretè. Religioſi etiam in ſuis feſtis ſuſpendunt interdictum per ſua privilegia. de quibus V. Dela Cruz de ſtatu Relig. l. 1. c. 7. d. 2.

Quæritur. Quàm diu durat ſuſpenſio interdicti?

℞. Secundùm Sylv. & alios à primis veſperis vſque ad completorium ſequentis diei incluſivè.

Quæritur iterùm, an liceat tempore ſuſpenſionis interdicti mortuos ſepelire? ℞. Negant communiter, D. Antoninus affirmat, quod eſt benigniùs & æquitati conformiùs. Cætera tamen non fiant niſi aliàs tempore interdicti liceant.

Dico 7. Tempore interdicti localis omnis actus majoribus Ordinibus deputatus & ſolemniter factus eſt ſub peccato mortali prohibitus. Inſuper incurritur irregularitas. Talis actus eſt cantare Epiſtolam cum manipulo, cantare Evangelium cum

stola &c. Idem dic de personaliter interdicto exercente hos actus solemniter. Celebrans etiam in interdicto sine cautela Capituli *Alma Mater*. fit irregularis, secundum Couarr. & álios de interdicto. §. ..

Dico 8. Qui tempore interdicti confert Ordines etiam tántùm primam tonsuram fit irregularis Sylu. & alij. Qui autem recipit. Subdiaconatum aut Diaconatum nisi in Missa Ordinum cantet Epistolam aut Euangelium, non incurrit irregularitatem, quia nullum exercet actum Ordinibus proprium, sed se tantum passiuè habet. Suscipiens tamen Sacerdotium fit irregularis, cùm celebret & consecret cum Episcopo tunc & cooperetur ei exercendo actum sacro Ordini deputatum, & sic Episcopus fit irregularis.

Dico 9. Sacramenta vetita in interdicto sunt Ordo nisi urgeret grauis penuria Sacerdorum. Extrema vnctio, nisi in articulo mortis, nec pœnitentia nec Eucharistia haberi potest. Item Encharistia. Quæ in articulo vel periculo mortis conceditur, vt est difficilis partus, navigatio &c. Matrimonium, sine benedictionibus tamen vt refert Opatou. Confirmatio & Baptismus non sunt vetita. pœnitentia etiam potest omnibus ministrari, exceptis ijs, qui dederunt causam, auxilium, consilium aut fauorem delicto interdicti. Quod intellige nisi satisfaciant, aut nisi quantum est de se curent, vt satis fiat.

Dico 10. Hæc sacra licent tempore interdicti, scilicet pulsatio ad salutationem Angelicam. Concionem. Reliquias ostendendas. Eucharistiam dum defertur ad in firmum. Gabriel à S. Vinc. V. Interd. Item licet mensæ benedictio. Oratio priuatim facta in Ecclesia, etiamsi fiat ab ipsis interdictis. Cántus rerum sacrarum factus à Laicis etiam in Ecclesia. Responsorium priuatum, etiam super sepulturam defuncti Fernand. quoad omnes partes cum communi.

Dico 11. Assistens principaliter in interdicto, celebrationi horarum sine cautela Capituli Alma Mater, & qui officiat principaliter. vt hebdomadarius &c. fiunt irregulares, secùs de alijs, etiam Clericis non sic autoritatiuè astantibus, etsi cum alijs cantent, etiam Epistolam aut Euangelium sine solemnitate. Sylu. V. Interd. in interdicto etiam priuatâ autoritate pulsat campanas, aperit januas, vt autoritatem præbeat diuinorum celebrationi, fit irregularis. Secùs si hæc faciat sine tali intentione. Quòd si postea omittat exercitium ordinis sacri non fit irregularis.

Dico 12. Laicus assistens Diuinis si sit specialiter interdictus peccat mortaliter, non verò si solus locus sit interdictus. Sylu. Caiet. V. Interd. Cùm lex de seruando interdicto solis Clericis directè ponatur. Nisi alias laicus vim faciat vel contemnat.

Dico 13. Violator interdicti vt supra, suspenditur ab officio, beneficio, & jurisdictione. Est ineligibilis & impostulabilis ad Prælaturam. Si est Religiosus præter suspensionem & irregularitatem excommunicatur. Vide excomm. tertiam inter non reseruatas. Item violator interdicti potest priuari in perpetuum officio, Præterea beneficio Ecclesiastico.

His adde. Interdici ingressum Ecclesiæ illi, donec satis faciat qui celebrat vel celebrare facit scienter in locis interdictis, aut admittit publice excommunicatos, vel interdictos ad officia diuina, Sacramenta aut sepulturam. hoc interdictum secundùm omnes partes est contra præsumentes.

Dico 14. Persona specialiter interdicta potest absolui ab eo, qui eam interdixit, à successore, aut superiore, aut ab alio ex horum commissione. Immo talis Persona cessante contumatiâ & satisfactâ parte potest absolui à Confessore approbato virtute Iubilæi aut alterius similis indulti juxta dicta d. 9. conc. 8. Dixi. specialiter. &c. nam ab interdicto iuris perisonali non denuntiato quiuis approbatus absoluit.

DISTINCTIO XIX.

De Cessatione à Diuinis.

NOta. Cessationem reduci ad Interdictum. Eam definit Gabriel à S. Vicent. in sua Summa V. Cessatio. Est simplex prohibitio, quâ ministri Ecclesiæ prohibentnr persoluere diuina oficia, ministrare aliqua Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro. Duobus modis fieri potest. *primo* Generaliter, v g quando cessatur in vno regno. vel prouincia vel ciuitate vel oppido. Alio modo specialiter v. g. quando in vna vel pluribus Eccelesijs cessatur. Differt ab Interdicto quia cessatio non est censura vt docet Opat. cùm non ponatur in pænam, sed in signum grauissimi mæroris ab Ecclesia concepti propter grauissimam injuriam. 2dò in transgressione interdicti tam generalis quàm specialis incurritur irregularitas, non incurritur vero in transgressione cessationis tam generalis qnàm particularis, cum hæc pœna non exprimatur in jure. Item cessatio non statuitur in jure, secus interdictum.

Dico 1 Qui habet priuilegium audiendi sacrum tempore, interdicti non potest ex vi talis priuilegij audire sacrum tempore cessationis, quia interdictum & cessatio censentur esse distincta. Pariter ex vi priuilegij audiendi sacrum tempore cessationis generalis, nequit audiri sacrum tempore cessationis specialis. Nam exceptio firmat regulam in oppositum. & ideò qui talem facultatem concessit ad vnam, menifestè ostendit illam negare ad aliam cessationem. Tandem habens priuilegium audiendi sacrum tempore cessationis, non potest ex vi huius priuilegij suscipere Eucharistiam. Fernan. vel sacrificare. si sit Sacerdos, vt docet Calder. apud Fern.

Dico 2. Licet tempore cessationis semel celebrare in hebdomada pro renouãda Eucharistia. Non tamen licet alias celebrare cum cautela Capituli Alma Mater, vt aliquoties resolutum fuit Salmantice. quia si Bonifacius suam concessionem extendere voluisset, id fecisset. Oppositum docet D. Antonin. Pal. Sylu & Gabriel à. S. Vinc. solis ergo Episcopis conceditur tunc celebrare, & Religiosis juxta sua

juxta sua privilegia. Immò nec horas Canonicas dicere possunt bini secluso priuilegio, sed seorsum & submissa voce.

Dico 3. Cessatio à diuinis suspenditur in festis in quibus suspenditur interdictum de jure. Ita fertur practicatum Salmanticæ 1584. in festo Corporis Christi. Nam etsi in jure solum fiat mentio de suspensione interdicti generalis pro illis festis, piè creditur Papam idem voluisse concedere in cessatione ob reuerentiam tantarum festiuitatum.

Dico 4. Hæc Sacramenta permittuntur tempore cessationis. scilicet Baptismus etiam pro adultis cum solemnitate. Confirmatio. Pœnitentia etiam pro sanis. Eucharistia pro solis infirmis, ad quos poterit deferri solemniter sed non recitentur officia diuina. Matrimonium sine benedictionibus, quia inter diuina officia computantur. Med. in sum §. 14. ex rosolutione DD. Salmaticensium.

Dico 5. Cessationis edictum pertinet ad solum Episcopum, & ad Capitulum sede vacante, & tunc ad cessationis edictum debent omnes Canonici conuenire sicut ad electionem. Debet tamen interuenire grauis causa Talis erit, grauis injuria contra Ecclesiam cum contumacia, v. g. si Sacerdos vel Ecclesiastica persona detineatur in carcere per Iudicem sæcularem, si impediantur redditus Ecclesiastici. Si fiant statuta contra libertatem Ecclesiasticam.

Dico vltimò. Religiosi violantes cessationem generalem excommunicantur. addit Fern. de violatione cessationis specialis, nihil statui à jure. nec Clerici, nec Religiosi, violando cessationem fiunt irregulares, cùm nihil tale in jure exprimatur. Quod intellige quando ponitur sola cessatio. nam si cùm illa ponitur interdictum, tunc pro hac parte violator incurret irregularitatem, & alias pœnas dictas.

Quæritur quid de sepultura tempore cessationis?

℟. Sepultura potest dari Clericis in loco sacro sine diuinis tamen officijs. Imò probabile, laicos posse tempore cessationis sepeliri in loco sacro sine diuinis tamen officijs, licet priuilegium habeant sepulturæ tempore interdicti, vide Bonac.

DISTINCTIO XX.

De Irregularitate in Communi.

NOta. Irregularitas est impedimentum jure Canonico introductum ad suscipiendos aut exercendos Ecclesiasticos Ordines. Ex quo patet inhabilitatem, quam habet ex jure Diuino mulier ad recipiendos Ordines, non esse propriè irregularitatem. Item ex hoc patet irregularitatem non incurri nisi in casibus à jure expressis. Duplex est irregularitas, vna ex defectu, altera ex delicto. vel vt alij loquuntur, vna est purè pœna, alia est significationis. Irregularitas ex defectu. Est multiplex, scilicet: ex defectu corporis ex defectu animæ, ex defectu Sacramenti, ex defectu lenitatis, qualis est ex homicidio aut mutilatione. Ad irregularitatem ex defectu corporis, reducitur, quæ est ex defectu natalium, originis, bonæ famæ &c.

Dico 1. Irregularitas ex defectu non semper indiget dispensatione, sed sæpe tollitur ablato defectu, v. g. habet quis infirmitatem quæ notabile generat scandalum in celebrando, hæc quam primò cessat, tollitur impedimentum sinè dispensatione. Verùm Irregularitas ex delicto manet semper donec dispensetur.

Dico 2. In dubio non debet censeri quis irregularis, siue sit dubium juris, siue facti. Itaq; dubitans an sit legitimus, censeri debet legitimus in vtroq; foro, Henriq; Lib 14. c. 3. n. 4 In dubio tamen homicidij debet censeri quis irregularis Sic determinatur in C ad audientiam, de homicidio. Hoc tamen non debet extendi ad mutilationem, nec ad homicidium justum, quia jus tantum loquitur de dubio homicidij prohibiti, & odia sunt restrigenda, Sanchez in Summ. tomo 1. Li. 1 c. 10 n. 49.

Dico 3. Irregularis non est capax beneficij. Quare si irregularis licet occultus obtineat beneficium non fit dominus ejus quare obtentâ super irregularitate dispensatione, eget nouâ collatione ad beneficium, vt solet doceri contra Sylu. V. Excomm. nisi fortè ignarus irregularitatis beneficium obtinuisset, secundum Ludouicum Lopez parte 2. c. 22. Attamen si jàm beneficiatus fit irregularis, non hoc ipso est priuatus beneficio ante sententiam. Immò talis si est occultus, pro vitando tali damno porsonæ, honoris: &c potest celebrare dum non habet tempus petendi dispensationem.

DISTINCTIO XXI.

De Irregularitate ex defectu corporis.

Dico 1. Irregularitatem ex defectu corporis inducit omnis defectus siue in membro, siue in parte membri, qui infert inhabilitatem hoc est qui impedit ministerium Ordinis, aut inducit notabilem deformitatem, aut generat scandalum & abominationem. Si tamen ante hos defectus es ordinatus, solùm fis irregularis ad ea officia ad quæ es inhabilis. Hinc monoculus, leprosus & similes, sunt irregulares. Et idem de eo, qui non potest bibere vinum sine periculo vomitùs. hic enim durante hoc periculo nequit ordinari. Quòd si talis est Sacerdos, potest alia, præter celebrationem Missæ exercere.

Dico 2. Quando defectus sunt occulti, quia scilicet ex ijs non oritur deformitas, neq; scandalum, nulla inducitur irregularitas. Vnde qui in pedibus careret pollice, aut digitos haberet deformes, non esset irregularis, sicut nec ille, qui sine sua culpa careret virilibus. Immò non omnes defectus manifesti inducunt irregularitatem, gibbosus enim, claudus, qui sine baculo celebrare potest, item carens visu oculi dextri, immo vel sinistri, secundùm dela Cruz & alios, dummodò sine indecora & nimia faciei conversione canonem legat ordinari potest. Carens tamen visu alicujus oculi, oculo carere non debet, aliàs vpote monoculus esset irregularis.

Dico 3. Abscissio membri, quæ ex culpa est, inducit irregularitatem, etiam in eo-

in eo casu, quando defectus si ex culpa non esset non inferret irregularitatem. Vnde qui sibi virilia amputauit, aut castrauit etiam zelo castitatis, licet hoc occultè fecerit, irregularis est. Et idem de eo, cui abscissa sunt virilia ob culpam, vt si jussit, aut à Iudice in pœnam delicti. Similiter qui partem digiti sibi ex malitia amputavit, irregularis est, etiamsi sit talis digitus. cuius defectus, nisi ex culpa esset, non faceret irregularem Tandem qui membrum occultum v. g. digitum pedis ex malitia sibi abscindit irregularitatem incurrit: Ad inducendam tamen huiusmodi irregularitatem necesse est vt abscissio ex culpa sit publica, ut docet Anchar. cum alijs apud Fernan. in presenti.

Aduerte. Absq; irregularitatis nota licet sibi amputare sextum digitum ad vitandam deformitatem, quia hic non est membrum, sed superfluitas naturæ.

Dico 4. Hermaphroditus in quo magis viget sexus fæmineus ordinari nequit, quia sicut fœmina, est incapax characteris. Si verò in eo æquè viget vterq; sexus, quantum ad Ordines pro fæmina reputari debet, secundum Card. Turrec. & alios apud Fernan. Si vero in eo, magis viget sexus virilis, licet characteris sit capax irregularis tamen est propter deformitatem monstruositatis, quæ licet sensibus non pateat, tamen cogitationi semper occurrit. Ita Sylu. & alij. V. dicta de Euch. de corpore vitiatis.

DISTINCTIO XXII.

De Irregularitate ex defectu natalium, originis, & bonæ famæ

DIco 1. Illegitimus siue manifestus, siue occultus. propter dignitatem Ordinis, ast irregularis. & inhabilis ad dignitates & beneficia. Genitus tamen ex Parentibus non habentibus impedimentum dirimens Matrimonium, quando eum genuerunt, legitimatur per sequens Matrimonium. & fit etiam ad Episcopatum habilis. Quòd si Parentes habebant impedimentum dirimens Matrimonium. non legitimatur filius per sequens Matrimoniũ celebratũ cum dispensatione nisi alias nascatur post dispensationem etiamsi sit conceptus ante illam. V. Sylu.

Dico 2. Natus ex coniugibus tantùm externè putatis coniugibus est legitimus, licet deinde per sententiam Iudicis separentur. Immo est censendus, legitimus, natus post litem contestatam, sed non judicatam, modò sit bona fides in vtroq; coniuge, aut saltem in vno. Panorm. apud Farn. in præsenti.

Quæritur. Vtrùm natus ex vero Matrimonio possit esse in aliquo casu illegitimus. ℞. Quòd sic. v. g. Natus ex coniugibus post quam vnus eorum factus Presbyter alter vouit continentiam.

Dico 3. Irregularis ex defectu originis est seruus seu mancipium. Seruus verò intelligitur natus ex serua. Omnes serui manent liberi quàuis viâ ordinentur, siue dominus consentiat, siue repugnet, docet Fern. & alij.

Dico 4. Si Episcopus, Præsentator, & testes nouerant seruitutem Ordinati, & contradictionem Domini, satisfacient Domino. si verò prædictos seruus fefellit, ipse satisfaciat, vel si non habet, seruiat domino in diuinis & spiritualibus, aut honestis conuenientibus Sacerdoti V. Opat. de Pœn d. 17. q 3 de Irreg. ex defectu corporis.

Dico 5. Irregulares ex defectu ætatis sunt hi. Ad primam quidem tonsuram & tres Minores, non habentes septennium completum. Ad Acolithatum non habentes duodecimum annum completum. Ad Subdiaconatum non habentes vigesimum secundum. ad Diaconatum 23tium, ad sacerdotium 25tum annum inchoatum. Tandem ad Episcopatum trigesimum completum.

Dico 6. Qui ante legitimam ætatem ordinatur, suspenditur vsq; ad legitimam ætatem, quâ superueniente, non cessat suspensio per nouum jus Extrauag. Pii. II. Quæ Extrauagans comprehendit solos præsumentes non ignorantes ætatis defectum.

Quæritur. Quâ pœnâ punitur Episcopus ordinans ante legitimam ætatem? ℟. Suspensionis, non tamen secundùm Butreum apud Fernan. est ipso facto suspensus sed suspendendus.

Dico 7. Irregulares ex defectu famæ sunt infames, siue sint infames infamiâ juris, siue infamiâ facti. Infamia juris tunc est, quando exercetur aliquid cui per leges aut canones annexa infamia. Facti tunc est, quando committitur delictum graue & notorium, propter quod apud graues & bonos viros malè auditur.

Aduerte. Sodomitam occultum non esse irregularem cum nec infamiâ juris, ut probat de la Cruz, nec infamiâ facti, vtpotè occultus, laboret,

DISTINCTIO XXIII.

De Irregularitate ex defectu animæ.

NOta Irregulares ex defectu animæ, sunt dæmoniaci insani, furiosi, morbo caduco laborantes, secundùm Gelasiũ, item Hæretici, Neophiti, illiterati, &c.

Dico 1. Demoniaci, siue vt appellant energumeni, seu arreptitij. si non sunt promoti nunquam sunt promouendi, licèt semel tantùm vexati ad pristinam redierint libertatem. Si verò, jam promoti ad in feriores Ordines incipiunt vexari, etiam omnino liberati, ad maiores non ascendant. Si verò jam promoti ad superiores Ordines arripiuntur, & posteà liberantur, expectandum tempus ad probandam perfectam libertatem, quâ probatâ possunt ministrare altari. Probatio autem spectato tempore committitur arbitrio prudentum vt dicemus de laborante morbo caduco.

Dixi. *& postea liberantur.* Nam obsessis à dæmone nunquam potest concedi vt celebrent Missam.

Dico 2. Morbo caduco laborantes, seu epileptici, si non sunt promoti, nunquam-

quam sunt promouendi, licet sanentur. Promoti verò ad inferiores Ordines, & deinde in morbum caducum cadentes, ad superiores non ascendant. Quòd si jam promoti ad superiores Ordines incipiunt tali modo vexari, non permittătur ministrare, nisi sanentur, quod spectato tempore, judicio prudentum relinquitur vt docet Sylu. V. Corpore vitiatus & alij.

Dico 3. Rarò cadens inmorbum caducum, si hoc ei accidat cum vocis amissione, & spomæ jactatione, prohibetur altari astare. Secus dicendum si rarò laborat & insuper si cadit, cadit blandè, & sine spumatione, tunc enim permittitur celebrare, sed cum socio parato sacrificium peragere; si forte inchoata consecratione morbo arripiatur. non autem ante, vt docet Opat. de Euch. d. 11. q. 6. Dicta in his tribus conclusionibus reperies tum in jure; tum in autoribus. Et applica ad amentem qui est talis ex causa permanenti, & furiosum &c.

Dico 4. Neophiti id est recenter ad fidē conuersi sunt irregulares ex defectu animæ, irregulares inquam ad maiores Ordines, non ad minores secundum Turrec: & alios. si tamen per longum tempus probatur eorum fides & amor erga Ecclesiam, sunt capaces maiorum Ordinum Longum autem tempus appellatur decem annorum secundùm Nauar. & alios.

Dico 5 Ignarus omnino literarum est irregularis. Vndè in Conc. Trid. statuitur pro ordinandis primâ tonsurâ vt sciant legere & scribere. pro quatuor minoribus vt intelligant linguam latinam. pro Sacerdote petitur scientia, vt sciat instruere populū in necessarijs ad salutem, & Sacramēta ministrare præter Pœnitentiam. Et ratio, quia in eodem Conc. statuitur, vt Sacerdos ab Ordinario per examen ad Confessiones audiendas approbetur, qvod non esset necessarium, si dum in Sacerdotem ordinatur sufficiens esse deberet pro ministrando Sacramento Pœ nitentiæ. Quæritur Pro Diacano & Subdiacano quanta scientia requiratur? ℞ tanta vt valeat ad suum Ordinē spectantia exercere, & sciat doctrinam Christianam, qualis in Catechismo Romano, & similibus traditur.

DISTINCTIO XXIV.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti.

Nota Bigamus ex defectu Sacramenti est Irregularis, quia in eo deficit significtio Matrimonij Christi cum vna sponsa Ecclesia. Triplex autem est Bigamia vera, interpretatiua & similitudinaria vera est, cùm revera interveniunt multæ nuptiæ. Interpretatiua est, cùm quis contraxit cum Vidua aut corrupta, aut cognouit vxorem, quæ post matrimonium commisit adulterium. Similitudinaria est, cùm quis post votum solemne castitatis contraxit cum aliqua, vt Religiosus aut sacris initiatus. vel cùm quis viuente adhuc propriâ vxore contraxit cum alia. Aliqui dicunt hunc secundum casum pertinere ad interpretatiuam.

Dico 1. Est bigamus & irregularis qui plures successiue duxit vxores legitimas, siue vnam

ſiue vnam ante baptiſmum, alteram poſt, ſiue vtramq; ante baptiſmum. Ad quam ſpeciem bigamiæ requiritur, vt cum vtraq; ſit copula carnalis. Item eſt bigamus & irregularis, qui contraxit cum vidua jam cognita à primo marito, & eam cognouit carnaliter quanquam viduam duxerit ante baptiſmum. Item eſt bigamus & Irregularis, qui duxit & cognouit corruptam ab alio. Hæc refert Fern. ex canonibus. Hæc vltima irregularitas contrahitur, licèt maritus ignorauerit vxorem corruptam ab alio, pro qua parte ſolet referri communis ſententia. Dixi ab alio. Nam ducens corruptam à ſe, non efficitur irregularis ex mente D. Th.

Dico 2. Cognoſcens vxorem poſt adulterium eius, etiam occultum incurrit irregularitatem bigamiæ. Imó incurrit licèt cognoſcat vxorem inſcius adulterij quia irregularitas ex defectu incurritur etiam ab ignorante. Plus addendum ex S. Th. id verum eſſe, quamuis maritus cenſuris coactus vxorem adulteram cognouerit.

Dico 3. Qui bis contraxit & conſummauit, ſiue vnum Matrimonium fuerit validum alterum inualidum, ſiue vtrumq; inualidum, eſt bigamus & irregularis Ita S. Th. in Supp. q. 66. a. 1. Sicut & qui nulliter contraxit cum vidua aut corrupta & conſummauit, quam ſententiam Toletus dicit eſſe communem. Aliqui tamen dicunt Matrimonium inualidum, ſicut & fictum non cauſare irregularitatem, licet in caſu Matrimonij inualidi eadem ratio currat, ac in caſu Matrimonij validi, vtrobiq; enim deficit ſignificatio Matrimonij Chriſti cum Eccleſia. Quia in legibus pœnalibus non fit extẽſio de caſu ad caſũ propter paritatem rationis, vt Port. & alij ℞. hoc verum eſſe in pœnalibus, non fieri extenſionem de caſu ad caſum in jure expreſse non contentum, licet eadem militet ratio, niſi ex intentione legislatoris aliud colligatur. quod tunc maximè fit quando ligislator vnam adæquatam habet rationem, quæ in alijs caſibus & Perſonis eodem modo procedit, vt in præſenti, benè conſiderando patet. V. Lezanam in Summa. V. Leges Regularium n. 42.]

DISTINCTIO XXV.

De Irregularitgte ex homicidio & mutilatione juſta.

NOta. 1. Nomine homicidij intelligitur priuatio vitæ corporalis humanæ. Nomine mutilationis abſciſſio membri, aut partis membri humani, Eſt autem membrum pars corporis à natura deſtinata ad operationem ab alijs diſtinctam v. g. pes, manus, lingua, &c. Hinc digitus non eſt membrum ſed pars membri ſecundum maiorẽ partẽ Canoniſtarum. Idem multi dicunt de auricula. An verò mamilla mulieris ſit membrum affirmat Bannez contra Couarr. & benè, nam competit ei definitio membri ſuperius data. idem docet Caiet. contra Nau. de teſticulis etiam ſine parte genitali,

Nota 2. Duobus modis poteſt quis defendere vitam occidendo vel mutilando.

lando. Primò cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt quando nulla alia ratione poteſt mortem aut mutilationem euitare, quam occidendo vel mutilando. Secundò poteſt quis defendere vitam non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt quando poteſt effugere manus invaſoris & non facit, ſed occidit aut mutilat.

Dico 1. Non fit irregularis, furioſus, infans, alterum occidendo aut mutilando, & qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit aut mutilat, licet ſit perſona Eccleſiaſtica. Oppoſitum quidem docuit S. Thom. in additionibus q. 39. art. 4. conformando ſe pro tunc juri Canonico, quod tamen per Clementinam revocatum. V. verò dans operam rei illicitæ, v. g. deprehenſus cum aliena vxore & occidens, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, maritum, fit irregularis, affirmāt cōmuniter Canoniſtæ, univerſaliter docentes, qui dat operam rei illicitæ ex qua ſequitur mors, fit irregularis. negat Sylu. Arm. & multi ex Theologis.

Dico 2. Qui potuit ſine periculo honoris aut alterius rei fugere & non fugit, ſed occidit in ſui defenſionem, fit irregularis. Sic Sylu. & alij Secus dicendum ſi fugiendo graviter in honore aut aliter v. g. in ſuis rebus notabiliter, lœderetur. Nam non tenetur uti fugâ in ſuum grave damnum. Eccleſiaſticus tamen, qui potuit per fugam vitæ conſulere, cùm teneatur Chriſti humilitatem imitari ratione ſtatûs, nec ei fuga cedit in dedecus, ſed in honorem ob imitationem Chriſti, manet irregularis, & quidem ex delicto,

Dico 3. Non fit irregularis, qui pro vitanda ſui membri mutilatione alterum cum moderamine occidit. Eſt contra Fern. ſic tamen tenet Sylu. & alij, Nam quoad hoc æquipollet mors & mutilatio, cùm ex abſciſſione membri aliquando mors ſequatur. Secus dicendum eſt, ſi pro vitando alio malo, v. g. pro divitijs, quis fugientem cum eis, ſagittâ vel alio inſtrumento occidat nam quantum ad hoc jus antiquum manet in ſuo robore.

Dico 4 Non fit irregularis, qui alios convocat, ut eum defendant, ſi alij occidant eius invaſorem pro hac citatur communis ſententia. Nam ſicut ipſe per ſe tunc, itá cum aliorum auxilio poteſt invaſorem occidere, ſine eo quod incurrat irregularitatem.

Dico 5. Qui proximum licitè defendendo, occidit aut mutilat invaſorem non fit irregularis. Quæ concluſio ſubſiſtit, ſi ex præcepto defendat âlterum, aut Rempublicam, Et adhuc magis concluſio ſubſiſtit ſi talis defenſor ſit ſacris Ordinibus initiatus. Dixi. *Si ex præcepto.* nam qui liberè defendit, vt milites, qui liberè nomen militiæ dederunt, ab irregularitate non liberatur. Oppoſitum cōcluſionis, licet patria defendatur, eſt communius nam dum antiquum jus circa irregularitatem revocatur, de eo qui alterum defendit, nihil diponitur. Refert tamen Peirinis apud Lezanam V. Irregu. declaratum eſſe à Sacra Cong. homicidium factum in defenſionem Patris (addit ille ex D. Ant. ſeu prælati) non cauſare Irregularitatem.

Dico 6. Probabile eſt, qui alterum occidit in defenſionem propriorum bo-

bonorum, quando ea ſunt valde neceſſaria ad vitam nec facilè poſſunt recuperari, non incurrit irregularitatem. Ita Lezana citans aliquos Oppoſitum ſentit dela Cruz & Fern cum alijs. Sed noſtra Conc videtur conformis Clementinæ, *ſi furioſus*. Cum enim prædicta bona ſint valde neceſſaria ad vitam ut ſuppono, tunc homo non operatur ſponte ſed coactus ad defenſionem ſuæ innocentiæ. Quod ſi propria bona non eſſent in notabili gradu neceſſitatis, occidens aliquem defendendo ea, eſſet irregularis, ut patet ex Conc. 3. & quidem ex delicto, ſi non licitè occideret V. l. 1. d. 21. Conc: 2.

Aduerte Coclufionem non procedere in Eccleſiaſticis & Religioſis, iſti enim potiùs debent jacturam bonorum pati, quàm occidere, & ſatius eſt imitando Chriſtum confuſionem pati ut dixi conc. 2da, item poſt tunicam relinquere pallium, quam pro rebus tranſitorijs tam acriter in proximum exardeſcere. Ita Tolet. in Summa L. 5. ex Panormitano.

Dico 7mò Qui eſt cauſa proxima phyſica vel moralis, etiam juſta occiſionis (exceptis caſibus ſupra dictis) incurrit irregularitatem. Eſt communis Theologorum & Canoniſtarum. Hinc carnifex juſtè ſuſpendens furem. Iudex, teſtes, accuſator & eius advocatus, ſcribens ſententiam mortis, notificans eam reo cum auctoritate, ferens reum, non ad locum ubi legenda ſententia, ſed ad locum ſupplicij, ſunt irregulares.

Dico 8 Accelerans mortem vel mutilationem verbo ſeu facto eſt irregularis. Ita Comm. DD quod intelligi debet, quando accelerátio eſt notabilis. Quæ autem ſit talis relinquo judicio boni & prudentis viri. Parua enim excuſabilis eſt, prout eam excuſant aliqui apud Lez. & Sotus. L. 5, de Iuſt qu. 1. ar. 9. ridet ſcrupulum cuiuſdam Cōfeſſarij qui reum ad ſupplicium comitans, quod aſinum in quo vehebatur pupugiſſet, putabat ſe eſſe irregularem. Victoria etiam apud Cinium de ſubiecto Ordinis, excuſat ab irregularitate eum, qui bonâ fide vertit in, firmum. Item Sacerdos benedicens Carnifici gladium ad decolandum characteres habentem, non incurrit irregularitatem. cùm vtatur auxilio Diuino, ſicut & qui orat pro victoria. Vt acceleratores ſint liberi ab irregularitate, impediant mortem quanto tempore accelerárunt. vt jam non ſint cauſa accelerationis.

Dico 9. Aſtantes ſupplicio authoritatiuè v. g. Notarius, Satelles, Cuſtos damnati &c. incurrunt irregularitatem. Item vendens, dans præparans inſtrumenta ad hanc determinatam occiſionem. Aliter dicendum ſi ab iſtis ignorantibus accipiantur hæc inſtrumenta. Nam tunc iſti non ſunt cauſa proxima moralis occiſionis. Idem ſit judicium de ſeruo ignoranter deferente in ſcriptis ſententiam mortis. An verò deferens ligna ad comburendos homines viuos fiat irregularis licèt ea non applicet, negat Med. ſed communiter affirmant.

Quæritur. Vtrùm teſtis teſtificans in fauorem rei contra actorem, erga quem exigitur pœna talionis, quæ illi irrogata eſt cum morte vel mutilatione fiat irregularis? ℞. Negatiuè. Nam quòd actori mors inferatur, non intenditur à teſte, ſed ſola defenſio accuſati. Idem dicendum de aduocato in tali, caſu, contra Fernandez. Dico

Dico 10. Episcopi Abbates, & alij Prælati Regulares, qui ratione jurisdictionis temporalis, quam habent, creant judices pro causa sanguinis, non sunt irregulares, tum quia remotè concurrunt ad occisionem, tum quia non dant judici facultatem occidendi, sed leges id jubent. Quæ doctrina subsistit etiamsi creent tales judices pro casu particulari. Item, etiamsi præcipiant in genere, sub pœna depositionis, quod faciant justitiam, dum modo illis non præcipiant vt reum aliquem in particulari occidant aut mutilent, nec auctorizent Sententiam aut eius executionem.

Dico 11. Tradentes reum curiæ seculari non sunt irregulares, etsi curia sæcularis reum morti condemnet. Tales enim mortis sententiam non pronunciant, nec exequuntur, sed sæculari curiæ id munus relinquunt, vt ibi eius causa peragatur. V. Filliuc. tract. 9. de Censuris. c 9 q. 8. A fortiori idem dicendũ de accusantibus contra reum brachio sæculari tradendũ. cùm hi remotiùs concurrant.

Dic 12. Consultor in causa mortis vel mutilationis, quando consulit in casu particulari imminenti, vt si interrogetur à Iudice quid agendum cum tali malefactore & ille respondeat esse suspendendum, incurrit irregularitatem. Quod intellige si talis responsio influat in homicidium, prout continget, quando judex non erat firmiter paratus ad damnandum reum.

Dico 13. Si quis dicat in genere talem malefactorem esse dignum morte secundùm leges, non fit irregularis, quia illa responsio, solùm est speculatiua & in genere, non practica & in particulari. Idem fit judicium, quando interrogatur de malefactore in particulari sed solum respondet in genere malefactores huius generis esse afficiendos morte secundùm leges. Cuius ratio vt supra, & quia sic dicens non suadet occisionem, sed solùm ostendit rei veritatem. His adde Theologum posse sine periculo irregularitatis consulere Principi, vt condat legem prohibentem certos excessus sub pœna mortis. Nam sic non est causa mortis, sed solùm facit suum officium, & intimat pœnitentibus. Hanc resolutionem & quatuor conclusiones immediatè positas deducit Lez, ex authoribus V. Irreg,

Dico 14. Accusans alterum, sine protestatione in ciuilibus, non fit irregularis, etsi accusatus ob aliud ad mortem damnetur. Et idem est si accuset de crimine non merente mortem aut mutilationem, sed iniustè ad eam damnatur. Dixi. *in Ciuilibus*. Nam denuntians alterum sine protestatione in causa sanguinis, si reus occiditur aut mutilatur, fit irregularis. Ita C. Cler. ne Cler. vel Monachus, & intelligitur etiamsi interius nolit alterius mortem, sed solam suam satisfactionem. nam Ecclesia non iudicat de occultis. Sic Lud. Lopez cum Couar. apud dela Cruz.

Dico 15. Accusans in suam vtilitatem protestando non intendere mortem, sed satisfactionem honoris aut diuitiarum &c. non fit irregularis. etsi sequatur mors. Ita C. prælatis de homic. & licet protestatio fiat tantum verbotenus. quia talis animus non pertinet ad forum externum, nec est causa mortis. Sic citati DD.

Dico 16. Non fit irregularis, qui in fauorem alterius & maximè Reipublicæ

accusat, testificatur, aut patrocinatur contra alterum in causa sanguinis cum prædicta protestatione. Colligitur ex C. Accusasti &c vbi à pœna liberatur qui pro pace Reipublicæ cum tali protestatione alterum accusauit ad mortem.

Dico 17. Bellans in bello justo si non occidit, aut mutilauit, non fit irregularis, etsi alij occiderint. Nam hic non est causa homicidij directè vt patet, nec indirectè cùm non teneatur à bello cessare. Nec fit irregularis exhortans in bello justo, etiam in actuali conflictu, licèt habeat in animo intentionem occisionis. Nam in C. Quicunq; &c. absolutè conceditur Clericis exhortari in bello justo. Ergo siuè in actuali conflictu, cùm priuilegium latè sit explicandum siue quouis animo id faciant, modo non exprimant verbis dictum animum non fiunt irregulares.

Dixi, *in bello iusto*, nam in bello injusto ex vnico vnius militis homicidio omnes milites fiunt irregulares. Sic Hurt. cum comm. Quia omnes milites animantur ab inuicem, & concurrunt vt vna causa totalis. Konich tamen docet non omnes fieri irregulares, sed ad summum quinquaginta vel centum viciniores qui occidentem videre & animare potuerunt.

Dico 18. Sicut exhortans, ita & præbens in bello justo instrumenta bellica etiam in actuali conflictu non fit irregularis. Ita Auila. quia par ratio de vtroque. Limitat tamen dela Cruz. Si hoc fiat sine intentione occisionis aut mutilationis. Alias enim esset irregularis. Nec est idem de exhortante cum eadem intentione. Nam exhortatio non explicat exteriùs talem intentionem, sicut exhibitio armorum si talis intentio adsit. Dixi *in bello iusto*: nam exhortans, dans arma, aut alia instrumenta belli, industriam, fauorem, consilium, iniuste bellantibus fit irregularis, si sequitur mors aut mutilatio secundùm communem Canonistarum.

Dico 19 Quoties Clericus non peccat bellando, maximè quando tenetur bellare pro defensione proximi aut Reipublicæ grauiter opressæ, non fit irregularis, licet occidat aut mutilet nam sine culpa non debet quis suo jure priuari. Sed oppositum est cõmuniùs nisi defendendo Rempublicam simul defendat se ipsum. Sic Caiet. cum Bann.

Dico 20. Non solùm qui occidit, sed & qui mutilat membrum est irregularis, patet ex jure. Nisi mutilatio fiat sanitatis gratiâ. Vnde chirurgus non est irregularis, nisi suâ culpâ infirmus moriatur aut mutiletur. Hæc autem culpa debet esse mortalis, secundùm Cornelio & Peirinis apud Lez V. Irreg.

Colligitur cum cartilago auris, hoc est exterior pars, item tres digiti etiam principales non sint propriè pars, vt patet ex notando horum abscissor non est irregularis. Dices, qui facit alium irregularem est irregularis. ℞. Hoc esse falsum. Nam debilitans aut árefaciens alterius membrum non est irregularis, licèt debilitatus aut arefactus sit talis. Sic etiam licèt carens auriculâ vel tribus digitis sit irregularis, non tamen ille qui amputauit.

Quær. pro complemento Conclusionis 12mæ & 13mæ. V. Confessarius denegans

negans iudici absolutionem, eò quod non occidat reum, quem occidere tenetur, sit irregularis? ℞. quod non. Nam Confessarius in foro Pœnitentiæ se habet vt DEVS & actus iste est occultus in foro Ecclesiæ, & occultior actu interiore, per quem non incurritur irregularitas. cùm hæc sit pœna fori externi Ecclesiæ,

DISTINCTIO XXVI.

De Irregularitate ex homicidio & mutilatione iniusta.

NOta 1. Per vulnerationem cum quacunq; sanguinis effusione vbi non est mors, nec mutilatio membri non inducitur irregularitas. Pariter qui membrum debilitat alterius sed non abscindit, licet reddat illud impotens ad suum actum non fit irregularis. Et ideo excæcans alium sed non eruens oculum homini mortuo abscindens membrum aliquod, fœtum nondum animatum occidens (animatur vero in maternis visceribus quadragesimo die si est mas, octuagesimo, si est fœmina) liber est ab irregularitate. Non enim separat membrum à corpore, qui solùm modò alium excæcat, nec priuat vitâ sensitiuâ humanâ, qui aut homini mortuo membrum aliquod abscindit, aut fœtum inanimatum enecat.

Nota 2. Homicidum càsuale est, quod fit præter intentionem occidentis aut facientis id, vnde mors secuta. Et est duplex, aliud purè casuale, quod nec virtualiter & implicite est intentum & hoc non causat irregularitatem, quia nullo modo est voluntariũ. Aliud est quod saltem indirectè est intentũ & volitum in sua causa, vt si sit in ea præuisum, aut formaliter seu explicitè, aut virtualiter seu implicitè, inquantum poterat præuideri & precaueri & non est adhibita diligentia.

Nota 3. Non quæuis res illicita vnde sequitur mors censetur illicita ad causandam irregularitatem, sed ea solùm quæ ex genere suo est periculosa homicidij. hoc est quæ ex se est connexa cum homicidio. Sic Sotus de Iust. Lib. 5. q. 1. art. 9. Quod intelligendum, si res illicita, cui datur opera, non immediatè causet mortem, si enim immediatè causat mortem, incurritur irregularitas, etiamsi non sit ex se periculosa homicidij.

Dico 1. Sequentes incurrunt irregularitatem ex homicidio seu mutilatione iniusta. *Primò* Imperans si suo imperio etiam tantum interpretatiuo seu implicito, sequatur mors aut mutilatio. Secus dicendum si alias, hoc est, non ex vi imperij, mors aut mutilatio sequeretur. *Secundò* Consulens aut exhortans. *Tertiò* Non obstans, aut non impediens occisionem, si ex iustitia tenetur, & cùm posset negligenter omisit. Et sic prætor non defendendo Ciuem Medicus ex pacto medens infirmum, cuius negligentiâ moritur infirmus fiunt irregulares. Eodem modo, qui non impedit vindicantes iniuriam sibi factam, si sequitur mors aut mutilatio Nam tunc tacere est consentire: Secùs dicendum si non potuit impedire, aut monere occisum, vt se tutaret.

Dictum fuit, *si ex iustitia tenetur.* Nam obligatio ex misericordia non inducit

ducit irregularitatem. Hinc non pascens fame pereuntem, liber est ab irregularitate, secundum D. Antoninum.

Aduerte 1. Qui ante peractum homicidium reuocauit mandatum, mandatarius tamen noluit acquiescere, sed occidit, mandans non est irregularis. Eodem modo si mandatarius occidit nomine proprio, non mandantis. Tandem secundùm aliquos si mandatarius occidit post tempus à mandante præscriptum.

Aduerte 2. Discrimen esse inter mandantem & cõsulentem. nam non sufficit reuocare consilium ad euitandam irregularitatem, si consiliarius ex vi consilij occidit, Inn. C. ad audient. de homic. communiter receptus. Alij hoc discrimen non agnoscunt. & dicunt sufficere reuocare consilium alio consilio, Imò secundùm Sayrum, putans sufficere retractationem, liber est ab irregularitate, licèt alter occidat.

Q. V. Ratum habens homicidium nomine suo factum incurrat irregularitatem? ℞. Syluester, Rosella & alij affirmatiuè contra Tab, & Arm quia in delictis ratihabitio mandato æquiparatur, Debet autem tale homicidium fieri tempore quo ipse ratum habens posset illud facere, vt notat Panorm.

Dico 2. Qui ex justitia largè dicta tenetur alterum defendere & non facit non fit irregularis, Ita M. Bannez. Et sic filius, qui ex justitia largè dicta seu ex pietate tenetur Patrem defendere, non fit irregularis, & idem de Patre non defendente filium.

Dices Clerici in C. quæsitum de pœnit, declarantur irregulares ex oppressione filiorum, si illam procurant, aut studiosâm negligentiam adhibent. Ergo idẽ in nostro casu. ℞. in his quæ pendent à lege humana non debet fieri extensio de casu ad casum propter paritatem rationis in odiosis. odiosa enim potius sunt coarctanda, quàm extendenda.

Dico 3. Qui impedit alterum ne defendat proximum, si ex hoc sequitur mors aut mutilatio, fit irregularis. & intelligitur de impediente etiam tantùm consulendo, obligatum ex justitia defendere. & de impediente vi aut dolo eum, qui ex sola charitate defendere tenebatur. nam in vtroq; casu impeditor peccat contra justitiam. Excipe, nisi quando amicus amicum hortatur, ne alterum defendat, non malo animo, sed ne periclitetur.

Dico 4. Quando multi vulnerant alterum & moritur, omnes fiunt irregulares. Si tamen aliquis non inflixit vulnus lethale, non fit irregularis, nam ex sua actione non est secutum homicidium. Nisi talis conspiraret cum alijs occisoribus. Pariter, si primum vulnus fuit lethale & certò patet non ex eo mortuum, sed ex alijs postea inflictis, percusor liber euadit ab irregularitate, nam ad irregularitatem requiritur occisio cum effectu. Quod si dubium ex quo vulnere obierit, omnes vulneratores sunt irregulares vt patet ex C. significâsti de homicidio, Et idem si dubitetur de vulnere an fuerit lethale. Lop. cum alijs & patet ex Conc. 2 dist. 20.

Dico 5, Probabile est, qui dat operam rei illicitæ alias periculosæ homicidij, non

non fit irregularis, si sequitur mors, aut mutilatio si posuit diligentiam antecedenter ne sequatur. Ita aliqui apud dela Cruz Nam tale homicidium non est per se & directè volitum, Vt patet, nec indirectè, cùm nec virtualiter fuerit intentum nec præuisum in negligentia considerandi, adhibita enim fuit, vt suppono diligentia, ne sit periculum mortis.

Communius est, scilicet quod qui dat operam rei illicitæ alias periculosæ homicidij fiat irregularis, si sequatur mors aut mutilatio, etiamsi posuerit diligentiam ne sequatur. Vnde secundùm Cap. tua nos de homic. manet irregularis Clericus in Maioribus, vel in Minoribus, habens beneficium, chirurgiam exercens, si quem incidit aut adussit ita vt ex ea incisione vel adustione mors secuta sit, licèt ex incuria infirmi, quia dabat operam rei illicitæ. Clerico enim interdicitur vsus chirurgiæ. Aliqui dictum Cap. intelligunt, si Clericus temerè se immisceat. Item manet irregularis, qui tenellum infantem in lecto secum collocat, & dormiens opprimit, cum hoc prohibitum sit, nisi hoc cogat paupertas & tunc adhibenda est diligentia, quæ si deest, & infans opprimitur incurritur irregularitas.

Dico 6. In omnium sententia qui dat operam rei illicitæ, & periculosæ homicidij aut mutilationis, si omissa sufficienti diligentia sequatur mors &c. incurritur irregularitas. Vnde qui seruiens infirmo dat ei vetita à Medico, ex quo moritur aut mors acceleratur, fit irregularis. Secus si det non vetita à Medico, putans profutura. Nisi ita fit negligens, quòd cum posset aduertere an noceant, & non aduertit. Nam si ex hoc certum sit mortem secutam, fit irregularis. Quod si non sit certum non putet ex hoe mortm secutam. D. Anton. 3. p. t. 28. c. 21

Dico 7. Qui dat operam rei illicitæ, periculosæ tamen homicidij aut mutilationis, si omissa sufficienti diligentia sequitur mors aut mutilatio, fit irregularis. S. Th. 2. 2. q 64. a. 8.

Quod intelligitur nisi aliàs habeatur jus ad illam rem licitam, aut quia ex præcepto obligatio est ad illam, aut ex illa sequitur pia vtilitas seu justa necessitas. Vnde Medicus applicans medicinam per se curatiuam morbi & per accidens causativam obortûs, non fit irregularis. dela Cruz. Nàm in hoc & similibus mors non est intenta directè & ex intentione vt patet, nec indirectè, cùm non teneamur tunc vitare causam per accidens.

Aduerte vt in dictis casibus ob negligentiam incurratur irregularitas, requiritur negligentia mortalis vt docet Sotus & Bann. quia irregularitas est pœna durissima. Quare in dictis casibus ignorantia aut inaduertentia excusans negligentiam à mortali, excusat etiam irregularitate.

DISTINCTIO XXVII.

De Irregularitate proveniente ex delicto.

NOta. Hæc irregularitas est quædam pœna, quia præsupponit culpam, & quidem, cum sit sat gravis, mortalem. Provenit autem ex multiplici capite.

pite; Scilicet ex delicto causante infamiam, delicto inducente pœnitentiam publicam, ex iteratione baptismi, indebitâ susceptione Ordinum, exercitio Ordinum tempore censuræ, exercitio Ordinis qui non habetur, ex delicto hæresis, & tandem ex homicidio vel mutilatione iniusta de qua iam dist. 26. egimus. Sic dividit Lezana irregularitatem ex delicto.

Dico 1. Qui scienter bis aut pluries baptismum recepit irregularis est, Item qui baptizatus ab hæretico, in adulta ætate. secus in ætate infantili ante vsum rationis. Lezana cum Corneio excusat adultos baptizatos ab hereticis, si ex ignorantia aut necessitate hoc faciant.

Dico 2. Rebaptizans secundum communem sententiam, est irregularis, etsi ex ignorantia, culpabili tamen rebaptizet. quod etiam procedit de rebaptizato ex eadem ignorantia. Sed qui rebaptizat scienter sub cõditione tamen, peccat quidem mortaliter, sed non fit irregularis, quia talis in rei veritate non rebaptizat. cum apponat conditionem excludentem rebaptizationem. Idem dic, de rebaptizante ex metu sed non intendente rebaptizare.

Dico 3. Probabile est in mala Ordinum susceptione tantum in duobus casibus incurri irregularitatem: quia nullus alius casus exprimitur in jure. Hurt. apud Dian. Primò ergo incurrit irregularitatem qui ordinatur furtiuè, hoc est, qui non examinatus, vel non admissus suscipit Ordines, vel alium loco sui facit examinari, & ipse suscipit Ordines. Secundò, si quis durante Matrimonio, etiam non consummato, præsumit sacros Ordines recipere.

Ex quo infertur. Ordinatus ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui quoad locum & dignitatem non fit irregularis. Nec ordinatus ab alio Episcopo sine dimissorijs. Non seruatis interstitijs, Per saltum, Extra tempora sine dispensatione. In irregularitate non obtentâ dispensatione. Nam in his casibus sola suspensio incurritur. Fillnic. in Summa Dianæ. Suscipiens etiam Ordines ante Confirmationem non fit irregularis. Adverte non in omnibus supra dictis casibus incurri suspensionem V, l. 2. dist. 81. n. 11.

Dico 4. Non fit irregularis, qui celebrat coram excõmunicato, nec qui dat excõmunicato licentiã celebrãdi, nec astantes Missæ. quia non reperitur in jure.

Dico 5. Excommunicatus excommunicatione maiori ministrans in Ordine maiori fit irregularis. Dixi, *in Ordine maiori.* quia censuratus ministrans in Ordine minori non fit irregularis. Suspensus etiam aut interdictus violans suspensionem aut interdictum exercendo actum Ordinis maioris est irregularis. Idem dic de deposito. per suspensum intellige suspensum ab officio. & non à beneficio. An verò innodatus his censuris recipiendo Ordines fiat irregularis, affirmaui supra præcipuè de suspenso & excomm: sed etiam probabile oppositum conformiter ad conc: tertiam. Aduerte. Pluries excommunicatus &c semel celebrando vnam tantùm incurrit irregularitatem, sicut qui in pluribus existens peccatis mortalibus semel celebrando vnum tantùm committit peccatum. E contra verò semel censuratus pluries celebrando plures incurrit irregularitates, proinde in di-

spensa-

ſpenſatione earum debet numerum exprimere ſecundùm ſtylum Curiæ, vt notat Nauar.

Dico 6. Qui exercet ſolemniter actum Ordinis ſacri, quem non habet, eſt irregularis, v. g canendo Epiſtolam cum manipulo abſq; Subdiaconatu, Euangelium cum ſtola abſq; Diaconatu, baptizando ſolemniter, audiendo Confeſſiones, Miſſam dicendo, aut alia Sacramenta conferendo abſq; Sacerdotio. Immo vt refert Dela Cruz, tales ſunt deponendi & nunquam ordinandi. Dixi actum Ordinis ſacri, nam Laicus exercēdo actus minorū Ordinum non fit irregularis, ſicut & Sacerdos non expoſitus exercēdo actum jurisdictionis abſoluendo à peccatis mortalibus, licet peccet grauiter & inualidè abſoluat, non tamen fit Irregularis.

Dico 7. Hæretici & Apoſtatæ qui in hæreſim exteriorem lapſi ſunt irregulares ex delicto hæreſis niſi hæc ſit occulta vt docet Laym: l. 1. t 5. c. 4. & alij. Dixi, vt docet Layman. nam non intendo contradicere ſententiæ probabili in 2. d. diff 1. conc. 9. An verò in noſtris partibus prædictorū filij ſint etiam irregulares, ſi crimen Parentum nunquam imitati, negant aliqui apud Gobat. tr. 8. n. 655. Quia in noſtris partibus hæreſis non inducit infamiam. certum eſt, ſi hæretici emendentur, Irregulares quidem manent, ſed non eorum filij. C. ſtatutum § 2. de hæret. in 6. Præter dictas irregularitates recitat Lezana alias ex delicto prouenientes. *Prima*. eſt propter Apoſtaſiam à Religione. *Secunda*. propter Apoſtaſiam à Clericatu. *Tertia*. contra excommunicatum, qui præcipit coram ſe celebrare. *Quarta*. propter egreſſum Religioſi extra clauſtrum ad audiēdas leges vel medicinam. *Quinta*. propter crimen Sodomiæ. *Sexta*. propter celebrationem in altari propria authoritate erecto. *Septima*. contra Sacerdotem qui Miſſam pro aliquo celebrat vt moriatur. *Octaua*. contra eum qui prætermiſſo ritu quem Eccleſia præcipit, corpus & ſanguinē conficit. *Nona*. contra eum, qui altaria denudat, ſeu lugubri ornamento veſtit, ſolùm ob animi ſui triſtitiam. *Decima*. contra Epiſcopum qui abutitur poteſtate ordinandi conferendo Ordines per ſaltum quando vult. *Vndecima*. contra Cardinalem indebitè in Papam electū, à paucioribus, quàm à duabus partib⁹. *Duodecima*. contra Clericum, qui in vita vel morte fauet raptoribus. *Decimàtertia*. contra Sacerdotem, qui excommunicatum nominatim ſcienter admittit ad ſepulturam Eccleſiaſticam. *Decimaquarta*. propter ſacrilegium. *Decimaquinta*. contra concubantem cum moniali. *Decimaſexta*. contra Clericum periurum. *Decimaſeptima* contra habentem conſuetudinem patrandi aliquod peccatum mortale. *Decimaoctaua*. contra blaſphemum.

Subiungit tamen dictus autor nullam in dictis caſibus incurri irregularitatem. quia vel nullus textus adducitur, vel ſi adducitur, ſolùm is loquitur de aliqua alia cenſura vel depoſitione, non irregularitate. vel tandem ſi aliqua irregularitas in dictis caſibus incurritur, ea non eſt præcisè ratione delictorum, ſed infamiæ quando ipſa fuerint notoria.

Aduerte tamen quoad tertiam, quando excōmunicatus, authorizat ſuâ præſentia celebrationem Miſſæ, fit irregularis. & tradit cum comm: Lezana V. Irreg.

DISTINCTIO XXVIII.

De dispensatione in irregularitate.

OCcasione verborum Tridentini Seſſ 24. cap. 6. ſcilicet, *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.* Occaſione inquam horum verborum ſciendum quid ſit occultum, publicum, notorium &c. Quare,

Nota 1. Notorium eſt, quod ita claré & euidenter conſtat, vt nullo modo negari poſſit. Eſt duplex: ſcilicet notorium juris, quod conſtat per juridicam ſententiam, vel per confeſſionem rei in judicio, & notorium facti, quod eſt publicum euidentiâ facti, id eſt, ita ſe exhibens oculis magnæ partis alicuius communitatis, vt nulla tergiuerſatione poſſit celari.

Nota 2. Ad notorium juris non ſufficit plenè per teſtes in judicio probare, ſi reus crimen non confiteatur, vel judex de eo ſententiam non proferat, niſi probationes ſint ita claræ, vt nec coloratè impugnari valeant. Ad notorium facti in minori conuentu minor Perſonarum numerus requiritur V. dicta diſt. 5. Debet autem notorium formaliter ſeu in ratione delicti eſſe notorium, & non ſolùm materialiter. Hinc licèt ſit notorium aliquem celebrâſſe, ſi non eſt notorium celebrâſſe in cenſura, non eſt cenſendus notoriè irregularis, re tamen ipsâ eſt irregularis.

Nota 3. Manifeſtum, publicum ſeu famoſum, à notorio diſtinguuntur, manifeſtum dicitur illud quod facilè poteſt probari per ſufficientes teſtes, licèt non per tot, vt dicatur notorium. Publicum ſeu famoſum, quod famâ publicâ proclamatum. V. dicta in 2. d. 66. conc. 7. notorium verò vt ſupra not. 1mo. Ex quò patet, cùm hæc diſtinguantur à notorio, licèt ſit fama aliquem eſſe percuſſorem Clerici, ſi non ſit notorium vt jus requirit, conuerſans cum tali excommunicato non incurrit excommunicationem minorem. Quando etiam in priuilegijs excipiuntur caſus notorij poteſt diſpenſari, licet ſint manifeſti. Quia cum materia priuilegiorum ſit fauorabilis, extendi debet, quantum proprietas verborum permittit.

Nota 4. Occultum multis modis accipitur, vt diſtinguitur à probabili. Et eſt, quod etſi ſit externè factum, tamen idoneis teſtibus nequit probari. Vt diſtinguitur à publico, & eſt, quod etſi poſſit probari, non tamen famâ proclamatum eſt. Vt diſtinguitur à notorio, & eſt, quod etſi probari poſſit & famâ proclamatum ſit, non tamen ita clarum, vt aliquâ tergiuerſatione celari non poſſit. Occultum ergo primo modo eſt vere occultum, & vi priuilegiorum abſoluendi à caſibus occultis venit. Item ſecundo modo occultum. Non tamen tertio modo occultum. cum tale ſit publicum & famoſum.

Not 5. Dicitur etiam occultum, quod licet alibi publicum, in loco tamen vbi id-

vbi dispensatur non est tale. Tunc autem in sacra Pœnitentiaria oppositum praeticatur, quando probabiliter timetur in tali loco manifestatio. Quod si manifestatur, absolutio vel dispensatio bonâ fide data, solùm valet in foro interiori. Item delictum est occultum, licet delatum ad forum externum, si reus absoluitur, quamuis per falsos testes. Tandem delictum adhuc censetur occultum licet delatum ad forum contentiosum, non verò si jam deductum, siue reus puniatur, siue non puniatur.

Dico 1. Irregularitas, ex defectu corporis non tollitur per baptismum vel Professionem cum hoc nullo jure probari possit. Sed per causæ cessationem, vel per Prælati Regularis respectu suorum subditorum Professorum dispensationem, virtute priuilegiorum NN. superioribus concessorum, apud Lezanam Tomo 1. G. 18. n. 34. vbi homicidium voluntarium, mutilatio membrorum, & bigamia excipiũtur. Quæ tamen priuilegij vniuersalitas non juuat, si ex defectu corporis procedit graue scandalum. Possunt inquam NN. Prælati per priuilegia sic vniuersalia dispensare cum suis subditis Professis, & qui communicant in priuilegijs nobiscum, etsi tales defectus sint ex culpa & non occulti, v. g. si non habeatur oculus dexter vel sinister, vel, digitus, qui non sit pollex. Non obstante etiam hâc vniuersalitate priuilegiorũ non possunt dispensare cum hermaphroditis, licèt in eis præualeat sexus virilis.

Dico 2. Illegitimus factus Professus non eget nouâ dispensatione ad Ordines suscipiendos. Nam per Professionem in Religione approbata tollitur irregularitas, quæ est ex defectu natalium, vt refert Lezana. Tomo. 1. c. 3. n. 2. non tamen hæc irregularitas tollitur ad suscipiendas dignitates Ecclesiasticas & prælaturas, vt colligit idem Lezana ex c. 1. de filijs præsby. loco cit.

Dico 3. Irregularitas ex defectu originis seu seruitutis non tollitur per baptizmum, quia in multis regionibus post baptismum adhuc manent serui. Nec Episcopus in hoc defectu dispensat, quia si dispensat, punitur. Nec Prælati Regulares cum suis subditis Professis, non obstantibus priuilegijs cum supradicta vniuersalitate, supposito, quod adhuc factâ Professione maneat seruitus. Lez. Tomo 3. V. Irreg. Dixi. *Si facta Professione maneat.* nam per Professionem validam tollitur seruitus. cum liberetur à jurisdictione sui domini, seruatis tamen seruandis. V. Lezan. Tom. 1. quæstionũ Regulariũ. c. 24. n. 2. Ad hanc irregularitatẽ reducitur, quæ est ex defectu libertatis, quales sunt mariti, tutores judices, milites &c.

Dico 4. Irregularitas ex defectu ætatis non tollitur per baptismum vel Professionem. quia hoc nullo jure probari potest. Priuilegia autem quo ad hoc sunt abrogata per Trid. quòd si post Trid. cum eadem vniuersalitate concessa, per Clementem 8. ad terminos Tridentini sunt reducta. Quare Regulares ante legitimâm ætatẽ ordinati, sunt suspensi, quos si in sacris exerceant, fiunt irregulares.

Dico 5. Infamia facti & consequenter irregularitas ex illa contracta tollitur per vitæ emendationem publicam, nec est necessarium hanc probare per triennium. Hæc non potest tolli per potestatem aliquam. cùm non possit effici, vt qui

propter delictum malè audit, benè audiat, nisi subsecutâ satisfactione. Omnis tamen infamia facti tollitur per baptismum, quia baptismus est regeneratio, & retractio vitæ præteritæ, per quam tollitur omne peccatum,& omnis pœna pro ipso debita. Dixi. *infamia facti*, nam infamia juris ciuilis, saltem omnis, non tollitur per baptismum.

Dico 6. Cùm Episcopus possit dispensare in infamia juris canonici orta ex delictis, super quæ habet authoritatem. ideò Prælati Regulares id possunt jure communi, & jure speciali propter priuilegia cum superdicta extensione concessa, cum suis tamen subditis Professis nisi graue timeretur scandalum. Dixi. *juris Canonici*. quia de infamia juris ciuilis aliter discurrendum.

Aduerte huc reduci irregularitatem ex pœnitentia publica prouenientem, sed quia hæc non est in vsu, ideò nec irregularitas ex illa proueniens.

Dico 7. In defectu animæ, qui est ex carentia vsûs rationis. Prælati Regularium cum suis subditis virtute priuilegiorum non dispensant, nec tollitur per baptismum sed per cessationem causæ. Idem dicendum de defectu scientiæ. Irregularitas etiam ex defectu fidei, quâ innodantur Neophiti non tollitur per baptismum, vel professionem. Prælati tamen Regularium cum suis subditis professis possunt in tali irregularitate dispensare. nam cùm in alijs irregularitatibus possint, exceptis, homicidij voluntarij. bigamiæ & mutilationis membrorum. nulla est ratio cur hæc eximatur ab illa generali concessione. Lezana V. Irregul.

Dico 8. Non potest Prælatus Regularis cum suis subditis professis dispensare in bigamia etiam interpretatiua. quia hæc in priuilegijs semper intelligitur excipi. nec aliquod priuilegium Regularium illam exprimit. Vide Lez. V. Bigamus. Et licet diceretur in priuilegijs Regularium, ab omni irregularitate hæc non comprehenderetur. quia vt habetur in regula juris. *in generali concessione non veniunt ea, quæ speciali notâ sunt digna*, Potest tamen Prælatus Regularis cum suis subditis professis dispensare in bigamia similitudinaria. Quia in hac potest Episcopus. Quod autem potest Episcopus jure ordinario, potest etiam Prælatus Regularis cum suis subditis. Cum habeat jurisdictionem, quasi Episcopalem, vt probat Lez. Tom. 1. qq. Reg. C. 18. n. 2.

Dico 9. Irregularitas ex defectu lenitatis, (ad quam reducitur ea quæ incurritur in bello justo) non tollitur per baptismum, cùm secundùm jus relatum à Lez. tomo. 3. v. Irreg. supponat baptizatos. Nec tollitur per Professionem, nec tollitur ab Episcopo, quia ei solùm competit dispensare in irregularitate ex delicto. An verò Regulares habentes priuilegia cum supra dicta vniuersalitate, cujus meminimus, & meminit Lez. tomo, 1. q. q. RR. c. 18. n. 34, & 40. possint in hac irregularitate dispensare probabile est, quia tale homicidium nomine voluntarij non venit. Ita Suarez Corneio. Peirinis & N. Gand. apud Lez. Scias ante baptismum nulla est propriè irregularitas, sed defectus existens in homine ante baptismum, qui reddit illum irregularem post baptismum ex determinatione juris, Sic intellige dicta de effectu baptismi.

Dico 10.

Dico 10. In irregularitate ex mutilatione voluntaria orta, potest Episcopus dispensare, quando casus est occultus. eò quòd in Tridentino concedatur Episcopo dispensare in omnibus casibus ex delicto occulto prouenientibus, excipiendo irregularitatem ex homicidio voluntario quantumuis occulto ortam, mutilatio verò non est homicidium, Possunt etiam Prælati Regulares, qui cōmunicant in Priuilegijs cum Ordine N. ex Priuilegio Pij V. quod refert Lezan. tomo 1. cap. 18. n. 31. dispensare per se ipsos cum suis subditis in foro conscientiæ tantùm, quando casus fuerit occultus, non verò ex vi illius priuilegij, cuius sæpè meminimus, quia ibi irregularitas ex mutilatione membrorū proueniens excipitur. Certum autem esse debet hanc irregularitatem non tolli per baptismū, quia solùm à baptizatis contrahitur, nec per Professionem, quia nullum fundamentum.

Quomodo sonat præfatum Priuilegium à Pio V. Ordini N. concessum? ℞. Sic. *Priori Conuentuali & superioribus Prælatis (conceditur) vt ipsi per seipsos idem omnino possint in fratres quod possunt Episcopi in Clericos & laicos sibi subditos, tam quoad absoluendi, quam dispensandi huiusmodi, quàm alias quascunq; facultates,*

Aduerte. Licèt secundùm aliquos DD. Episcopi possint ab hæresi occulta & alijs casibus occultis Bullæ Cœnæ Domini, secundùm concessionem Tridentini absoluere, hoc tamen non possunt Prælati Regulares respectu suorum subditorum. Tum quia hæc facultas reuocatur singulis annis per Bullam Cœnæ Domini. Et specialiter probat Lezana hoc non competere Prælatis Regularibus loco cit. n. 38. referens declarationem Cardinalium Tum quia id quod concessit Tridentinum Episcopis in casus occultos Bullæ Cœnæ Domini reuocatum probat Lezan. per Bullam Cœnæ Domini tempore Vrbani Octaui editam.

Dico 11. Irregularitas ex homicidio seu mutilatione casuali culpabili, & cooperatione ad eam dispensatur ab Episcopo quando casus est occultus, & Prælato Regulari habente priuilegia cum supradicta latitudine, cum suis subditis professis, & si casus sit publicus, vt docet Vecchius in summa Dianæ V. Prælatus Regularis, idem dic conclus. duodecimâ, tertiadecimâ, quartadecimâ, & duabus sequentib9, non autem tollitur per baptismū. Quia irregularitas ex delicto proueniens non afficit nisi baptizatos. vel per professionē, quia nullum huius fundamentum.

Dico 12. Quando in defensione exceditur modus non censetur homicidium voluntarium sed casuale, proinde in casu occulto dispensat Episcopus, & Prælatus Regularis cum suis subditis professis habendo priuilegia cum illa amplitudine & vniuersalitate. non autem tollitur per baptismum vel professionem fundamento superioris conclusionis.

Dico 13. Irregularitas, quam rebaptizans & rebaptizatus incurrunt, tollitur ab Episcopo in casu occulto, ex Trid. Sess. 24. c. 6. Item à Prælatis Regularibus, respectu suorum subditorum professorum habentibus Priuilegia cum sæpè dicta vniuersalitate. non autem per baptismum, quia eum supponit nec per professionem, quia nullum huius fundamentum.

Dico 14 Irregularitas ex indebita Ordinum susceptione tollitur per ingres-

ſum, & condignam pœnitentiam ibiq; laudabilem vitam. item à Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum profeſſorum virtute priuilegiorum ſuperiùs dictorum. non tollitur autem per baptiſmum, quia eum ſupponit.

Dico 15. Irregularitas contracta ob exercitium Ordinum tempore cenſuræ, non tollitur per baptiſmum, quia hunc ſupponit. nec per profeſſionem, quia nullum fundamentum. Sed vel ab Epiſcopo, ſi caſus occultus, vel à Prælato Regulari cum ſuis ſubditis profeſſis ſecundùm dictam priuilegiorũ extenſionem.

Dico 16. Irregularitas contracta ob exercitium Ordinum, qui non habetur, tollitur, vt ſupra, in præcedenti conc. Adde poſſe Epiſcopum ſtando in jure communi & ſecluſo priuilegio Tridentini, diſpenſare cum Clerico hoc delictum committente, vt miniſtret in Ordinibus ſuſceptis, non verò vt aſcendat alios, vt probat Lezana.

Dico 17. In irregularitate, quam incurrunt Hæretici & Apoſtatæ diſpenſat Epiſcopus in caſu occulto attenta mente Tridentini. Adde, poſſe Epiſcopum diſpenſare in caſu publico cum prædictis quoad vſum Ordinum jam ſuſceptorum, quia textus id permittunt. refert Lezana. Item diſpenſant Superiores Regulares cum ſuis ſubditis profeſſis, ſaltem quando caſus eſt occultus, vigore priuilegiorũ vt ſupra. Supponendum autem hanc irregularitatem etiam in caſu occulto non tolli per profeſſionem vel per baptiſmum.

Dico 18. Irregularitas quam contrahunt Hæreticorum & Apoſtatarum filij, non tollitur ab Epiſcopo ſpectato jure communi, quia non eſt ex delicto, ſed ex indigentia. Tolet. putat eſſe ex delicto, & ſic tollitur ab Epiſcopo, quando caſus eſt occultus, ſpectatâ mente Tridentini. Item à Prælato Regulari, reſpectu ſuorum ſubditorum profeſſorum, attendendo priuilegia vt ſupra, ſaltem ſi caſus occultus, vide diſtinctionis præcedentis ſecundam partem conc: ſeptimæ.



LIBER IV.

De obligationibus & peccatis variorum statuum.

DISTINCTIO I.

Præmittitur notitia peccati.

PEccatum à Divo Augustino sic describitur. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem æternam* Et quoniam affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus, ideo cointelligendum est: peccatum quoq; esse, non dictum, quod secundùm DEI legem dici debebat, & non factum, quod fieri oportebat in corde quoq; omissum, quod desiderari amariq; debebat. Vtrobiq; enim est deuiatio à statuto legis diuinæ, quæ ab æterno existit in DEO, estq; *exemplar & regula agendorũ per eos qui subduntur gubernationi eius.*

Dividitur primò, in personale & originale, Personale est, *quod propriâ peccantis voluntate committitur,* Orginale, quod etiam Naturæ dicitur, est id *quod communi voluntate primi Parentis, quæ totius humani generis censetur, est cõmissum.*

Dividitur secundò, in actuale & habituale, Actuale est *actus malus & difformis regulis morum* habituale *consistit in quadam macula, qua in anima relinquitur ex peccato actuali, & in ea remanet donec per pœnitentiam deleatur.*

Dividitur tertiò in mortale & veniale. Illud *infert mortem animæ, eam priuando gratiâ & charitate, & auertendo ab vltimo fine.* Hoc verò *nec gratiâ nec charitate priuat, sed eius tantùm feruorem minuit, nec auertit ab vltimo fine, sed ab eius consecutione retardat.*

Dividitur quartò in commissionis & omissionis. Peccatum commissionis *consistit in productione alicuius actûs mali, & difformis regulis morum.* Omissionis verò est *carentia seu priuatio alicuius actûs debiti, & lege præscripti.* Primum pugnat cum præcepto negatiuo, ponendo actum, qui jubetur non poni. Secundũ pugnat cum præcepto affirmâtiuo, negligendo actum qui præcipitur.

Dividitur quintò in carnale & spirituale. Carnale est *quod perficitur delectatione carnali,* v. g. gula & luxuria, quæ in delectatione ciborum & venereorum consummantur. Spirituale verò *perficitur delectatione spirituali,* vt superbia, inuidia & similia, quæ in sola apprehensione alicuius rei concupitæ vel ad placitum habitæ, consummantur. Carnale plus habet de conuersione quàm de auersione. Spirituale è contra plùs de auersione quàm de conuersione.

Dividitur sextò, in peccatum quod est contra DEVM, proximum, & seipsum. *Quando homo detrahit DEO amorem & reuerentiam debitam,* dicitur peccare in DEVM, vt sacrilegus, hæreticus, blasphemus. *Quando homo suas passiones ra-*

nes ratione non regulat, peccat in ſeipſum, vt auarus, guloſus, luxurioſus. *Quando homo non ſeruat proximo jus debitum, vel offendit humanam ſocietatem, cui naturáliter alligatur,* tunc peccat contra proximum, vt fures, homicidæ, adulteri &c.

Dividitur ſeptimò, in peccatum cordis oris, & operis. Quæ diviſio dupliciter intelligi poteſt. Primò, vt per peccatum cordis illud accipiatur, *quod interius conſummatur,* vt hæreſis. Per peccatum oris illud, *quod locutione perficitur*, vt mendacium. Per peccatum operis illud, *quod opere completur*: vt adulterium & homicidium Secundò hæc diuiſio intelligi poteſt, vt ſit non tam in diuerſa peccata, quam in diuerſos gradus eiuſdem peccati. Iracundus enim v. g. ex hoc quòd appetat vindictam, primo perturbatur in corde, ſecundò in verba contumelioſa prorumpit, tertiò procedit ad facta iniurioſa. Idem patet in luxuria & quolibet alio peccato. in quo eſt primò conceptus cordis, ſcilicet cogitatio. deinde eſt manifeſtatio, & locutio. Vltimò eſt completio externa. Octauò dividitur peccatum, in peccatum factum ex infirmitate ſeu paſſione, ex ignorantia, & malitia. Peccatum ex infirmitate ſeu paſſione eſt, *quod oritur ex aliqua graui tentatione, & motione appetitûs ſenſitiui* trahentis voluntatem ad conſenſum. Peccatum ex ignorantia eſt, *quod procedit ex ignorantia culpabili & vincibili.* Peccatum ex malitia eſt, *quod plena libertate & voluntate committitur. nullâ paſſione incitante, & nullâ ignorantiâ excuſante.* Primum peccatum dicitur eſſe contra perſonam Patris, cui appropriatur potentia. Secundum, contra perſonam Filij, cui appropriatur ſcientia. Tertium contra perſonam Spiritus Sancti, cui appropriatur bonitas.

Tandem dividitur peccatum in proprium & alienum. Illud eſt *quod ab ipſo peccante committitur.* Hoc verò *licet ab alio committatur nobis tamen imputatur.* Et hoc multipliciter. Scilicet ratione præcepti, conſilij, ſuaſionis, adulationis, protectionis, & propter defectum correctionis.

Deſcendendo ad magis particularia diuiditur peccatum in ſeptem capitalia, ſic dicta quia ab his alia oriuntur. Sunt autem ſuperbia, auaritia, luxuria, inuidia, gula, ira, acedia. Superbia eſt *appetitus inordinatus celſitudinis.* Auaritia eſt *inordinatus appetitus habendi.* Luxuria eſt *inordinatus appetitus venereorum*, Inuidia eſt *triſtitia de bono alieno*, Gula eſt *inordinatus appetitus cibi & potûs*. Ira eſt *inordinatus appetitûs vindictæ*. Acedia eſt *triſtitia de bono ſpirituali vt ad ipſum hominem ſpectat.*

Aduerte iram vulgariter ſumi pro quadam perturbatione animi, cum actuali impatientia. Item differre ab odio. Irâtus enim non intendit nocere, niſi ei qui ſibi vel alijs nocuit, vt vindicta ſit quaſi quædam recompenſatio Per odium autem intenditur malum abſq; tali reſpectu, ſed abſolutè, eo tantùm fine vt alicui malè ſit, propterea, quòd vel nequam ſit, vel eius perſona ſit odioſa, nobiſq; diſpliceat. Pro hac diſplicentia frequētiſſimè ſed non ita propriè, ſumitur odium.

Item, alia ſunt contra Spiritum S. Sunt autem. Deſperatio. Præſumptio. Impugnatio agnitæ veritatis. Inuidentia fraternæ gratiæ. Impœnitentia & obſtinatio.

natio. Desperatio est *quando quis abijcit spem de sui emendatione, peccatorum remissione, gratiæ & gloriæ consecutione.* Potest autem aliquando coniungi cum hæresi, aliquando absq; hæresi esse. Nam si quis exprimat saltim corde tale judicium, quod DEVS non possit sibi parcere, aut non parcet, si se debito modo disposuerit, aut quod impossibile sit ei in hoc statu consequi gratiam, & postea gloriam reuera est contra fidem. Absque heresi verò, si quis secum ita deliberaret. Ego nunquā me disponā, & ideo nunquā mihi DEVS parcet ac proinde damnabor.

Præsumptio est *quidam inordinatus conatus spei, quâ expectat quis, per virtutem & misericordiam DEI id, quòd secundùm legem eius ordinariā non est possibile,* v. g. remissionem peccatorum absq; pœnitentia, gloriam sine meritis proprijs aut solis viribus suis, absq; DEI gratia. & potest coniungi cum hœresi, si quis ita crederet, & absq; heresi, si ita quidem non judicaret, sed ita se gereret ac tenderet in æternam beatitudinem ac si posset suâ voluntate absq; operibus, aut illis solis, seclusâ DEI, gratiâ, obtineri.

Impugnatio agnitæ veritatis tunc est, *quando quis post propositam fidei vel bonorum morum doctrinam, impugnat eam volens persuadere esse falsam.*

Inuidentia fraternæ gratiæ est, *dum quis tristatur ex hoc quod gratiâ DEI crescat in mundo.* Hinc si quis videns fratrem suum in DEI seruitio proficere, peccatores pœnitentiam agere &c. doleret super hoc, peccaret contra Spiritum Sanctum, quasi contemnens interioris gratiæ auxilium.

Impœnitentia hic non significat permanentiam in peccato vsq; ad mortem, sed *importat propositum non pœnitendi.* Sumitur hæc explicatio ex Sancto Thoma apud Getium in Thesauro Animæ. V. Impœnitentia.

Obstinatio est *firmum propositum inhærendi peccato propter aliquam delectationem quàmuis breuem.* Hæc peccata dicuntur irremissibilia non quòd nullatenus remitti possint, sed quia difficilè & rarò dimittuntur, eo quòd habeant in se repugnantiam ad remissionem, & DEI dona, quæ contemni videntur.

Item alia sunt in cælum clamantia sc: homicidium voluntarium. hoc est directè intentum & factum. Sodomia, Oppressio pauperum, ac merces operariorum defraudata.

Nomine pauperis intelligitur non tantùm miserabilis persona, vt est aduena vidua, pupillus, subditus, seruus, sed etiam quicunq; est inferioris conditionis respectu excellentioris. Nomine verò oppressionis intelligitur quæcunq; afflictio. Dicuntur in cœlum clamare, quia ob sui grauitatem velocem petunt vltionem.

Q. 1. Quæ concurrunt ad peccatum mortale? ℟. hæc 1. grauitas ex parte obiecti. 2. perfecta aduertentia ex parte intellectûs. 3. plenus consensûs ex parte voluntatis. Hæc grauitas ex parte obiecti colligitur ex notabili contrarietate cum charitate DEI vel proximi. Alia autem est grauitas obiecti peccami nosi ex se & sua natura, alia ex graui prohibitione, vt fuit in pomo primis parentibus prohibito.

Q. 2. Peccatum mortale quot modis transit in veniale? ℟. 3. 1. ratione imperfectæ deliberationis. nimirum quando ratio adeo tenuem habet considera-

tionem, vt non plenè aduertat malitiam obiecti. ficut fit in non plenè excitatis à somno. 2. ratione imperfecti cōnsensus. Sed hæc imperfectio consensus prouenit ex imperfecta deliberatione præcedenti. 3. ratione paruitatis materiæ vt furari solidum.

Q. 3. Peccatum veniale quot modis transit in mortale? ℟. 5. 1. Si quis veniale cum ea animi præparatione committat, vt si sciret illud esse mortale, nihilominus committeret. 2. Si quis veniale eo fine committat vt aliquem in peccatum mortale inducat 3. Si in veniali intendat contemptum legis diuinæ vel legislatoris. 4. Quando ex veniali sequitur graue nocumentum siue corporis siue animæ. 5. Si quis committendo veniale, dubitat an sit mortale.

Q. 4. Quæ sunt quæ hominem excusant à peccato mortali, vel ab omni? ℟. hæc. 1. Impotentia. 2. Subreptio, hoc est inconsideratio aut indeliberatio, cum quis non aduertit quid cogitet vel quid agat. 3. Defectus pleni judicij. 4. Paruitas materiæ. 5 Iusta causa. 6. Magna & quasi extrema necessitas. 7. Dispensatio. 8 Ignorantia inuincibilis.

Aduerte circa necessitatem, si hæc sit tantum grauis non excusat à peccato furti. & propterea Innoc. XI. sequentem propositionem in ordine. 36. damnat, *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui.*

DISTINCTIO II.

De obligatione & peccatis Nouitiorum.

NOtâ. Nouitius dicitur ille *qui habitu religionis suscepto nōdum aliquâ professione adstrictus, experitur religionis austeritatem.* Et licèt ante annos pubertatis possit aliquis habitum suscipere, vel à parentibus offerri, non tamen est propriè Nouitius, nisi compleuerit, masculus annos 14. & fœmina 12.

Dico 1. Peccat mortaliter, qui in examine interrogatus negat necessaria ad validitatem professionis. Insuper tenetur ad restitutionem expensarum, quas monasterium in eo sustentando consumpsit.

Dico 2. Peccat mortaliter, qui negat interrogata pertinentia ad magnam vtilitatem Religionis. Quia fallit in re graui, de qua interrogatur juridicè, & quam detegere ex justitia obligatur. v. g. si taceat morbum gallicum. nisi in aliquo Ordine esset statutum, quo annularetur professio, tunc in tali casu, etiam taceretur aliquid pertinens ad valorem professionis, vt in Ordine N. in Cap. Generalissimo Romæ 1644. celebrato, ordinatione 7mâ ordinatum.

Dico 3. Si commisso homicidio fugiat aliquis ad monasterium ne comprehendatur, & habitum recipat, tandem profiteatur, professio est nulla, & poterunt judices sæculares contra eum procedere tanquàm contra verè sæcularem, vt declarauit SIXTVS V. Anno 1588 die 16. Nouemb. Sed constitutionem Sixti, quoad professionem criminosorum reuocauit Clemens VIII. vt habet Laynensis to. 2. p. 2. tr. 3. q. 28. vnde l. c. q. 10. docet præfatum & similes, valide profiteri.

Dico 4. Peccat mortaliter, qui ante solutionem debitorum Religionem ingreditur, professio tamen valida juxta decretum Clementis & secundum jura antiqua, ait Layn. l. c. q. 13. Si tamen habet vnde facile soluat & amore DEI correptus statim vult migrare ad Religionem, cautioneq; creditoribus dat, quâ facili negotio suum recuperabunt, non peccant ante solutionem ingrediendo. Hoc colligitur ex verbis Sixti V. Ibi *ingenti ære alieno supra vires suarum facultatum grauatos*. Dicendum etiam ex S. Thoma 22. q. 189. a. 6. si nulla spes pinguioris fortunæ vnde debita soluere valeat ab ingressu Religionis non impeditur.

Dico 5. Quando vnus coniugum potest facere perpetuum diuortium, & petens Religionem rogatur ab examinatoribus, an sit coniugatus? dicitq; negatiuè vt faciliùs admittatur, non peccat mortaliter. Ita Fernandes P. 4. C. 13. §. 1. cum Roderico & Nau. Quia ad talem effectum non est coniugatus.

Dico 6. annus probationis debet esse integer computando à die ad diem. Non tam debet esse integer mathematice à puncto ad punctum, sed potest minui aliquot horis. Quia de minimis non curat Prætor, & quod parùm distat, nihil distare videtur. Et hoc secundùm Henriquez & alios. Quòd si annus sit bissextilis, & habitum quis suscepit die 24. Februarij, vtrumq; 24. diem, qui duplex est in anno bissextili, expectandum esse. Quia in jure computatur pro vno, vt refert Summa Dianæ V. Professio. Item debet esse continuus. Et quidem vt refertur in declarationibus Constitutionum O. N. d. 1. c. 13. ex decisione Romanæ Rotæ interrumpitur per spatium vnius noctis vel vnius diei. Nec obstat textus Cõstitutionis de Nouitijs c. 14. qui alias obseruabatur ante Tridentinum. Non interrumpitur tamen, si Nouitius cum licentia Prælati & cum habitu ex causa rationabili extra monasterium per aliquot tempus maneat. Quia adhuc est sub obedientia. Non interrumpitur etiam, si Nouitius sit in infirmaria per totum annum. Ita Samuel de Lub. V. Professio cùm Rodriquecz quia sufficit experiri austeritates in generali. Non interrumpitur etiam, si v. g. tempore pestis continuetur annus probationis, extra monasterium quamuis per maiorem partem anni. Immò quamuis per totum annum, vt colligo ex Samuele de Lub V. Nouitius & praxis id suadet.

Dico 7. Nouitij puri non obligantur ad præcepta regulæ, sed ad probandum, vnde validè confiteri possunt sine licentia Superiorum suorum, Confessario sæculari approbato ab Episcopo, & ab eo absolui a casibus in Religione reseruatis. Quia non sunt Religiosi ad onera, sed solum ad fauorabilia. Ita Fernandez p. 3. cap 9. § 8. & Gabriel a S. Vicentio. V. Nouitius. Ex hoc intellige eosdem non obligari ad horas Canonicas.

Dico 8. Nouitiorum Prælatus est velut ipsorum Ordinarius, sed in fauorabilibus tantum, hinc potest cum eis dispensare, non verò excommunicare, Gab. à S. V. in Summa Mor. V. Nouitius.

Dico 9. Qui vouit Religionem in communi, & suscepto habitu non admittitur ad professionem in vna, debet ire ad aliam, ait Sam. à Lub. sed in hoc spe-

ctanda intentio Nouitij. vide dicta lib. 1. dist. 14. Conc: 11.

Dico 10 Cùm nostris temporibus omnes Religiosorum Ordines Romani Pontificis beneficio ab Episcoporum, quibus jure communi olim erant subiecti, potestate eximantur, efficitur vt Nouitius delinquens à monasterij Præfecto possit puniri, & non ab Episcopo Sam, de Lub. l. c. An verò possit puniri perpetuo carcere, si in professo delictum hoc merebatur? dicendum negatiuè. Quia Nouitius non est impediendus, quin redeat ad sæculum. Potest tamen ad tempus damnari, & hoc, si ipse velit, & non aliter.

Dico 11. Nouitij non possunt validè disponere de bonis ad illos pertinentibus, nisi cum licentia Episcopi vel eius Vicarij & intra duos menses proximos ante professionem. Nec talis dispositio habet valorem, licet juramento firmetur, nisi secutâ professione, ita Trid. Sess. 25. de Reg. c. 16. In qua decisione soli actu Nouitij comprehenduntur, non verò illi qui Nouitij esse volunt; & intuitu Religionis bonis suis renuntiant. Quia decisio solùm est de Regularibus, vt constat ex titulo. Secundò, quia ita declarauit sacra Congregatio, vt refert Lezana, t. 1. qq. Reg. c. 24. Possunt tamen Nouitij non obstante hoc decreto Concilij Tridentini, & sine conditionibus ab ipso præscriptis facere testamentum, codicillum, & quamcunq; aliam voluntatem vltimam, ex causa mortis, seu quemcunq; alium contractum reuocabilem. Ita Nau. & Azor; quos citat & sequitur Lezana l. c. Possunt etiam Nouitij facere aliquas donationes & eleemosynas parui momenti. Lezan. cum aliis l. c. quia intentum Conc. solum est ne Nouitius discedere impediatur, quod esset si totam vel maiorem partem suæ substantiæ alius possideret.

Dic. 12. Parentibus in extrema & graui necessitate existentibus non potest filius ingredi Religionem, supposito quod filius possit subuenire, & non sit alius. Et hoc subsistit; etiam si votum ingrediendi fecisset. In duobus tamen casibus, non obstante Parentum necessitate licitum est filio ingredi Religionem. 1. Quando filius à Patre ad malum inducitur. 2. Quando filius non potest extra Religionem esse sine periculo peccandi mortaliter. Quod intelligi debet, non de quocunq; periculo: hoc enim semper manet in sæculo, sed de periculo extraordinario & occasione proxima peccandi, quam vitare non potest nisi Religionem ingrediatur. Quod si jam fecit professionem & Parentes extremè egent, tenetur petita licentiâ egredi è monasterio, si non potest aliter subuenire Parentibus. Caiet. & Nauar. apud dela Cruz supra 4. præc. Idem judico si necessitas sit tantum grauis. Dixi; *in extrema & graui necessitate existentibus.* Nam communis & leuis Parentum necessitas non est impedimentum filio ad ingressum Religionis, vt docet Makouius trac. 2. Supra Decalogũ disp. 3. 9. 3. a. 1. ex S. Tho. Sed quid sentis de fratre v. g. voto Religionis obstricto? R. Idem ferè quod de filio respectu Patris.

Dico 13. Si monasterium premittitur pauperie, licitum est aliquid recipere à Nouitio, pro congrua illius sustentatione. Quia hoc non est aliquid spirituale vendere, sed monasterio vt commodiùs possit alere Nouitium prouidere. Sam. de Lub. V. Nou. ex S. Tho. Et addit, peccare præsidentes monasteriorum puellarum;

larum, quæ quantò ditiora habent monasteria, tantò maiores exigunt dotes.

Dico 14. Potest Nouitio beneficium sæculare conferri Quia adhuc est sui juris. Sed regularis beneficij non est capax. Cum id jure prohibeatur. Azor. tractatu 1. lect. 12. cap 3. quest. 1.

Dico 15. Nouitius retrocedens non reincidit in excommunicationem ob percussionem Clerici, à quo tempore Nouitiatûs absolutus, vt patet ex Sum. Dia. V. Nou. Et idem de casibus Episcopo reseruatis, ante ingressum commissis, & in Religione (vbi, vt innuit dela C. l. 1, de statu Relig. C. 6. d. 10. cessant esse reseruati, & benè) absolutis. Quia absolutio data simpliciter, non debet explicari quòd sit data ad reincidentiā. De hac, tempore Nouitiatûs, à censuris, irregul. & reseruatis absolutione V. citatos in Sum. Dia. l. c. & apud Lez. tract. 1. qq. Reg. Cap. 14.

Quæritur. Qui Nouitium vi, fraude, aut dolo à Religione extrahit ad quid tenetur? ℞. Non tenetur Religionem ingredi. Fernandez p. 1. c. 13. §. 1. & quidem à fortiori: cùm id de auocatione Professi teneat & refert Aragonium & Toletum. Quia vota Religionis debent esse maximè libera. Tenetur tamen saltem ex quadam æquitate alium substituere, si commode potest Bonac. to. 2. de restit. in particulari. disp. 2. quest. 1. punc. vnico. cum alijs. Dixi, vi &c. Nam si hæc abest quàmuis mala intentione faciat, ad nihil tenetur. Bonac. l. c. quia contra justitiam non peccat. Idem docet dela Cruz. supra 7. Præc q. 7, a. 2. Quàmuis autem vi aut fraude auocans Nouitium non teneatur ingredi &c. tenetur tamen aliâ viâ satisfacere. v. g. suadere Nouitio reuersum, restituere famam Religioni per detractationem ablatam, & etiam bona, quæ Religio percepisset. l. c.

Dices, S. Raymundum ob auocatum à Religione Nouitium, Religionem intrâsse. ℞. Si sic quoad motiuum, (oppositum enim probabilius putat Maluenda in annalibus O. N. de anno 1222. fol. mihi 408. secutus F. Penna) id fecit non ex obligatione, sed ex perfectionis instinctu, vt docet M. Soto & alij, apud Maluendam. V. dicta in 3. d. 11. de excommunicationibus extra B. C. D. reseruatis, excommunicatione 37. & de non reseruatis, excomm. 36.

DISTINCTIO III.

De obligatione Religiosi ad perfectionem.

NOta ex Rñdiss. D. Seruatio de Lairuelz, in Catechismo Nouitiorum. tom. 1. lect. 16. docum. 2. summam perfectionis Christianæ in his consistere, 1. in fuga omnium, quæ perfectionem impedire vel retardare possunt, quales sunt passiones inordinatæ, & affectiones ad res huius sæculi. 2. in serio omnium virtutum exercitio. Tandem in ipsa diuini amoris affectione, quâ DEO copulamur.

Dico 1. Religiosus ex vi suæ professionis tenetur tendere ad perfectionem. Non tamen tenetur ex vi suæ professionis esse perfectus in facto esse. Quia

ſtatus Religionis non eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, qualis eſt ſtatus Epiſcoporum, ſed acquirendæ. Quare non tenetur Religioſus habere paſſiones domitas, ſed ſufficit ad eas domandas conari.

Dico 2. Non tenetur Religioſus tendere ad perfectionem per omnia opera conſiliorum, ſed per illa tantùm, quæ ſunt ſecundùm Regulam ſui Ordinis, & Conſtitutiones. Quia ſolùm ad hæc ſe obligauit. Solet tamen doceri Religioſum peccare grauiter ſi intendat non facere alia bona, quam quæ Regula & Conſtitutiones præcipiunt. Quia hoc eſt ponere obicem gratiæ Spiritûs Sancti.

Ex hoc non ſequitur: Religioſum teneri ſibi perſuadere, ſe facere profectũ quotidie in perfectione. Quia hoc pugnat cum humilitate, per quam debet judicare oppoſitum.

Hæc perfectio Chriſtiana, quam profitentur Religioſi, conſiſtit principaliter in actibus charitatis erga DEVM & proximos.

Dico 3. Obligatio Religioſi tendendi ad perfectionem eſt ſub peccato mortali. Quia eſt in re grauiſſima quam vouit, & in qua conſiſtit ſubſtantia ſtatûs Religioſi. Hæc tamen obligatio non eſt diſtincta ab obligatione ſeruandi Vota & Conſtitutiones, Alias Religioſus tranſgrediens votum dupliciter peccaret. 1. contra votum. 2. contra perfectionem ad quam tenetur

Dico 4. Peccat mortaliter Religioſus contra præceptum procurandi perfectionem. 1. quando contemnit ea quibus venitur ad perfectionem. 2. quando tranſgreditur Regulam, etiamſi ad nullum peccatũ obliget, eo fine, vt impediat perfectionẽ. 3 quando firmiter ſtatuit nullo modo curare de perfectione ſui ſtatûs. 4. quando ſuo exemplo alios inducit ad deprauatã vitam vel relaxationẽ Regulæ.

Quæritur. Quando Religioſus cenſetur contemnere perfectionem ſui ſtatûs? ℞. tunc. Quando transgreditur leges eo animo, vt ſe non ſubiiciat illis, aut Superioribus præcipientibus. Vnde contemptus duo includit, & transgreſſionem præcepti, & intentionem, ſe non ſubijciendi præcepto vel ſuperioribus

Dico 5. Praua conſuetudo non ſeruandi Conſtitutiones, quæ non obligant ad culpam, vel ſolùm ad venialem, non facit ex ſe quòd transgreſſio ſit peccatum mortale. Quia actus replicati ſunt eiusdem ſpeciei, ac proinde eiusdem malitiæ. Si ergo prima transgreſſio Conſtitutionis Religioſæ fuit tantùm peccatum veniale, etiamſi millies replicetur, non fiet mortalis. Lez tom. 1. QQ. Reg c. 8. ex S. Th. & Caiet. Poteſt tamen talis conſuetudo ex alio capite fieri mortalis. In quantùm ſic operans eſt valde pernicioſus Religioni, & ſuo prauo exemplo alios ad relaxationem inducit.

Dico 6. Religioſorum peccata grauiora peccatis ſæcularium, ceteris paribus 1. Quia Religioſus maiorem tenetur habere aduertentiam ad non peccandum, & placendum DEO. 2. Propter maiorem ingratitudinem, maiora enim habet à DEO beneficia.

Dico 7. Præter obligationem tendendi ad perfectionem omnibus Religioſis communem, tenentur ſpecialiter Mendicantes, ex precepto charitatis ſaluti proximo-

ximorum subuenire, sc. confessionibus, prædicationibus, lectionibus &c. Quia finis horum, est salus animarum Et propterea sunt coadiutores Episcoporum, quorum hoc munus Ex Conc. Rothomagensi apud Burchardum l. 1. C. 88.

DISTINCTIO IV.

De obligatione trium votorum in communi, seu Professione.

NOta. Professio *significat consensum hominis promittentis obedientiam Superiori in approbata Religione.* Duplex est, nimirum tacita, *quando Nouitius defert habitum Professorum eiusdem coloris & formæ, vltra annum probationi debitum* Expressa, *quando Nouitius facit, tria vota essentialia, in manu illius, cuius est Religioni incorporare* Sam. de Lub. V Prof quoad vtramq; partem

Dico 1 Quando Nouitius est tacitè professus, potest compelli per Superiorem, vt faciat professionem expressam. E contra Nouitius tacitè professus potest instare, vt monasterium compellatur eum recipere ad professionem expressam. Nam ex professione tacita oritur hæc mutua obligatio. Sam. V. Nouiti cum Graff. Oritur etiam ex professine tacita impedimentum dirimens Matrimonium. Sam. l. c. ex Armilla.

Dico 2. Professio facta ante annum sextum decimum est nulla, Trid. Sess. 23 c. 15. in qua ætate debet includi dies super additus anni bissextilis. Quia anni computandi secundùm ritum Ecclesiæ.

Dico 3. Licèt inualidè profiteatur Nouitius infra annum probationis. validè tamen profitetur multo post, Nam licèt Trid dicat: Nouitium post annum probationis, vel ad profitendum admitti, vel dimitti debere, non proinde annullat professionem postea factam, nec circumstantiam illam temporis requirit vt formam. Sum. Dia. V. Professio cum Palao.

Dico 4. Professio facta ab excommunicato valet. Filliucius, quem sequitur Lez. to. 1. QQ. Reg. c. 2. Quia per excõmunicationem non tollitur facultas faciendi contractus cum DEO, qualis est professio. Professio etiam facta per Simoniam valet. Quia licet potuerit per Ecclesiam irritari, non tamen irritatur.

Dico 5. Si hermaphroditus, in quo vterq; sexus æqualis est profiteatur, siue inter uiros, siue inter fœminas non valet professio. Quia respectu virorum est fœmina, respectu fœminarum est vir. Henriquez, & Sanchez apud Lez l. c.

Dico 6. Professio serui sine licentia domini est inualida. Quia non est sui juris. Si tamen ingrediatur & à domino id sciente, intra triennium non repetatur, nequit transacto triennio repeti. Ratio legis sic disponentis est, quia censetur dominus tacitè consensisse Vnde professio erit valida transacto tali triennio, non verò antea. Censeo tamen professionem currere quoad antiquitatem & alia jura Religionis à die professionis sic bona fide factæ.

Dico 7. Interrogatus, an habeat v. g. lepram & occultans, vâlide profitetur, Quia hæc infirmitas non est contra essentialia Religionis. Et hoc currit de

jure

jure cõmuni, nam de jure speciali Ordinis nostri aliter dicendũ V. dist. 2. conc. 2.

Dico 8. Professio facta sub conditione (quæ validè apponitur) licet obligationem suspendat, adueniente conditione absq; alio consensu est valida. Quia ille consensus conditionatus transit in absolutum, ergo si non retractetur sufficiet ad professionem. Professio autem facta sub conditione contraria substantiæ Religionis v. g. habendi proprium est nulla.

Dico 9. Quando professio est inualida propter defectum ætatis, aut anni Nouitiatûs, neq; vt votum simplex obligat. Lez cum Caiet. & Soto. Quia Trid. Sess. 25. c. 15. ait. *Nullam inducat obligationem ad alicuius Regulæ vel Religionis vel Ordinis obseruationem, vel alios quoscunq; effectus*. Idem dicendùm de eo, qui sic profitens inualidè, expresse voluit tantum obligari ad illa vota in Religione. Qùia eo ipso declarauit se nolle obligari ad ea vt vota simplicia. In câsû autem in quo professio est nulla ex defectu acceptantis illam, v. g. propter seruitutem eius qui profitetur. Propter sexum sibi confictum, & similes causas, tunc talis professio habet vim voti simplicis. Ratio sumitur ex regula juris, c. vnico: de desponsatione impuberum in 6. nempè quando actus non valet eo modo quo fit, valet eo modo quo fieri potest. Ac proinde cùm talis Professio non valeat vt professio, valebit saltim vt simplex promissio. Nau. & Azor apud Lez.

Dico 10. Professio facta per Procuratorem, valet. Item facta ab absente. Tandem facta ab eo, qui fecit votum ingrediendi strictiorem, & professus in laxiori. Quia promissio strictioris Religionis, est commutata in solemnem professionem laxioris Ordinis.

Dico 11. Quando vnus coniugum dedit licentiam alteri Religionem ingrediendi; potest illum ante professionem reuocare. alias professio nulla defectu consensûs. Sicut ille, qui ingressus est, potest liberè ante professionem ad Matrimonium redire.

Dico 12 Religiosi facti Episcopi &c. obligantur ad tria vota. Quia sunt veri Religiosi. Soli tamen Papæ subiecti. qui est Generalissimus omnium Regularium.

Dico 13. Eiecti è Religione tenentur ad tria vota substantialia Quia sunt verè Religiosi, ut declarasse ait S. Congregationem Lez. tom. 1. qq. Reg. C. 23. & aliàs de nouo recepti non solent probare.

DISTINCTIO V.

De reclamantibus post Professionem.

Dico 1. Post Concilium Tridentinum quinq; anni determinantur Religiosis ad reclamandum supposito quòd invalidè fiat professi, quibus elapsis non possunt reclamare. Sess. 25. c. 19. Etiamsi intra quinquennium impediretur reclamare, vel ignorarent causam nullitatis suæ professionis, vt declarauit S. C. 15. Decemb. 1668. & refertur in actis Capituli Generalis, sub Reuerendissimo P. F. Io. Thoma de Rocaberti, celebrati. Romæ apud Mineruam.

Dico 2.

Dico 2. Licet ille, qui non potest reclamare habeatur pro Professo quo ad forum exterius, non tamen quo ad forum interius, si professio ob metum vel coactionem fuit nulla, & hæc adhuc durant. Nam Ecclesia nequit efficere vt consensus coactus durante coactione sit liber, qualis requiritur ad Professionem. Vnde nulla erit per se loquendo obligatio.

Dico 3. Prælati etiam transacto quinquennio possunt eijcere Religiosum, qui reticuit defectum irritantem Professionem. Quia Concilium solùm determinat quinquennium pro reclamatione Professorum.

Dico 4. Religiosus dum ei tempus non vacat ad reclamandum, quia v. g. transactum est quinquennium tenetur ratificare Professionem. Quia cùm à Religione habeatur vt professus, ipse etiam debet taliter se gerere erga ipsam, ne illam decipiat. ad quam ratificationẽ requiritur nouus consensus, cùm prior fuerit inualidus. Probabile tamen est, ex parte Religionis nouum consensum non requiri, cùm jam ex parte sua verum consensum præstiterit. Infertur ex illis, quæ doceo ex Bonac. lect. 2. dist 91. conc. 1.

Adde. Etiam requiri nouum consensum, si professio fuit nulla ex defectu ætatis, anni probationis &c. & non sufficit exercere actus Professorum, nisi hoc fine fiant. Quia cùm antecedens Professio fuerit nulla, non reuiuiscit, nisi reiteretur per nouum consensum. Scias ex Sam. de Lub. V. Nouit. & alijs, Dum ratificatur Professio, non est necessarium iterare Nouitiatum.

Dico 5. Non possunt reclamare Professi, eò quod habeant, vel habuerint tempore Professionis Parentes in extrema necessitate constitutos. Quia licèt talis Professio fuerit illicita, valida tamen, vt præter alios docet Fern. 4. p. de peccatis Nouit.

Dico 6. Superiori Regulari impedito, vel etiam nolente conuenire cum Episcopo ad audiendum reclamantem contra Professionem, Episcopus solus non potest reclamationis causam cognoscere ac definire. S. C. citata

Dico 7. Episcopus non potest Superiorem Regularem compellere, vel per censuras, vel per alias pœnas, vt conueniat cum illo ad audiendum reclamantem contra Professionem, & ad causam reclamationis cognoscendam ac definiendam S. C. citata:

APPENDIX.

De Eiectis è Religione.

NVllus in posterum, spectatis etiam quibuscunq; priuilegijs, potest eijci è Religione, nisi sit verè incorrigibilis. vt refert d claratũ à S. C. Lezana to. 1. qq. Reg. C. 23. Ad incorrigibilitatẽ autem tria requiruntur. 1. Quòd quis grauia crimina sæpiùs commiserit. 2. Quòd monitus sæpè non destiterit. 3. Quòd pœnitentiam non acceptauerit. Et hæc de jure antiquo. Nam de jure nouo talis

debet per annum in carcere in jeiunio, & pœnitentia macerari. Si tandem indurato animo in sua peruicatia perseuerauerit, debet expelli, sed ab ipso Generali tantùm. cum assensu sex Patrum. in capitulis generalibus (vt eodem jure nouo disponitur) eligendorum, facto secundùm Constitutiones Ordinis processu, & plenè probatis causis eiectionis.

Crimina propter quæ potest aliquis è religione eijci, sunt fornicatio, furtum, ebrietas scandalosa, & his similia debet tamen, vt his temporibus sequatur effectus, concurrere incorrigibilitas, cum alijs conditionibus vt supra V. to. 4. Bullarij Constitutiones SS. D. N. Vrbani n. 20.

DISTINCTIO VI.

De obligatione voti obedientiæ.

Nota Obiectum obedientiæ est præceptum Superioris. quod, vt ait Mosci: 2. p. Tyrocinij §. de superbia, ad tria se extendit. 1. ad ea quæ in Regula & Constitutionibus continentur. 2. ad ea, sine quibus contenta in Regula commodè impleri non possunt. 3. ad pœnas propter transgressionem prædictorum inflictas. Vide l. 1. d. 20. Conc. 4.

Dico 1. Tenetur Religiosus obedire, etiam in illis quæ implicitè tantùm continentur in Regula & Constitutionibus, qualia sunt illa, quæ sunt necessaria ad Regulæ & Constitutionum obseruantiam. Quia eo ipso ad hæc se obligauit quod fecerit Professionem secundum Regulam.

Dico 2. Si præcipiat Superior subdito jeiunare aliquâ die, quâ non tenetur ex Regula, vel aliam corporis mortificationem subire, in pœnam delicti commissi, vel in cautelam, ne in aliud incidat, tenetur obedire. Quia hoc totum pertinet & est necessarium ad Regulæ & Constitutionum obseruantiam.

Dico 3. Tenetur subditus obedire Prælato præcipienti præcepta communia omnibus Christianis, vel etiam omnibus Ecclesiasticis, aut Religiosis. Vt audire sacrum diebus festis, dicere officium diuinum. &c. Quia dato quòd hæc non contineantur in Regula & constitutionibus, sunt tamen quædam præambula necessaria ad regulam & Constitutiones. Ita Caiet.

Dico 4. Tenetur Religiòsus obedire Prælato jubenti, vt eat ad aliquem locum, in quo non adeò est bona aëris temperies. Quia hoc est conforme, & necessarium ad locorum conseruationem. Item tenetur obedire præcipienti vt accipiat Prælaturam vel officium aliquod etiamsi dubitet de sua sufficientia.

Dico 5. Tempore pestis, licèt immineat periculum mortis, tenetur subditus obedire Superiori præcipienti, vt ministret infirmis Religiosis suæ Religionis. Quia Religiosos præstare sibi huiusmodi ad inuicem ministeria ad conseruationem Religionis pertinet. Non tamen tenetur obedire vt ministret extraneis, Quia hoc (maximè cum periculo vitæ) est supra Regulam. Lez. to. 1. qq. Regulari-

gularium c. 4. N. 19. Aduerte si deessent Parochi obligati inseruire peste infectis, tenerentur subditi obedire Superioribus id præcipientibus. Quia Religosi v. g. Mendicantes. & alij, quorum institutum est Saluti proximorum inseruire, sunt Coadiutores Episcoporum & Parochorum in salute proximorum procuranda, & ob id eleëmosynis fidelium sustentantur.

Dico 6. Religiosi hospites & peregrini non obligantur specialibus præceptis Prouinciæ vel Conventûs. Quia hæc tantum ponuntur pro subditis. In hoc tamen debent attendi Constitutiones & consuetudo Ordinis. Ad leges verò, secundûm Suarez to. 4. de Rel. t. 8. l. 2. c. 8 Religiosi hospites & peregrini tenentur, sed in foro exteriori tantùm. Si vero scandalum timeretur etiam obligarentur in foro interiori & conscientiæ

Dico 7. Religiosus delinquens non tenetur seipsum prodere, etiam ad quodcunq; præceptum suorum Superiorum, quando ita est occùltus, vt nulla infamiâ laboret. Colligitur ex Caiet. 22 q. 33. a. 7. & alijs, Secus dicendum est, quando præcedit aliqua infamia, quia tunc juridicè interrogatur. Sotus, 5. de Ius. q. 6. a. 1. Conc. 1, & alij.

Dico 8. Etiamsi Religiosus dubitet, an res quæ illi præcipitur. sit licita, tenetur obedire. dummodo non videat, esse euidenter illicitam. Ratio sumitur ex quadam doctrina. D. Aug. l. 22. contra Faustum. c. 74. sc: Quod Regi etiam iniquo, indicenti bellum sit obediendum à subditis, dum non constat esse iniustum. Ex quo sequitur idem dicendum de obedientia Religiosi erga Prælatum. Idem dicendum quando subditus dubitat rem præceptam excedere Regulam & limites potestatis Superioris, aut Prælatum non esse legitimè electum vel confirmatum. Item. Quando subditus judicat probabiliter, esse malum id quod Superior præcepit. Dum enim hoc ei non constat certò, tenetur obedire. Quia sic esset confusio in Religionibus, si quis prætextu opinionis probabilis nollet Superiori obedire.

Dico 9. Quando Prælatus præcipit aliquid contra vel supra Regulam, si tamen constat probabiliter, immo etiamsi res sit speculatiuè dubia, quod possit dispensare, tenetur Religiosus obedire. Quia in hoc casu debet credere quòd dispenset in Regula. Item. Quando dubitat Religiosus, an prælatus ex justa causa dispenset, tenetur se ei conformare. Ita Nau. Ex quo colliges, quando Religiosus dubitat an teneatur jeiunare, dicere officium diuinum, tenetur obedire ne jeiunet. &c. Sotus, Immo generaliter loquendo, subditi debent stare determinationibus suorum Superiorum in dubijs conscientiam tangentibus.

Q V Æ S I T V M.

V. Omne quod iubetur sub præcepto obedientiæ, teneatur Religiosus exequi sub mortali?

℟. SI quod sic præcipitur est leuis momenti, v.g. præcipio tibi sub virtute obedien-

bedientiæ tollere festucam è solo. non est peccatum mortale id omittere. Fern. 4. p. de pecc Rel. ex Caietano. At verò si contraueniatur ex contemptu putant aliqui esse mortale. Sed Sum. Dia. V. præceptum cum Caiet. quoad legem & legislatorem humanum contrarium tenet. Quia contemni possunt non absolutè sed quatenus sunt in materia leui. Idem tenet Ant. à Spiritu S. in directorio Reg. de obligationibus Rel. cum alijs. Sed in O. N. contemptus quantumcunq; minimæ constitutionis inducit mortale, Ita in prologo Constit. textu 6. littera N. Scias. Si res ex suo genere leuis sub formali præcepto prohibeatur in communi, v. g ne vnus alterius cameram ingrediatur, erit peccatum mortale contra facere V. dicta in 3. dist. 7. Cap. 4.

DISTINCTIO VII.

De obligatione voti Castitatis.

DIco 1. Per votum castitatis debet Religiosus abstinere ab omni actu venereo, siue cogitatione siue opere. Debet etiam abstinere ab aspectibus tactibus, literarum vel munusculorum missionibus, frequentibus accessibus & locutionibus cum fœminis. Quia sicut ista in sæcularibus sunt contra castitatem, ita in Religiosis contra votum castitatis.

Dico 2. Omnis actus Venereus qui in sæcularibus extra Matrimonium est contra castitatem, in Religiosis est Sacrilegium. Eò quod ratione voti opponatur virtuti Religionis. Hæc malitia Sacrilegij est mortalis in illis actibus, in quibus malitia libidinis in sæcularibus est mortalis, venialis verò in quibus illa est venialis Quia votum castitatis non immutat obligationem juris naturalis, sed solùm addit circumstantiam sacrilegij. Lessius. 2. de Iust c. 41 dist: 9 & Sanc. l 5. in Dec. c. 6. Contingere tamen potest quod actus Venereus, qui in sæcularibus solùm est venialis v. g verbum inhonestum &c. sit mortalis in Religiosis ratione scandali.

Dico 3. Per lapsum carnis voluntarium opere cōsummatum (qui alias potest reseruari à Superioribus ex decreto Clem: VIII) intelligitur etiam secundùm Suarez to. 4. de Relig. tr 8 l 2. C. 18 voluntaria pollutio. Nam est lapsus carnis voluntarius in sua specie opere consummatus, licèt respectiuè ad copulam non sit consummatus Non tamen per lapsum carnis voluntarium opere consummatum intelliguntur tactus impudici, oscula literæ, munuscula. Quia hi actus licet sint contra castitatem, & peccatum mortale, non tamen in sua specie sunt consummati.

Dico 4 Qui virginem DEO sacram cognouit, Qui per vim stuprum intulit. Qui incestum commisit, jure Pontificio pœna depositionis punitur. Adulter verò, eadem pœnâ, sed tantùm puniendus refertur à Lez. t. 1. cap. 5.

DISTIN-

DISTINCTIO VIII.

De obligatione voti paupertatis.

Nota, Paupertas Religiosa est voluntaria rerum temporalium abdicatio. Priuat dominio cuiuscunq; rei temporalis. Est autem dominium, jus perfectè disponendi de re. Secundò priuat vsu fructus hoc est, jure vtendi & fruendi aliena re, salua illius substantia. Non tamen priuat vsu facti. Quia hic non opponitur paupertati. Cùm constet seruos, qui nihil proprij habent, habere vsum facti respectu vestium, ciborum &c.

Dico 1. Possunt Religiosi habere dominium bonorum spiritualium seu internorum animi. Item aliquarum rerum pretio non æstimabilium, v. g. reliquiarum. Hinc si accipiant jura Ecclesiastica, v. g. facultatem excommunicandi, absoluendi, sine licentia, non sunt proprietarij. Secus dicendum de jure moderandi cathedras. Quia hoc est pecunia æstimabile.

Dico 2. Communitas Religiosorum potest habere dominium rerum temporalium. Excipe Capucinos & Minores de Obseruantia. Vnde dominium rerum, quas hi posident pertinet ad Papam.

Dico 3. Concilium Trid. Sess: 25 cap. 3. & multi Pontifices praecipiunt certum numerum personarum in monasterijs &c. sustentandum. Ne propter multitudinem cogantur Religiosi vel vitam communem deserere, vel à monasterijs abesse, vel plura stipendia Missarum quàm illa quibus satisfacere possunt recipere, vel cum sæcularibus implicari & nimium rebus temporalibus acquirendis occupari. Hoc præceptum, quia est de re graui, per se loquendo, obligat sub mortali.

Dico 4. Religiosi non possunt habere superfluum. Quia votum paupertatis solùm ea concedit sine quibus vita transigi non potest. Nec prælati in hoc licentiam concedere possunt, immò concedendo peccant moraliter. Nam cùm tantùm sint dispensatores, debent prudenter suam potestatem exercere, vsus autem superfluus, non est secundùm prudentiam. Docet Lez. & benè, peccare peccato proprietatis tam Religiosos habẽtes superflua, licèt cum licentia, quam Superiores hanc licentiam concedentes. Quia sicut Religiosi obligantur ex voto paupertatis non habere nisi necessaria secundùm suum statum, sic & Prælati non dispensare nisi necessaria secundùm eundem statum. Prælato autem dicenti, se posse concedere superflua, non est credendum vt declarauit S. C. apud Quarantam. Quod si non constat de superfluitate, standum judicio Superioris.

Ex quo sequitur, habere Religiosum picturas sumptuosas, tapetes mundanos, vasa argentea, scriptoriola curiosa & alias res pretiosas, est mortale, sumendo etiam hæc diuisiuè. Quia sunt statui Religioso valdè superflua. Patet etiam ex Trid Sess: 25. c. 2. *Mobilium verò vsum ita Superiores permittãt, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt conueniat.* Nec Superior hæc concedere va-

let. Quia sunt contra votum paupertatis. Aduerte, in taxatione rerum necessariarum debent attendi circumstantiæ temporis, loci, officij, personæ, item vsus approbatus inter prudentes & timoratos Religiosos.

Quæsitum fuit in S. Congregatione, an Superiore requisito, necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam vel inuito eo, illa sibi comparare vel retinere? Responsum fuit non licere, hoc tamen intellige de rebus non simpliciter necessarijs.

Dico 5. Spectatâ mente Trid. non licet Religioso habere census & redditus annuos. Sed Tridentinum propter multas necessitates Religiosorum, quibus ex bonis communitatis non subuenitur juxta suum statum, non est in tanto rigore vbiq; receptum. Et idem de similibus aliquorum Pontificum decretis. Ideo Religiosi habentes census & redditus annuos non peccant. Lud. Lopez & alij apud de la. Cruz, de statu Religiosorum. l. 1. cap. 3, dist. 2.

Aduerte. pecunias ex quacunq; causa prouenientes deponendâs ad commune depositum intra viginti quatuor horas, ex mandato Vrb VIII. Anno 1627. Præter hoc tales pecuniæ quantùm fieri potest debent exponi ab ipsis Officialibus ad hoc deputatis, quàmuis in vsus fratrum. Hoc dictum probat Lez. jure.

Adde conclusioni saltim in hoc decretum S. Congregationis relatum â Lez. tom 1. cap 6. debet esse in vsu. sc vt Superiores nullo modo concedant fratribus *bona stabilia, v.g. ad vsum fructum, vel vsum administrationem, aut commendam, depositi vel custodiæ nomine.*

Dico 6. Quando v. g. Prouincialis aliquid concedit Religioso, non debet id occultare coram Priore. Quia credendum est Prouincialem non velle præiudicare Priori, sed seruare jura Religionis. Nisi aliud de mente Prouincialis constet.

Dico 7. Ex vi voti paupertatis obligantur Religiosi, ad non recipiendum aliquid à quocunq; sine licentia Superiorum, ita vt sine tali licentia aliquid accipientes peccent peccato proprietatis. Quia accipere aliquid independenter à voluntate Superioris est actus proprietatis.

Aduerte ex Lud. Lopez quem sequitur de la C. l. c. duplicem esse licentiam, aliam explicitam, aliam implicitam. Implicita dupliciter fit. 1. Quando subditus certò scit, si petat licentiam Prælatus non negabit, sed etiam scit Prælatum velle, vt nihil fiat sine eius licentia expressa. Talis licentia implicita non sufficit, Alias Religiosus posset sine licentia expressa exire extra conuentum, quod nullus dicet. Cum sciat si petet, licentia non negabitur. 2. Licentia implicita est quando per signa probabilia credit subditus, si aliquid faciet v. g. emet librum, Prælato placebit. Talis implicita in rebus frequentiùs inter Religiosos occurrentibus, sufficit.

Dico 8. Religiosus rem alteri ad vsum concessam accipiens v. g. librum &c. peccat peccato proprietatis. Quia hoc facit sine omni prorsus licentia. A fortiori peccat peccato proprietatis, qui Missarum stipendia surripit. Item, quando dat v. g. fœminæ propter finem inhonestum.

Dico 9.

Dico 9 Quidquid Monachus acquirit, monasterio acquirit. Habetur in jure. Quòd si monasterium non est capax dominij, tunc hoc acquiritur Papæ, & vsus monasterio. Debita tamen orta ex delicto professi non debent solui à monasterio nisi aliquid secum attulisset. Ita Nau. & Molina, quos sequitur Lez. tom. 1. c. 2. Sed de his videantur particularia, tum nostræ tum aliarum Religionum jura.

Dico 10. Religiosi possunt succedere in bonis temporalibus, vt hæredes. Quia hæc non acquirunt sibi sed monasterio. Excipiuntur Minores de Obseruantia. quibus tamen potest aliquid legari. Aduerte, bona Religiosi, qui propter dolum & cupiditatem Prælati ad hæc inhiantis emisit professionem, non pertinent ad Religionem, sed ad hæredes, vt statuitur in jure.

D 11. Religiosus sine legitima causa expendens eleëmosynam, peccat quidem grauiter, non tamen tenetur ad restitutionem. Gab à S Vinc. V. Pauper. Eò quòd non peccet contra iustitiam. Cùm nullum pactum ineat cum dantibus eleëmosynam.

Dico 12. Etiam peccat peccato proprietatis Religiosus, quando sine licentia permutat, mutuat vel accomodat, vel concessa ad certos vsus in alios conuertit. Item quando non adhibet diligentiã in cõseruandis rebus. Quia non cõseruare res sicut alij communiter cõseruant, est contra voluntatem Superioris cõsumere.

Dico 13. Si Religiosus, sæculari volenti sibi dare aliquam rem, dicat, Rogo des eam meo consanguineo. Non peccat peccato proprietatis secundùm Sanchez & Lez licèt hoc faciat sine vlla licentia. Quia in tali casu nihil donat vel expendit. Potest tamen peccare contra charitatem.

Dico 14 Religiosi ludentes gratia honestæ recreationis pro modica pecunia de licentia Superioris non peccant contra paupertatem. Secus esset si talis lusus esset prohibitus. Quia tunc nec pro modica pecunia esset ludendum, etiam de licentia Prælati, cum non posset eam concedere.

Dico 15. Ludens cum Religioso & lucrans vltra quantitatem, vltra quã Religiosus non potuit ludere, vel Prælatus licentiam concedere, tenetur ad restitutionem illius excesûs. Religiosus etiam ludens vltra debitam quãtitatem, quia vel non habet licentiam vel Prælatus eam in tali quantitate non potest concedere, vel quia ludus est ei prohibitus, si contingat tunc lucrari, non potest id accipere, & accipiendo tenetur ad restitutionẽ excesûs. Quia qui non potest perdere non potest etiam lucrari. Nisi sæcularis sciret hoc impedimentũ, & tamen luderet cum Religioso. Tunc Religiosus posset quidem lucrari. non tam sibi quàm monasterio, non tamen perdere. Sibi enim deberet imputare sæcularis, in tali casu ludendo.

Dico 16. Religiosi neq; per modum eleëmosynæ possunt dare aliquid sine licentia. Quando tamen cum licentia absunt à monasterio, possunt ex his quæ sibi sunt donata, moderatas facere eleëmosynas. Quia adhoc præsumitur tacita licentia. Medina & Ledesma apud Lez l. c. Idem dicendũ de his, quæ sibi à monasterio ad sustentationem tribuuntur. Valentia & Sanchez apud eundem. De his enim possunt aliquid sibi subtrahere, & modicas eleëmosynas facere. Superiores autem nomine monasteriorum tenentur eleëmosynas dare.

Dico

Dico 17. Consuetudo aliquid accipiendi, retinendi, vel expendendi sine licentia expressa, quando est recepta, & durat consentientibus Superioribus excusat Religiosum. Quia habet vim licentiæ. Secus esset si talis consuetudo introducta esset contra voluntatem Superiorum.

Dico 18. Taciturnitas Superioris videntis Religiosum aliquid accipere, retinere vel dare, sine licentia, & non contradicentis, non excusat Religiosum, nisi quando ex alijs signis constat illam taciturnitatem esse virtualem approbationem. Quia talis taciturnitas sæpè oritur ex pusillanimitate Superioris, vel ex proteruia subditi.

Dico 19. Licentia requisita vt Religiosus aliquid possideat &c. non debet esse coacta, vel precibus importunis, fauoribus metu vel dolo extorta. Similiter licentia debet esse legitima, hoc est, non ad malos vsus. Quia eam Superior nequit concedere. Eius enim potestas non est ad destructionem.

Dico 20. Materia, de qua est dubium, an sit sufficiens ad furtum mortale, non est sufficiens ad peccatum mortale proprietatis. Cum Religiosi sint vt filij. Cùm filijs autem non tam rigorosè proceditur.

Aduerte. Superiores justè quandoq; reseruant damnum vnius floreni Polonici Communitati factum. Nam hæc materia licèt non sit sufficiens in particulari, in communi tamen quandoq; est sufficiens. Cùm sic Conuentus notabiliter damnificetur, dum hic & ille rapit. V. dicta in 3. d. 7.

Dico 21 Religiosi successiuè minima accipientes, expendentes, &c. sine licentia, peccant mortaliter contra votum paupertatis, dum peruenitur ad notabilem quantitatem. Non intelligitur conclusio de rebus minimis comestibilibus aut potabilibus. Rebellus & Graffis. Quia in his non tam faciliter Prælati sunt inuiti. Nisi Religiosus his foueret personam inhonestam. Tunc enim quando perueniretur ad notabilem quantitatem, peccaretur contrà paupertatem. Quia non posset præsumi licentia. Non procedit etiam conclusio quando actus non sunt moraliter vniti.

Dico 22. Religiosi vitam communem ex certis causis obseruare non valentes, debent esse parati ad recipiendam reformationem, & introductionem vitæ communis, si de nouo restauretur. Nec possunt sub peccato mortali resistere. Quia cum vita communis obliget omnes sub peccato mortali nec ab illius obseruantia excusari possunt nisi quia Prælati non prouident de necessarijs, si sufficienter prouident, nulla superest excusatio. Et hæc est communis sententia Theologorum apud Lez. to 1. qq. Regularium ca. 6. Deducitur etiam ex Trid. Sess. 25. cap. 2. ex Clem. VIII. in decretis pro reform. Reg. Quod totum innouatum est à S. Congreg. authoritate Vrbani VIII.



QVÆSITVM.

Quæ sunt pœnæ Proprietariorum de iure communi.

HÆ. 1. Religiosus tempore mortis habens proprium debet sepeliri in sterquilinio, saltim cum parte pecuniæ. Si est in loco sacro sepultus, inde extrahendus, nisi timeatur graue scandalum. De hoc autem quod sit mortuus proprietarius, debet esse certitudo moralis. quæ desumi potest ex præterita vita. 2. Si Religiosus deprehensus vel conuictus fuerit de hoc peccato, biennio actiuâ & passiuâ voce sit priuatus. 3. à communione altaris debet remoueri. 4. debet incarcerari. Hæ pœnæ procedunt contra retinentes aliquid.

DISTINCTIO IX.

De obligatione Beneficiariorum.

NOta Beneficium est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, Sacerdoti aut Clerico collatum ob ministerium Ecclesiasticum Fructus Ecclesiastici in quatuor partes diuiduntur. 1. cedit Episcopo. 2. fabricæ Ecclesiæ. 3. Clericis. 4 pauperibus.

Nota 2. Beneficium sæculare diuiditur in simplex & duplex. Primum est, quod non habet aliquam jurisdictionem, prærogatiuam, neq; administrationem, sed tantûm seruitium in Ecclesia, cantum in choro, Missam ad altare. Secundûm, Quod præter hæc habet aliquam juris qualitatem. sc. jurisdictionem, prærogatiuam & rerum Ecclesiasticarum administrationem. Beneficia habentia qualitates sunt, dignitas, personatus, officium, cura animarum &c. Dignitas propriè est, per quam Beneficiarius habet præeminentiam cum jurisdictione in Clericos. Personatus, per quem beneficiarius habet eminentiam & gradum honorificum. v. g. in choro sedem superiorem, in collegio locum, absq; jurisdictione. Officium per quod Beneficiarius habet administrationem rerum Ecclesiasticarum absquè jurisdictione.

Decanatus Præpositura, Archidiaconatus abbatia & Priorarus claustralis sunt Dignitates: Cantoria & similes, sunt Personatus. Sindicatus, Officium Sacristæ &c. sunt Officia.

Dico 1. Peccat mortaliter illegitimus qui sine dispensatione Papæ beneficium curatum accepit, aut simplex sine dispensatione saltem Episcopi. Addit Sam. de Lub. V. Benef. & acceptio est nulla. Peccat etiam mortaliter, qui suscipit beneficium curatum ante 25 annum incœptum, sine dispensatione Papæ. Addit Mosc. p. 8 Elem. ad S. Confess, collationem esse nullam. Idem incurrit recipiens beneficium non habendo primam tonsuram. Adde ex DD, collationem esse nullam.

Ex his collige ad recipiendum beneficium requiri. Vt habeat saltim primam tonsuram. Vt sit legitimi thori. Vt sit legitimæ ætatis. Bonorum morum, sufficientis doctrinæ. Careat censurà & irregularitate.

Dico 2. Qui habità Ecclesià Parochiali non promouetur ad Sacerdotium intra annum, ipso facto perdit eam, & tenetur ad restitutionem fructuum post illum annum percipiendorum.

Dico 3. Qui suscipit beneficium curatum, sine intentione Sacerdotium suscipiendi, præter peccatum mortale obligatur restituere omnes fructus, nisi mutet voluntatem & eodem anno fiat Sacerdos.

Dico 4. Duæ Ecclesiæ Parochiales, officia personatus & dignitates. Item duo Canonicatus, vel duo sacellaniæ ad eandem frunctionem concurrentes in eadem Ecclesia, quæ dicuntur beneficia vniformia sub eodem tecto, adeò nequeunt simul possideri, vt habito secundo beneficio, omnino perdatur prius beneficium, sine vlla declaratione.

Canonicatus verò simplices in diuersis Ecclesijs, & alia simplicia beneficia, siue requirant residentiam siue non, immo & sub eodem tecto difformia, non possunt quidem sine peccato mortali ab eodm retineri, attamen si quis obtinet secundùm, non hoc ipso vacat prius.

Dico 5. Si sit justa causa possunt plura beneficia cum dispensatione haberi. Iusta autem causa dispensandi est manifesta necessitas, vel magna vtilitas, quandoq; etiam prærogatiuæ & merita personæ, modò caueatur ne pluralitas beneficiorum ad priuatum tantùm commodum referatur. Dixi. *si sit iusta causa.* Alias plura habens beneficia, non est tutus in conscientia.

Dico 6. Potest dari casus. in quo plura beneficia sine dispensatione licitè habentur. 1. Si beneficium quòd habetur, siue curatum, siue simplex sit valde tenue, ita vt non sufficiat ad congruam sustentationem Beneficiari. In tali ergo casu licitum est aliud, sed simplex, & vnum tantùm habere; Dummodò hoc alterum residentiam, quocunq; modo, hoc est siue jure communi, siue consuetudine, aut statuto, siue etiam fundatione, non requirat. 2. quando vnum datur in titulum, aliud in cõmendam non perpetuam, sed ad aliquot menses 3. Quando beneficium est alteri annexum, vel incorporatum.

Quæritur. Quod beneficium censetur sufficiens. ℞. quod Beneficiario & familiæ sufficit, etiam ad casus accidentales, v. g. morbos. Intra familiam Parentes & consanguinei numerantur. Si sit necessarium eos ali. Præterea quod sufficit ad hospites & peregrinos excipiendos & Episcopalia jura persoluenda. Potest autem hic haberi ratio nobilitatis, scientiæ &c. cum respectu tamen ad Ecclesiæ vtilitatem, & cauendum est ne nimium nobis indulgeamus.

Dico 7. Habentes Parochiales Ecclesias, obtinentes Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel portiones, in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesijs, residere tenentur. Quantum ad alios simplices Beneficiarios hæc obligatio non currit, dummodo substituant Vicarios. Verendum tamen est ne sit abusus & contra intentionem Fundatorum, præcipuè in beneficijs pinguibus.

Dico 8. Parochus tenetur munus Parochiale exercere per seipsum. Aliquando tamen vti potest alterius Sacerdotis operâ in animarum cura administranda. Probabile est Parochum non residentem in Parochia, sed omnia munera per alium exercentem, posse fructus percipere & retinere, quoties itâ per Capellanum satisfacit, vt oues nullum graue detrimentum inde habeant

Dico 9. Habens Ecclesiam Parochialem in qua Vicarium perpetuum legitimè institui obtinuit, non tenetur eo viuente residere, modò tota cura animarum translata sit in coadiutorem, abdicata à Parocho administratione.

Dico 10. Non Peccat mortaliter Parochus, si per bimestre absit, ex iusta causa, quàmuis sine licentia Episcopi, sine damno tamen ouium, & substituendo in sui locum alium idoneum ministrum.

Dico. 11. Habens beneficium curatum, si non resideat, incurrit priuationem fructuum pro rata absentiæ, etiam ante vllam judicis sententiam. Trid. Sess. 23. cap. 1. Quod si per alium deseruiat potest retinere fructus Nam qui per alium facit per se ipsum facere censetur, Quid autem dicendum, de habentibus dignitates, Canonicatus, præbendas vel portiones in Ecclesijs Cathedralibus vel Collegiatis, si intra annum vltra tres menses absint. V. Trid. Sess. 24. cap 12. de Reform.

Dico 12. Qui ex legitima causa abest, non lucratur distributiones secũdùm Trid. nisi absit in negotio Ecclesiæ, & ex commisione Capituli, vel omnino inuoluntariè v. g propter morbum.

Dico 13. A residentia excusat justa causa cum licentia. In particulari autem: 1. obsequium Episcopi ad Ecclesiæ vtilitatem 2. Lectura Theologiæ vel Iuris Canonici. Item lectura literarum humaniorum, & Philosophiæ, sed hæ duæ postremæ lecturæ requirunt licentiam Episcopi, nisi consuetudo contrarium habeat. 3. Studium Theologiæ Iuris Canonici, etiam per quinq; annos. 4. Iusta & honesta cõsuetudo, vbi Trid. non est acceptatum. Alias non excusat. In Ecclesijs Collegiatis non insignibus excusa â non residentia consuetudo immemorabilis, & redditus tenues, qui Canonicos alere non possunt, refert declaratum à S. C. Goffar in Compendio Bonac V. Residentia.

Dico 14. Beneficiarij consanguineos jurare possunt, non vt ditiores fiant, sed ne egeant. Ex his verò quæ sibi suisq; supersunt, pauperibus vel pijs operibus sub p m. erogare tenentur. Peccat ergo mortaliter Beneficiarius, si de redditibus Ecclesiasticis notabilem partem malè impendit, & secundùm Nauar. restituere obligatur, quod tamen alij negant, cùm sit dominus talium redditùum, sed à peccato non excusant,

Dico 15. Beneficiarius potest facere testamentum de bonis hæreditarijs arte doctrinà vel donatione acquisitis, secus de fructibus beneficij. de his tamen ex consuetudine multis in locis recepta, possunt absq; vlla licentia, (sed ad opera pia tantum) testari. Quare excommuni sententia peccant mortaliter, qui fructus beneficij relinquunt consanguineis diuitibus.

QVÆSITVM.

Peccat ne grauiter, qui relicto digniore, beneficium dat digno.

℟. QVòd sic. Patet ex determinatione Innoc. XI. Damnantis propositionem 47. Aliqui intelligunt resolutionem de beneficio curato. Aliqui loquuntur absolutè de quauis electione digni, relicto digniore. Hoc est certiùs si fiat oppositio dignior semper præferendus, obligatio sub peccato mortali eligendi digniorem propter eandem rationem extenditur ad Regulares, & alias S. Th. 22. quæst: 63. art. 2. ad 3. vniuersaliter loquitur.

Aduerte. Maior dignitas non sumitur, ex maiori authoritate, eruditione, pietate, sed peritia in administrando officio, attentis circumstancijs loci, temporis. personarum &c. Et hæc loquendo de digniore & digno. Nam quando concurrentium, seu petentium beneficium, par est dignitas & æquale meritum, si ex aliqua causa, v. g. amicitiæ, cognationis, vel societatis, alter præfertur, non peccat elector. modo absit candalum.

DISTINCTIO X.

De nonnullis alijs obligationibus Clericorum.

NOta. Nomine Clericorum in lata significatione veniunt etiam Clerici primæ tonsuræ. In stricta tamen significatione non comprehenduntur Clerici in dignitate constituti v. g. Episcopi, &c. Arm. V. Clericus, immò nec Regulares. Gab. à S. V. V. Cle. & propterea in materia odiosa præfati non veniunt nomine Clericorum.

Dico 1. Si illegitimus suscipiat minores Ordines sine dispensatione Episcopi, & maiores sine dispensatione Papæ, peccat grauiter.

Dico 2. Qui post commissum delictum efficitur Clericus. non punitur quo ad personam nisi à Iudice Ecclesiastico. S. Cong. 7. Decembr. 1631.

Dico 3. Clericus delinquens in Monasterio Regularium, non potest secundùm aliquos ab Episcopo puniri, cum censeatur delinquere extra territorium. In propria Ecclesia non gaudet immunitate. Excommunicatus tenetur officium diuinum recitare. Alias pœna esset ei fauorabilis. Tempore belli defensiui compelli potest ad murorum custodiam. Gab. à S. V. quo ad omnes partes l. c.

Dico 4. Clericis prohibetur venatio turbulenta, permittitur autem modesta, in qua nec clamores, nec scurrilia fiunt. Quando enim Prælati vel Clerici intersunt, omnia modestè. honestè, & grauiter geri oportet. Et hac distinctione satisfit antiquis Canonibus prohibentibus Episcopis & Clericis venationes. Lo-

richius

richius in Thesauro V. Venatio. Est autem modesta & non turbulenta venatio, dum Clericus cum vno cane, solus cum sclopeto, causâ recreationis venatur Gab. à S. Vincen. l. c.

Dico 5. Non licet Cle[illegible] exercere mercaturam per seipsos. Immò Clericis negotiatoribus, apponuntur graues pœnæ. Vt excommunicentur. Vt suspendâtur ab officio Ecclesiastico. Item imponitur eis depositionis pœna. Tandem jubetur, vt explodantur à Clericali consortio. Textus pro his pœnis v. apud Fer. 4. p. V. Clericorum peccata. Vt tamen has pœnas incurrant moneri debent, ait Gab. l. c. sicut etiam Clericus concubinarius vt pœnas incurrat, moneri debet. Ita Idem. Sequitur ergo ex probationibus insinuatis Clericum mercaturam exercendo peccare mortaliter. Si per seipsum ratione lucri, vt alij mercatores, exerceat.

Aduerte. Mercatura Clericis prohibita ea sola est, in qua res emitur, vt eadem absq; alio artificio adhibito vendatur cum lucro. Fer. l. c. cum Comitolo. Ideò secundùm Fer. non est mercatura emere animalia macra, vt pinguia vendantur, & alia similia in quibus adhibetur industria & artificium ementis ad vendicionem cum lucro. Non est etiam illicitum emere vinum nouum & seruare per annos, vt tanquam melius cum lucro vendatûr. Sylu. V. Cle.

Dico 6. Licet Clericis exercere mercaturam per alios, vt hi principaliter mercaturam exerceant. Quare si Clericus DEO vacet, & solum alicui tribuat pecunias vt mercaturam exerceat, amoto scandalo potest lucrum reportare. Conceditur. Clericis tale honestum lucrum in Conc. Agathensi relato cap. 1. de Cel. Miss. V. Sam. de Lub. v. Bulla C. D. casu 18.

Dico 7. Licet Clericis honestas artes per seipsos exercere. Nam Diuus Petrus & alij Apostoli piscatoriam artem non deseruerunt.

DISTINCTIO XI.

De obligatione Parentum.

Dico 1. Parentes obligantur instruere filios in his quæ ad honestatem morum notitiam fidei ac Religionis Christianæ pertinent. Item tenentur Parentes prouidere filijs de vitæ necessarijs.

Dico 2. Mater siue adultera, siue non, tenetur alere filium vsq; ad tertium annum, non solùm in casu diuortij, sed absolutè, & Pater post triennium. Mater, non habens justam excusationem proprio lacte lactandi filium, peccat solùm venialiter si per seipsam non lactet, peccaret tamen mortâliter non quærendo bonam nutricem.

Dico 3. Mater adultera si non consensit in adulterium, sed vi, metu aut fraude violata est, non tenetur alere filiûm pro primo triennio, sed ad id tenetur adulter. Quod si cõsensit in adulteriûm, pro primo triennio tenebitur adultera, pro

reliquo adulter. Sam, Lub. cum Rodriq; V. filius ſpurius mittatur ad hoſpitale, ſola mater tenetur ad expenſas pro primo triennio, pro reliquo adulter.

Dico 4. Peccant Parentes, ſi filios poſt emi[illegible] a continentiæ in ætate deliberandi, vi aut dolo, reuocant ab eorum in[illegible]ne, vel conſulunt, aut cogunt eos ad coniugium eligendũ. Scias quòd Eugenius IV Bullâ 7. relatâ in compendio. Manuelis Rodriq. excommunicet impedientes intrare Religionem, aut eos à Religione extrahentes. Sed id per communicationem cum P.P. Benedictinis. Scias, Si Priuilegium P, P. Benedictinis, ſc. Congregationis Mont. Oleueti à Iulio 2do. conceſſum ſit diſtinctum à Priuilegio Eugenij 4ti. quod de la Gruz. ſupra 7. præceptum q. 7. a. 2. dub. 2. ad determinatam Religionem non reſtringit, non eſt propriè communicatio. V. citatum Rodriquez. Scias etiam dictum Iulij ſecundi priuilegium eſſe contra præſumentes. Tandem ſcias, communicationem priuilegiorũ tantùm ad eos Religioſos extendi, quibus cōceſſum.

Dico 5. Horret Natura vt Parentes puniant filios morte vel mutilatione. Vnde nec Adam potuit Gaimum occidere, qui mortem meruit vt homicida. Licet enin fuerit Dominus orbis vniuerſi, ſed non judex & princeps in filios. Sam. de Lub. l. c. ex Salon.

Dico 6. Parentes tenentur dotare filias ſpurias. Gab. à S. Vinc. V. Parentes, & Arm. V. Filius ex Panorm. Filijs autem ſpurijs, non tenentur bona, tanquam hæreditatem, relinquere, immò nec poſſunt. Quia ſic in iure diſponitur. Niſi alimenta. Spurij (vt refert Gab. à S. Vinc. V. Filius) ſunt, nati ex adulterio, aut conſanguinea, aut meretrice, aut vago concubitu, qui Patrem nominare neſciunt, aut ex habentibus plures concubinas, aut ex Religioſo, vel Clerico in ſacris oonſtituto. Nam qui ex ſoluto & ſoluta, ſeu ex concubina in domo retenta vt vxore, nati, ſpurij non ſunt, ſed naturales tantum, ait Arm. V. Filius, & ſpurios vocat natos ex damnato coitu.

DISTINCTIO XII.

De obligatione Filiorum.

DIco 1. Filius accuſans Patrem in judicio, vel teſtem contra eum agens, grauiter peccat, & poteſt à patre exhæreditari, licet Pater ob crimen commiſſum, ſecundùm leges puniendus eſſet pœnâ mortis, amiſſionis bonorum, &c. Sam. de Lub. l. c. Duo caſus excipiuntur. 1. Si crimen læſæ maieſtatis commiſit. Et ſic ſi eſt proditor Reipublicæ, aut machinatur principi malum, debet quidem eum obſecrare filius, ne id faciat, dum tamen non proficit, accuſare. 2. Si hæreſim, non quamcunq; ſed pernitioſam & aliorum infectiuam incurrit. Sam. l. c. cum Graff.

Dico 2. Filius oretenus tantùm & non ex animo maledicens Parentibus, non amplius quàm venialiter peccat. Nauar. in man. c. 14. Aliud eſſet, ſi vel alij grauiter ſcandalizarentur.

Dico 3. Filia seruiens Patri infirmo, eam ad malum solicitanti, deserere eum tenetur, si periculum proximum timeatur quamuis Parens sit in extrema necessitate. Eruitur ex illo: *qui amat Patrem plus quam me, non est me dignus.* Quòd si sentiat nullatenus se casuram, non tenetur id facere, exemplo Ioseph, qui cum dominam suam quotidie sibi molestam haberet, non tamen seruitia domûs reliquit. Gen. 39.

Dico 4. Filius, ex bonis Parentum aliquid notabile contra eorum voluntatem accipiens tenetur restituere cohæredibus, vel computare pro parte sortis suæ nisi Pater viuens donâsset. Idem dicendum, si Patre viuente, consumpsit aliqua bona paterna in ludis, vsibusq; vanis, aut Pater soluit in pœnam delicti eius. Sumptus tamen, quos propter studium Patre viuente fecit, non tenetur computare. Immò Fratres post mortem Patris, tenentur ante diuisionem soluere debita, quæ propter studia Patre viuente contraxit, licèt contracta post Patris obitum, non teneantur soluere. Mosc. quoad omnes partes 1. p. Tir. in speculo particulari diuersarum condicionum.

DISTINCTIO XIII.

De Nobilibus & eorum subditis seu rusticis. De Patribus familias & eorum famulis.

De his, quoad casus difficiliores nihil occurrit, meminerint tamen Confessarij monendos esse Nobiles & Dominos de oppressione cauenda quoad labores, census, itinera, vltra consuetudines antiquas & rationabiles. Quoad emptiones aut venditiones cariores, & aliquando grani immundi & corrupti. Quoad retentionem mercedis. Quoad duplam aut maiorem, quàm par sit; solutionem damni, per seruum facti. Quoad defraudationem vectigalium, sub prætextu necessitatum propriarum emendo, reipsâ verò negotiando. Qooad commessationes, ebrietates, cum damno familiæ. Quoad labores die festo. Aduerte non excusari Dominos à peccato mortali qui rusticis pro custodia domûs deputatis mandant labores, qui anticipate peragi possent, vt est sectio lignorum pro culina & fornacibus hyeme. Sciant, in tali casu augeri peccatum secundùm numerum personarum ab auditione Missæ impeditarum. Quoad constitutionem pœnarum propter priuatum commodum.

Meminerint. 2. Monendos Dominorum subditos, de fidelitate in laborando, de furtis cauendis in pascuis, syluis &c. imprecationibus, aleis, ebrietatibus cum præjudicio domûs, & aliàs.

Meminerint 3. Patresfamilias, monendos esse circa familiam, Quoad spiritualia. v. g. doctrinam Christianam, Sacramentorum vsum, festorum cultum, Missæ auditionem, jeiuniorum obseruationem, vitæ honestatem. Et quamuis cum magno suo incommodo, non tenentur importunè & acerrimè instare, tenentur tamen serio monere & discretè obiurgare. Tempore infirmitatis, de cura quoad animam & corpus, de mercede retenta &c. Memi-

Meminerint 4. Monendos famulos, de infidelitate cauenda in custodiendo, dispensando executione iniquè jussorum à Dominis, iniqua conseruorum accusatione &c.

DISTINCTIO XIV.

De peccatis in iudicio.

NOta 1. Triplex est via procedendi in judicijs. 1. Via accusationis, quando actor spondet se obiecta probaturum 2. Via denunciationis, quando deferens crimen non vult suscipere onus probandi. Duplex est denunciatio. Euangelica, quæ tendit ad emendationem fratris, & fit Superiori tanquam Patri. Iudicialis, quæ tendit vel ad punitionem criminum ob bonum commune, vel mali impeditionē. Et fit Superiori tanquam Iudici. 3. Via inquisitionis. Et hæc tunc exercetur quando Iudex ex officio procedit ad purgandum locum suæ jurisdictioni subiectum. Lessius l. 2. Iust. c 29. d. 18.

Nota 2. Hi non possunt esse Iudices, surdus, mutus, perpetuò furiosus, impubes, fœmina, seruus excommunicatus, consanguinei rei, inimici actoris, vel alia causa suspecti, imperiti seu illiterati, Tabiena V. Iudex.

Dico 1. Si Iudex ignorat jus secundùm quod judicare debet, vel saltim cum consilio peritorum & bonæ conscientiæ, exequi non curat quod justum est, peccat grauiter acceptando. Idem dicendum est, si ita non est fortis vt audeat contra potentes ferre sententiam, & tamen acceptat.

Dico 2. Iudex, quamuis comestibilia & potabilia moderata ex mera liberalitate oblata suscipere valeat, tutius tamen est neq; talia acceptare vt liberius possit in judicio procedere, ex quo intellige alia dona in materia notabili sub graui peccato prohiberi. Quod colligo ex Makouio. tr. 8. super Decal· d. 2 q. 2. 1. & Villalob apud eundem.

Dico 3. Habens causam justam & dans Iudici pecuniam, vt judicet pro se, quia aliter non vult judicare, non peccat quia redimit vexationem. Arm. V. Iudex cum Panorm. quos sequitur Sam de Lub. Nec est Simonia, quia non datur temporale vt acquiratur spirituale. cùm jam jus quod redimitur habeatur. Ita ijdem. secus esset si per sententiam jus in spiritualibus acquireret.

Dico 4 Vt Iudex possit instituere inquisitionem specialem contra aliquem, tendentem ad punitionem criminis, debet præcedere aliqua infamia. id est rumor sparsus, vox publica, per quam apud viros probos reddatur suspectus.

Dico 5. Iudex non potest totaliter relaxare pœnas reorum. Quia impeditur. Primo ex parte accusatoris, ad quem aliquando pertinet jus 2. Ex parte Reipub ad cuius bonum spectat vt malefactores puniantur Ideo inferiores iudices non possunt pœnas taxatas à Superiore, remittere. Superior verò potest, cùm viderit expedire, etiamsi nollit passus injuriam remittere, si hoc bono communi expediat. Non possunt etiam inferiores judices; pœnam taxatam à jure minue-

minuere, ficut poteſt Superior. Quòd ſi pœna non taxatur à jure, cōmittitur Iudicis arbitrio. Arm. quoad omnes partes.

Dico 6. Iudices inferiores non poſſunt poſt latam ſententiam eam mutare. Immo ſecundum Tab. nec maiores. Ait tamen Gab. à S. Vinc. poſſe Principem ſuam ſententiam mutare. & allegat Sylu.

Dico 7. Poteſt Iudex ſine citatione & defenſione, & proceſſu reum condemnare, ſi eſt crimen publicum, vel ſi ipſe in flagranti delicto malefactorem offendit. Interuenit enim tunc notorium facti loco accuſationis & teſtium, faciens ſcientiam publicam, excitans ad publicum juſtitiæ actum. Sam. de Lub. cum Aragonio.

Dico 8. Peccat Iudex mendacio, quando verbis ſimulatis promittit reo impunitatem, vt ab illo extorqueat veritatem. Et quia in re graui decipit, & contra juris ordinem, non excuſandus à mortali.

Dico 9. Peccat mortaliter Iudex concedendo dilationes, quas non debuit. Et obligatur ad reſtitutionē damnorū. Item peccat mortaliter condonando ſine juſta cauſa, ea, quæ lege diuina, naturali, Eccleſiaſticà vel ciuili ſunt damnata.

Dico 10. Peccat grauiter Iudex, interrogandó ad quod reus reſpondere non tenetur. Ex leuibus indicijs procedendo. Inquirendo occultum. Damnando quàmuis nocentem, ſed ſine ſufficienti probatione, vel inauditū vel indefenſum.

Dico 11. Non excuſatur à mortali Iudex, ſi erga peregrinos, viduas, pupillos, & alias miſerabiles perſonas inhumaniter procedit Sczt. non prouidendo patronum, aut cauſam quàm primùm non expediēdo, cum notabili detrimento earū.

Dico 12. Iudices laici excommunicantur in Bulla Cœnæ, ſi ſe interponant in cauſis Clericorum. Excipitur. 1. Quando Clericus eſt realiter degradatus. Quia per degradationem amittit omne priuilegium. 2. Quando Clericus inuenitur in flagranti crimine. Tunc enim capi poteſt, vt ſuo Iudici tradatur. 3. Quando quis poſt delictum cōmiſſum & inquiſitionem juridicam formatam efficitur Clericus, tunc enim Iudex ſæcularis poteſt cauſam proſequi & Clericum punire, non tamen pœnâ capitali, ſed pecuniariâ. 4. Quando Clericus Laicum accuſat. &c. Gab. à S. Vinc. V. Iudex, quoad omnes partes. V. conc. 8. in 1. de homicidio. Vbi de innocente accuſato.

DISTINCTIO XV.

De obligatione Aduocati.

NOta. Ab Aduocati officio arcentur Religioſi, niſi vbi monaſterij vtilitas repoſcit, non tamen in cauſis ſæcularium. Arcentur etiam Clerici in cauſis ſæcularium, niſi ſint perſonæ miſerabiles.

Dico 1. Peccat grauiter Aduocatus, non monendo partem, vt deſiſtat à proſecutione cauſæ dum iniuſtam agnoſcit, id tamen aduerſario indicare non debet,

neq; alijs. Mosc. p. 8. Elem. ad 5. Conf. de pec. Procur. Quod intellige secundùm conclusionem 5. d. 17.

Dico 2. Aduocatus potest aduocâre etiam in causa dubia, vt docet Sylu, Quia Aduocati officium solùm est proponere, quæ sui clientis jus confirmant, quod in causa dubia non est injustum, sed juuat vt a Iudice causa meliùs expendatur. Moneat tamen clientem. Nam hic fortè desisteret.

Dico 3. Peccat grauiter Aduocatus dum causam pauperis constituti in graui necessitate sua auxilij, vel oppressi aut injustè tractati, suscipere recusat, siue ob defectum solutionis, siue propter quemcunq; alium respectum.

Dico 4. Aduocatis ad annum conductis pro certo salario, illis debetur, licèt eo anno nullam causam defenderint, per ipsos namq; non stetit. posset tamen arbitrio boni viri aliquid detrahi, nisi essent tales qui vellent magis laborare quàm feriari;

Dico 5 Peccat grauiter Aduocatus exigendo maius stipendium, quàm conueniat. Potest pacisci de quota litis, absente præsumptione fraudis. Suspicione & occassione volendi vincere per fas & nefas.

Dico 6. Peccat etiam grauiter reuelando suæ partis fundamenta alteri. Immò potest prudenter occultare quæ jus sui clientis impediunt. Modo, non sint necessario aperienda, nec sequatur deceptio partis contrariæ.

Sed an Aduocatus irregularititatem incurrat, si eius negligentiâ reus damnetur, probabilius videtur quòd sic.

DISTINCTIO XVI.

De obligatione Notarij.

NOta. Notarius dicitur ille, qui habet officium publicum scribendi instrumẽta ad faciendam fidem. Quando creatur, jurat, vel saltim jurare debet super hæc. 1 Conficiet instrumenta de quibus fuerit rogatus 2. Nil veritatis tacebit. 3. Nullam falsitatem miscebit 4. Non reuelabit secretum, nisi justa de causa. 5. Non conficiet instrumentum de contractu vsurario, vel de alio illicitò. 6. Retinebit de omnibus instrumentis quæ dederit regestrum. 7. Erit fidelis ei à quo est creatus Notarius, & admonebit eum super his quæ sciuerit in eius damnum vergere. 8. Nullo amore, odio, spe, vel etiam timore, abutetur suo officio. Nau in Man. c. 25. Instrumentum ab infami confectum nullius est valoris, nisi sit infamia occulta. Sam. de Lub. ex Sayro.

Quando in casu aliquo Notarius non potest haberi, possunt vicem eius supplere duæ personæ honestæ Tabiena V. Tabellio.

Dico 1. Qui ob ignorantiam, negligentiam &c. omittit clausulas, vel solemnitates necessarias ad valorem inscriptionis, aut obscuritates admittit, non excusatur à mortali, & tenetur restituere, si damnum inde proueniat.

Dico 2. Notarius scribens instrumentum vel testamentum falsum, ignis pœnam

nam promeretur vel amputationem manûs. Scribens instrumentum vsurarium; est infamis, si delictum est notorium. Gab. à S Vinc V. Notarius, quoad vtramq; partem. Præterea est periurus, si oppositum in sui institutione jurauit.

Dico 3. Notarius Christianus, scribens instrumentum vsurarium inter Iudæum & Christianum, ex parte Iudæi peccat. ex parte Christiani non peccat. Ideo ex parte Iudæi peccat quia Iudæus peccat, & ille cooperatur. Ideo ex parte Christiani non peccat quia, Christianus vsuras in necessitate promittens, non peccat. V. dicta in 1. d. 34. Con. 6.

Dico 4. Non excusatur à mortali Notarius, si pauperibus, eò quòd non sint soluendo scripturas non conficit, vel non tradit, vnde magnum detrimentum patiuntur.

Dico 5. Non excusatur etiam à mortali, si partem renunciaturam alicui juri, ex ignorantia non informat. Ex quo patet eum peccare grauiter, qui minùs idoneus officium Notarij acceptat.

Dico 6. Non licet Notarijs exigere precium vel oblatum acceptare nisi secundùm quod est taxatum. Quia talis acceptio grauibus pœnis prohibetur, quas Notarij scire tenentur. Et quia talis prohibitio intendit vitare maxima inconuenientia, hinc obligat, sub mortali. Non tamen ad restitutionem acceptorum obligantur si leges sint tantùm prohibentes & non annulantes acceptationem. ait Fern p. 4. cap 13. § 2. & alij.

In conficiendis moribundi testamentis sint cauti Notarij, ne conficiant testamentum jam carentis judicio, alias obligabuntur ad restitutionem ei, qui successurus erat.

DISTINCTIO. XVII.

De obligatione Testium.

NOta. Hi non possunt testificari 1. Serui, pro vel contra Dominum. admittuntur tamen in factis alterius 2. Religiosi coram Iudice sæculari, sine licentia Superioris, quòd si testificantur sine licentia, valet Lez. to. 1. c. 9. & Gab. à S. Vinc. V. testis. Possunt tamen esse testes in quocunq; testamento, siue clauso siue aperto, etiam quando aliquid relinquitur monasterio. S. Cong. apud Gab. 3. non possunt testificari mulieres in testamentis solemnibus, possunt tamen in codicillis, item non possunt testificari in criminalibus, excepta Simonia & hæresi alijsuè quibusdam. Possunt tamen in causis ciuilibus. vel si de crimine ciuiliter, vel in modum denuntiationis, aut inquisitionis seu exceptionis agitur. etiam participes criminis, & contra Clericos. Scias has coram Iudice non esse examinandas, sed mittendum ad domus earum. 4. Impuberes. Quia in ciuilibus requiritur pubertas, & in criminalibus viginti anni.. Potest tamen impubes testari de visis tempore, quo est capax doli, & eius testimonium facit indicium ad torturam. 5. Furiosi & mente capti. sicut etiam repelluntur ab officio judicãdi, nisi habeant lucida interualla. 6. Infames. Periuri. publici Vsurarij. Concubinarij. Falsarij Pauperes, si talis sint conditi-

conditionis, quòd pecuniâ possint corumpi, aliàs possunt testari. 8. Infideles, Hæretici. Apostatæ à fide. Vbi tamen impune grassantur hæreses, Hæretici non prohibentur testari. 9. Affines & cognati. 10. De familia actoris vel rei. 11. Inimici vel amici, vbi tamen Iudex arbitrabitur. 12. Domestici exceptis quibusdam casibus. V. Less. L. 24. C. 3. 13. Socij criminis, Nisi in causa denuntiationis, & in crimine læsæ Maiestatis, atq; Simoniæ. Tandem, ignoti.

Debet ergo esse testis omni exceptione maior, ita vt contra illum nihil possit opponi ad illum reprobandum. Ly tamen positum ad initium non excludit licentiam Superiorum sed ostendit maiorem securitatem stante S. C. declaratione.

Nota 2. Quàmuis præfati testes secundùm jura non sint idonei ad testificandum, possunt tamen admitti in casibus difficilis probationis, quando delictum est tale, vt ex natura rei non possit per alios testes magis idoneos probari. v. g. si delicta sunt commissa in siluis, tempore nocturno in cubiculis, alijsq; locis secretis, vbi Iudex non potest aliter veritatem indagare. Makouius, tr. 8. d. 2. q. 3. cum Baldo. Nauar. & communi. Ait tamen Sam. de Lub. testes inhabiles, in prædictis casibus non plenè probare, sed præsumptionem inducere.

Nota 3. Testi vni in re magni momenti si est fide dignus, possumus quidē credere, sed non tenemur. Aliquando tamen vnus testis probat, vt cum nulli fit præiudicium v. g. quòd quis sit baptizatus. Vel dum impediendum peccatum, v. g. matrimonij illiciti &c. Iure tamen naturæ in grauibus causis, quando agitur de condemnatione alicuius requiruntur saltim duo testes, conuenientes in dicto, testificando de loco, tempore &c. se vidissē aut saltim sensu externo percepisse, tale factum à tali persona. Alias vnus testis, quàmuis idoneus, solùm facit semiplenam probationem. Immò si dixerit, tantùm audiuisse ab alijs, non facit probationem sed tantum indicium.

Nota 4. Testium dicta debent esse consona, de eodem numero facto, aliàs testes erunt singulares & non probabunt. Consonantia autem debet esse quo ad ista *Res. persona, locus, gradus hæc sint consona, tempus.* Dissonantia tamen leuis, non mutat substantiam facti, v. g. si varietur hora, vel dies hebdomadæ, quod Iudicis arbitrio remittitur.

Dico 1. Testis ante Iudicem legitimē productus, & secundùm ordinem iustitiæ interrogatus, si non manifestat veritatem in præiudicium partis, peccat grauiter. An vero teneatur ad restitutionem, dubitatur Affirmat Orelanna, Med. Soto & Nau. apud dela C. Sup. 8. prec. de Iniustitia Testis. Negat Bann. quem sequitur dela C. l. c. Hoc certius est, quod etiam docet Nau. si Testis vocatus vt testificetur se abscondat, non tenetur ad restitutionem.

Scias. Testis non tenetur dare testimonium cui imminet vitæ periculum, vnde licitè potest fugere, & interrogatus veritatem celare, modo non mentiatur. Hoc enim ab intrinseco est malum & nunquam licitum. Sam. de Lub. V, testis cum Graff.

Dico 2. Quando Testis pecuniam accipit, vt falsum testimonium dicat, quamuis te-

uis teneatur restituere damnum alteri ex falso testimonio illatum, non tamen tenetur restituere pecunias pro falso testimonio datas. Patet ex his quæ dixi in 1. dist. 27. conc. 4. Quod si accipit, vt verum dicat, tenetur pecunias restituere. Quia sine his tenetur veritatem dicere. Mosc. par. 8. Element. art. 12.

Dico 3. Quando delictum est in fieri, seu pendet in futurum, tunc quicunq; scit authorem,, prodere tenetur, etiamsi vnus tantùm sciat quia vnusquisq; lege charitatis, etiam non rogatus à Iudice, tenetur in hoc casu accusare, vt euiterûr graue malum proximi. Quodsi crimen jam est transactum, tunc si vnus solùm testis sciat delinquentem, non tenetur eum prodere. v. g. jacet cadauer hominis in platea, nescitur homicida, & Iudex ratione officij inquirit authorem, si vnus solùm nouit homicidam, non tenetur prodere quia cùm Iudex tantùm generaliter inquirat, & nihil in particulari præcipiat, eò ipsò videtur interrogare eos, qui sciunt homicidam, quando plures, & ad minimùm duo sciunt, Sayrus in claue Reg. l. 12. c. 20. quem sequitur Sam. de Lub. l c.

Dico 4. De crimine sub secreto naturali dicto teneor testificari, licèt sub juramento promiserim non reuelare, si crimen pendet in futurum cum notabili damno proximi. Quia tale crimen teneor accusare, vel saltim denuntiare, ergo à fortiori teneor testificari, Nec juramentum in tali casu obligat, cùm non sit vinculum iniquitatis. Sam. de Lub. V. Testis ex Sylu. & Sayro.

Dico 5. Sciens per consultationem, (vt Aduocatus Medicus &c.) aliquod peccatum secretum & detegens illud peccat. Nisi cognitio eius esset necessaria ad mala impedienda. Considerandum tamen est an maius bonum sequatur ex manifestatione. Nam si minus bonum sequitur ex vna parte, maius malum ex alia, non possunt manifestare.

Dico 6. Emissio sanguinis in præsentia homicidæ occulti non est sufficiens signum etiam ad capturam. Non enim constat, an id fiat operatione diuinâ in detestationem homicidij, an ex aliqua causa naturali, an fraude diaboli. Idem dicendum de probatione per aquam, quâ Iudices nonnulli fœminas magiæ suspectas solent in aquam certo modo ligatas inijcere, quæ si mergantur, absoluuntur, si verò non, torturæ adiudicantur. Hoc enim indicium non est sufficiens ad torturã, & operâ demonis fieri potest. Less. l. 2. c. 29. d. 27. &c. &c.

QVÆSITVM.

An liceat obijcere Testi crimen pro infirmando eius testimonio?

℟ TEsti iniquo imponenti crimen falsum, aut reuelanti occultum verum, licet obijcere crimen verum etiam occultum. Ita comm. apud dela C. Sup. 8. præc de injustitia Testis, Nam vim vi repellere licet, Nec ista est aggressio sed legitima defensio. Et hoc etiam licet, etsi testis per ignorantiam incul-

pabilem inferat talem injuriam. Immo etsi testis dicat verum & legitimè, si habet crimen probabile, quo eius testimonium repellatur, licet obijcere illud ei. Nam sic reus defendit se cum moderamine, quod ei licet, cùm censeatur innocens, dum per legitimos testes non probatur nocens. Et damna secuta testi, ei imputantur, qui non tenebatur testificari cum periculo honoris. Et intelliguntur prædicta, per se loquendo. Nam aliquando illud non licebit. 1. Si crimen obiectum testi nihil conducit pro infirmando testimonio. Nam tunc talis obiectio criminis non erit defensio sed vindicta. 2 Si reus potest alter se defendere. 3. Si damnum quod sequitur reo est paruum, non licet obijcere testi crimen notabile. Et semper crimen obiectum debet esse minimum, quod est necessarium pro infirmando testimonio. Cùm reus teneatur se defendere cum moderamine.

QVÆSITVM. II.

Quid faciendum dum Testis sibi ipsi contradicit?

℟. QVando Testis dicit vnum extra judicium, & contrarium in judicio, tunc standum est dicto secundo. Quia est firmatum. Si vero dicit in judicio vnum, & postea extra judicium reuocat, standum est primo ob eandem rationem. Cæterum si in vno judicio dicit vnum & in altero judicio contrarium, standum est primo dicto. Quia jus parti est acquisitum per illud. Tandem si testis in vno judicio dixit se nihil scire, & in secundo fert testimonium, tunc nihil probat. Sam. de Lub. l. c. cum Azor.

DISTINCTIO XVIII.

De obligatione Accusatoris.

NOta. Accusatio est *delatio rei de crimine, in libello, ad vindictam, propter bonum commune.* Gab. à S. Vinc. V. Accus. Quatuor ad accusationem concurrunt. 1. Debet fieri in scriptis. 2. Nomen Acccusatoris & Accusati est exprimendum 3. Species delicti locus & tempus, similiter annus, & mensis immò etiam dies, quando Reus volens se defendere petit eum apponi, dicens se alibi eo die fuisse. 4 Requiritur Accusatoris subscriptio, quà ad pœnam talionis se obligat. Hæc (ait Sam. de Lub.) modò non videtur esse in vsu.

Nota 2. Excluduntur ab accusatione, omnes excommunicati. Maiorum criminum rei. Infames, incestuosi, adulteri, homicidæ, periuri, venefici, raptores, qui falsum testimonium dixerunt, turpem quæstum exercentes v. g. qui nummos acceperunt ob accusandum. Inimici. Laici ab accusatione Clericorum, nisi suam injuriam prosequantur. & nisi peccatum sit hæresis simoniæ, crimen læsæ maiestatis, sacrilegij, & dilapidationis bonorum Ecclesiæ. Clerici ab accusatione Laici criminaliter, non tamen ciuiliter. Impuberes Mulieres, & milites. Subditi re-

ſpectu prælatorum. Filij reſpectu Parentum, Serui reſpectu dominorum.

Dico 1. Datur præceptum de accuſatione. Vnde qui non accuſat delinquentem contra bonum publicum vel priuatum notabile, peccat, tum contra pietatem, tum contra charitatem. Quodſi ex officio tenetur accuſare vel denunciare, etiam contra juſtitiam facit, & ad reſtitutionem damni, ſi ſequitur, tenetur. Tenemur autem accuſare. 1. crimina quæ cedunt immediatè in damnum communitatis, vt eſt conſpiratio contra principem, rebellio, monetæ falſificatio &c. 2. quæ ledunt mediatè bonum commune, vt ſunt peccata, âtrocia & peccata publica, 3. quæ ſunt cōtra perſonam priuatam in re magni momenti.

Dico 2. In priuato crimine non admittitur ad accuſationem regulariter, niſi ille cuius intereſt. In crimine autem publico, quilibet eſt admittendus, qui non prohibetur ſpecialiter. Arm. V. Accus.

Dico 3. Proximus eſt ſecretè corrigendus, etiam de crimine contra bonum commune, ſi ſic probabiliter ſperetur emendatio, nec aliàs periclitetur bonum commune. Juxta illud Math. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Quòd ſi non corrigas, ſed accuſes, aut denunties reſtitues damna ſecuta. Cùm iniuſte infames. Habet enim proximus jus ad famam, dum non expedit bono communi, vt eius crimen publicetur. Et ſic intellige præceptum. Viſitatorum ſub excommunicatione mandantium ſibi denuntiari delicta. Si enim proximus emendatus, vel probabiliter ſperatur emendandus per correctionem fraternam, non poteſt accuſari vel denuntiari, ſi aliàs non periclitatur bonum commune.

Dixi *Si ſic probabiliter ſperetur &c.* Nam in dubio, an per ſecretam correctionem emendabitur, tenemur accuſare, aut denuntiare juridicè ſi deſint teſtes pro accuſatione. Cùm in dubio inclinandum ſit, tum in fauorem boni communis, tum in fauorem perſonæ priuatæ innocentis.

Dixi etiam. *Nec aliàs periclitetur bonum commune.* Nam ſi timeatur de aliorum ſcandalo, eſt accuſandus non præmiſsâ correctione, licèt ſperetur emendatio; vel etiam iam egerit pœnitentiam. Patet ex Gab. à S. Vinc. l. c. & Makou tr. 8. ſup. Decal. d. 2. q. 2. a. 1. Hoc tamen non faciendum ex odio vel ad ſumendam propriam vindictam. Quia taliter accuſare vel denuntiare non licet.

Dico 4. Non licet delinquentem de peccato quod non poteſt in judicio probari accuſare. Immo reſtituenda ſunt damna ex tali accuſatione ſecuta, niſi ex ignorantia inculpabili putes te poſſe tale peccatum probare.

Dico 5. Non licet Accuſatori aliquid accipere ab Accuſato, & ſic à juſta accuſatione deſiſtere, etiamſi Accuſatus eſſet damnatus ad mortem. Arm. V. Accus. ex S. Thoma. 2. 2. q. 69. a. 2. ad 1.

DISTINCTIO. XIX.

De obligatione Rei ſeu Accuſati.

NOta. Tria concurrere debent vt Reus obligetur ad reſpondendum. 1. Vt interro-

interrogetur à proprio Iudice 2. Vt seruetur forma juris. Scæt. vt interrogetur de crimine de quo præcessit, vel infamia, vel indicia grauia vel semiplena probatio, quæ habetur per testem omni exceptione maiorem. 3. Vt ista juris forma sit priùs in processu probata, & Reo indicata, vt cognoscat se juridicè interrogari, aliàs non tenetur respondere.

Dico 1. Quando hæc tria, etiam diuisiuè de quibus in notando, deficiunt, non tenetur respōdere Reus etiam proprio Iudici, quamuis fulminetur sententia excōmunicationis. Quia occultum in foro exteriori non tenemur manifestare. Seruatis autem his tribus, tenetur respondere verum, licet inde proueniat mors, aliàs peccat grauiter, tum ratione juramenti, si interueniat, tum ratione mendacij

Dico 2. Confessarius non debet Reum monere vt retractet falsum in legitimo judicio dictum Quia hoc esset eum cogere ad se prodendum, tenetur tamen monere, vt sit paratus ad veritatem dicendam, si iterum rogetur, quamuis sit damnandus ad mortem. Sam. de Lub. V. Accus. cum Azor. Nec per hoc incurrit irregularitatem, licet sequatur mors, vt patet ex 3. d. 25. circa finem.

Dico 3. Negans veritatem in judicio, quam si diceret damnaretur ad soluendam pœnam pecuniariam, non tenetur ad soluendam illam. Quia nemo obligatur ad soluendam pænam ante Iudicis sententiam. Vtrum vero hæc regula habeat aliquam exceptionem, consule DD.

Dico 4. Reus qui delictum commisit, propter quod non est ipso jure priuatus, sed tantùm priuandus bonis, potest ante sententiam bona sua distrahere. Quia adhuc est dominus suorum bonorum. Bannes in 2. 2. q. 62. a. 3 d. 1. quem sequitur. Sam. de Lub.

Dico 5 Tenetur Reus post sententiam, in exilum proficisci, in carcere manere. se verberare, &c Non enim est contra rationem, vt quis sit reus & vindex in pœnis quæ non sunt nimis acerbæ. Tenetur collum ad gladium extendere, scalas ascendere, manus pro ligatura carnifici post tergum præbere. Non potest autem membrum sibi amputare. nec se suspendere, venam scindere vt paulatim è vita discedat. Nec potionem venenosam sumere. Si est damnatus vt fame pereat, oblatos cibos tenetur sub mortali sumere Quia non sumere est seipsum occidere juxta D. Thomam 2. 2. q. 69. a. 4.

Dico 6. Probabile est, Reum qui commisit crimen contra legem continentem sententiam latam de priuatione bonorum, ipso facto esse statim priuatum dominio bonorum suorum, licet maneat cum vsu illorum. Probabile etiam est, eiusmodi Reum adhuc retinere dominium bonōrum suorum, licèt caducū. ante Iudicis sententiam Et sic posse non solùm vti bonis, sed & vendere illa, declarando tamen vitium rei venditæ. Primam partem docet Caiet. in 2. 2. q. 69. a 3. Secundam, docet Bannes. l. c.

Dico 7. Reus non potest interrogari de socijs occultis, nisi crimen cedat in notabile damnum tertij, & est in fieri aut pendet in futurum & à fortiori si cedat in damnum publicum, vt est grassatio raptorum in vijs, falsificatio mone-

tæ am-

tæ. ambitiones, ſubordinationes &c. Item ſi crimen ſit atrox vt hæreſis, crimen læſæ Maieſtatis. In dictis ergo caſibus (& alijs lege vel conſuetudine rationabili concedente) licet interrogare Reum de complicibus occultis. V. dela C. ſup. 8 præc q. 3. a 3. Sam. & Sam. V. Reus

Dico 8. Si cauſa non eſt probata ſemiplenè & conſequenter Iudex non interrogat juxta formam juris, Reus non tenetur juramentum præſtare. Quod ſi cogatur, poteſt licitè vti verbis æquiuocis, reſpondendo juxta ſuam mentem, contra intentionem Iudicis interrogantis, dicendo v. g neſcio (intelligendo intra ſe) vt tibi dicam. Quia ex quo cauſa non eſt ſemiplenè probata, delictum eſt omnino occultum. Makouius tr. 2. Sup. Decal. d. 1 q 3. a. 1. referens Angelum, Naur. Sayr Addit cit. D. Si maritus vi & metu adigat vxorem ad juramentum, vtrum in eius abſentia adulterium commiſerit, poteſt licitè vxor cum juramento æquiuoco reſpondere, ſe tale delictum non feciſſe, ſub intelligendo in mente, vt dicam. quia non tenetur illi ſecundùm mentem eius reſpōdere. Addit etiam qui ob defenſionem, quando aliter fi ri non poteſt inuaſorem occidit, aut rem alienam in veri debiti compenſationem vſurpat, interrogatus à Iudice, poteſt cum juramento negare, intelligendo intra ſe *de facto criminoſo* ita etiam dela C. Sup. 8. præc. de iniuſtitia Rei. Ratio horum eſt. Nam Eccleſia prohibet reſtrictionem mentis quæ eſt cum mendacio, vt videre eſt apud Sam. de Lub. 1 c. V. dicta in 1. d. 11. in fine.

Ex his patet non peccare Reum accuſatum de crimine quod juridicè probari non poteſt, crimen negando, Quia juxta D. Thomam l. c. a. 2. Reus poteſt ſe tueri quacunq; viâ, modo non dicat mendacium, in tali autem caſu non dicit mendacium, etiam dicendo quod accuſans mentiatur. Qui enim probare non poteſt calumniatur, ac proinde mentitur.

Dico 9. Dum Reus Sacramentum Pœnitentiæ recuſat, Iudex non tenetur eum liberare, & ſi ſciat in mortali moriturum. Aliàs ſic publica poteſtas eluderetur, & magna incommoda in Repub. ſequerentur.

Dico 10. Reo, etiam juſtè damnato ad pœnam mortis aut mutilationis aut flagellorum, licet rumpere carcerem. Nec reſtituet damna ſecuta carceri & cuſtodi. Quia cùm det operam rei licitæ, malum quod ſequitur ei non imputatur. Immo licet conſulere iſti fugam. Nam licet conſulere alteri quod licitè poteſt facere. Imo etiam licet perſonæ priuatæ dare tali Reo inſtrumenta quibus carcerem rumpat, cùm cooperetur rei licitæ. Non tamen id licet miniſtris juſtitiæ, qui bus ex officio incumbit tueri publicam poteſtatem. Nec licet hos corrumpere muneribus vt fugam concedant. Eſſet enim inducere eos ad peccatum. Quòd verò non liceat iuuare iuſtè damnatum vt rumpat carcerem, cōmuniter tenetur, dicta hâc conc: vide apud Bonac: to. 2 d. 10. q. 3. punc: 2. an. 13.

Dicta non procedunt, dum Reus detinetur in carcere præter pœnam mortis &c. ſed v. g. vt eò citiùs debita ſoluat, vel damnatus eſt ad carcerem in pœnam ad tempus &c. Sic enim peccat fugiendo & alteri injuriam facit. Arm. V. Accuſatio ex S. Thom. & Caiet.

Dico 11. Reus injustè damnatus ad mortem &c. licitè impugnat custodes carceris, vt fugiat. Immo secundùm Bannes 2. 2. q. 69. a. 4. & alios juste damnatus juxta allegata & probata re ipsa tamen innocens, licitè se defendit occidendo etiam ministros justitiæ, si sic necessitas requirit, secluso tamen scandalo & damno communi. Sicut innocens se defendendo licitè occidit aggressorem innocentem, v. g. amentem.

Dico 12. Cui sub iuramento redeundi, conceditur exire è carcere, tenetur seruare iuramentum, si non relaxatur, & redire ad carcerem, quamuis iniustè sit incarceratus. dela C, de iniust. Rei. ex Cai. & Nauar. Sicut qui jurauit dare latroni bona sua, tenetur seruare. Nec redeundo seipsum magis occidit, quam damnatus ad mortem, qui potest fugere carcerem, & non fugit.

Dico 13. Religiosi iustè incarcerati fugere non possunt, quoniam voto supposuerunt se Prælatis suis. Alias peccant peccato apostasiæ. Mak. tr. 8. supra Decalog. d. 2. q. 2. .2 a. 1. sequens Arm. l. c. & Caiet.

DISTINCTIO XX.

De facientibus & exequentibus testamentum.

NOta 1 Testamentum est, *voluntatis humanæ iusta dispositio de eo, quod quis vult post suum obitum fieri, cum hæredis institutione* Differt à codicillo. Quia codicillus non fit ad instituendum hæredem, sed ad aliquid in testamento explicandum, mutandum, vel ad legata instituenda. Non requirit etiam tantam solemnitatem vt testamentum, & sufficiunt quinq; testes ad illum.

Nota 2. Ad solemne testamentum requiritur 1. vt fiat hæredis institutio 2. si Testator literas nouit, propriâ manu testamentum scribat, vel saltim subscribat. 3 præsentia septem testiũ, præter eum qui scribit, vel subscribit loco Testatoris. 4. testes sint ad hoc rogati & non casuales. 5. testes sint idonei. Excluduntur enim mulieres impuberes, serui, Religiosi, muti, surdi, furiosi, prodigi, cognati, & potestati Testatoris subiecti. 6. testes se subscribant. si possint, nec vnus pro alio. 7. testes consignent proprijs annulis vel alienis, si proprijs carent. 8. testes eodem tempore se subscribant. si possint. Tandem testes. Testatorem videant, & & non post cortinam v. g. audiant. excludendo Religiosos non intendo contradicere dictis d 17. sed vt securiùs pono. quia declarationes S. C. debent esse authenticæ, vt iubet Vrbanus VIII.

Aduerte. Si Parens testetur inter liberos sufficit adhibere duos testes.

Nota 3. Testari non possunt. 1. mutus nisi scribere sciat, sicut neq; qui articulatè loqui non potest. Cum nequeat nomen hæredis exprimere, nisi scribere sciat. 2. impubes. filios familias, nisi habeat bona castrensia vel quasi. prodigus, cui prohibita est à Iudice bonorum administratio. 3. damnatus ad mortem naturalem & ciuilem, vt deportatus, & damnatus ad perpetuum carcerem.

Sed

Sed in his attendenda conſuetudo. 4. publicus vſurarius, licèt ab vſuris deſtiterit, niſi ante mortem reſtituat, vel ſaltim cautionem præſtet. De publicè excommuni ato, communior eſt ſententia quod poſſit teſtari. 5. Seruus & Religioſus. 6. infamis ob libellum famoſum in alterius iniuriam, infames autem ob aliam cauſam poſſunt teſtari. 7. reus criminis læſæ Maieſtatis &c. &c.

Dico 1. Tam Pater quàm Mater carentes filijs legitimis, licèt habeant hæredes aſcendentes, vt eſt Pater & auus, poſſunt relinquere filijs naturalibus illegitimis in teſtamento omnia bona ſua Sam. de Lub. cum Rodriq.

Dico 2. Licitè poſſidentur, relicta in teſtamento minùs ſolemni, etiamſi ſolis verbis fiat. Sufficit enim conſtare de voluntate Teſtatoris. Et alias per contractus, jure humano irritos propter defectum ſolemnitatis eſſentialis, transfertur dominium, quàmuis reuocabile. Bannes quem ſequitur Sam. à Lub.

Dico 3. Poteſt relinqui in teſtamento Eccleſijs S. Franciſci de Obſeruantia aliquis redditus annuus pro fabrica, ornamentis altarium &c. Quia hæc tantùm relinquuntur Eccleſiæ. Vnde Syndicus monaſterij debet exigere talem redditum. Qui autem relinquit prædictis F.F. aliquem redditum, cum obligatione vt pro eo celebrentur Miſſæ &c. huiuſmodi legatum non valet, etiam in foro interiori. Quia dicti F.F. ſunt incapaces illius, niſi forſan reciperetur per modum eleëmoſynæ. Rodriq. to. 1, c. 132. conc. 3.

Dico 4. Teſtamento poteſt derogare Papa ob publicam vtilitatem, & loci Princeps ſupremus, immo & Epiſcopus, cum conſenſu Executorum, poteſt conuertere in maiorem publicam neceſſitatem, quod in minorem erat relictum. Sà. V. Teſta. & Sam. à Lub.

Dico 5. Qui ſolis blandicijs, precibus ſine cauſa facit mutari teſtamentum, licèt ex odio faciat & peccét, non tenetur ad reſtitutionem. Sed ſi vi vel fraudibus Teſtatorem auertit tenetur ad reſtitutionem ei cui fuerat relictum. Colligitur totum ex his quæ docet de la C. Sup. 7. Præc. de Reſtit. art. 2. & Laynenſis tom 2. p. 2. tract. 1. qu. 13.

Dico 6. Executores teſtamenti poſſunt eſſe Clerici, fœminæ, vbi ſeruatur hæc conſuetudo, & Religioſi, etiam ad cauſas prophanas, & ſufficit licentia tacita, Sczt. Prælato ſciente & non contradicente. Noſtris tamen Religioſis jure noſtro id prohibetur. Prædicti grauiter peccant, ſi per longum tempus negligunt ſatisfacere teſtamentis, &c. &c.

QVÆSITVM.

Quid circa teſtamenta minùs ſolemnia ſentiendum?

℟. AD Teſtamentum nuncupatiuum ſeu apertum, requiruntur ſeptem teſtes, ad hoc vocati, vt teſtatoris voluntatem percipiant. Vnde teſtamentum legi debet à Tabellione ſeu Notario ante teſtes. Sed hoc ſecundum non pertinet ad ſubſtantiam actûs ſed ad ſecuritatem.

℞. 2. Testamentum ad pias causas valet coram duobus testibus legitimis, licèt non sint vocati immo licèt sint fœminæ. Quia in hoc cessant solemnitates juris positiui & sufficit solemnitas juris gentium. Et sic valent legatâ in testamento minùs solemni, licèt non sit posita clausula codicillaris. 2 Testamentum ad causam piam pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum. 3 Relictum per testamentum solemne ad causas pias, reuocatur per minùs solemne ad easdem causas pias, vnde factum per duos testes reuocat factum per septem. 4. Licèt ordinariè loquendo nequeat quis decedere partim testatus, & partim intestatus, tamen hoc fieri potest in ordine ad causas pias. 5. Licèt dispositio bonorum facta per mutum ad causas prophanas sit nulla, valet tamen ad causas pias. 6 Valet testamentum ad causas pias in quo est sola subscriptio Testatoris sine testibus. Adde non esse necessariam hæredis institutionem.

℞. 3. Testamentum rustici, etiam ad causas non pias, valet adhibitis quinq; testib⁹, si plures esse non possint. Nec est necessaria subscriptio, si literati non sint.

℞. 4. Testamentum militare, si in castris vel expeditione fiat valet etiamsi sit destitutum omnibus solemnitatibus, modò probari possit duobus testib⁹. Et idem de testamento tempore pestis coram duobus vel tribus testibus facto. Qui plura vult, videat Iuristas, & specialia locorum statuta.

DISTINCTIO XXI.

De obligatione Tutoris.

Nota. 1. Tutor est qui causam gerit pupilli post mortem Patris. Differt à Curatore. Nam curator potiùs datur rebus quàm personæ, è contra Tutor, potiùs personæ quam rebus. 2. Curator datur adulto qui res suas nequit administrare, v. g. furioso, prodigo, &c Tutor autem datur impuberi. 3. Curator datur tantum secundùm leges. Tutor etiam à Iudice, & à Testatore. Potestas Tutoris in masculos, durat vsq; ad annum. 14. In fœminas, vsq; ad 12. Ab illo tempore incipit potestas Curatoris, & durat vsq; ad annum 25. completum pupillorum.

Nota 2, Tutor est triplex. Testamentarius quem Pater, constituit filio in testamento. Legitimus, quem leges constituunt, qualis præ cæteris Mater & Auia, si velint, deinde consanguinei proximiores idonei Datiuus, quem Iudex dat, quando nec in testamento datus est, nec inter consanguineos pupilli inuenitur idoneus ad tutelam.

Dico 1. Tutelam miserabilium personarum, omnes suscipere tenentur etiam Religiosi, de licentia tamen Superioris, saltim localis.

Dico. 2. Tutor tenetur pupillos à criminibus intactos conseruare, res eorum fideliter custodire & defendere, bona mobilia in emptionem, vel justam negotiationem conuertere, Inuentarium de rebus facere, nisi ex justa causa impediatur, aliter faciendo est suspectus de dolo, docet Arm. in præsenti.

Dico 3.

Dico 3. Damna illata pupillis in bonis ac redditibus per negligentiam Tutorum, tenentur Tutores restituere; Nam ex iustitia tenentur bonum pupillorum curare. Addit Sam. de Lub in præsenti, si Tutor eo tempore quo tenebatur negotiari, omitteret, pupillus posset ab eo accipere quinq; pro centum.

Dico 4. Clerici & Religiosi non possunt obligari ad tutellam, nec spontè suscipere possunt testamentariam aut datiuam. Legitimam suscipere possunt Clerici consanguinei pupilli. Item Religiosi de licentia Superiorum.

Dico 5. Mater nequit compelli ad tutellam pupilli, quòd si recipiat, tunc promittat se non transituram ad alias nuptias, quin priùs tutelam abdicet & rationem reddat. Per nuptias enim amittit tutellam. Et idem si incontinenter viuat.

DISTINCTIO XXII.

De obligatione Medici.

DIco 1. Peccat mortaliter Medicus, qui præuidens mortem infirmi vel saltim probabiliter iudicat, & tamen tacet. Fern. p. 4. c. 12. §. 2. cum. D. Anton. Sylu. & Tab. Quia cuiq; DEVS mandauit de proximo suo, & ideo tenetur subuenire necessitati huius, huius maxima autem necessitas est periculum salutis æternæ. Addit cit. D. Hoc. intelligendum esse, etiamsi Medicus aduertat, quòd tali monitione ægritudo ingrauescet. Quia æterna salus debet anteferri temporaneæ saluti.

Ab hoc efficatiùs exequendum Pius V. in Bulla, *super gregem*, edita 1566. præcipit, ne Medici vltra tertium diem ægrotum visitent, nisi de illius confessione per Confessarij chirographum certificentur. additq; in Doctoratu exigendum à Medicis iuramentum seruandi hanc constitutionem. Aduerte hanc legem non obligare nisi in morbo graui, vel qui in principio prudenter iudicatur periculosus, vt grauis efficiatur. 2. Supradicta monitio fieri potest à Medico per alios. 3. Si infirmus admonitus nollet confiteri, non debet à Medicis in probabili mortis periculo deseri. Immo si Medicus prudenter iudicaret monitionem non profuturam, nec illum monere teneretur. neq; deserere. Quia Pontifex nihil frustratorium præcipit, 4 Sufficere Medicis, quòd de confessione ægroti testentur eius domestici fide digni, vel etiam ipse, si est magnæ autoritatis. Iuuat etiam præfata monitio vt res ab infirmo disponantur. ne post mortem turbationes sequantur. Et propterea etiam ex hoc capite obligatur Medicus ad admonendum de morte infirmum.

Dico 2. Grauiter peccat Medicus, qui vt aliquod medicamentum experiatur, illud absq; ratione aliqua probabili tribuit infirmo. Quando vero sunt rationes probabiles de bonitate medicamenti, & adsunt alia faciliora remedia, & absq; opinione infirmo salutifera; tunc hæc sunt eligenda. & illa de quibus habetur opinio relinquenda. V. dicta in 1. d. 2. conc. 6. Quod si non adsunt faciliora, & est

 dubi-

dubium de medicamento, an sit salutiferum, propter diuersas opiniones, tunc potest applicare medicamentum, quod probabiliter putat salutiferum, quamuis secundum alios sit mortiferum. Non enim fas est ait Sam de Lub.) eo tempore infirmum sine remedio relinquere. Quòd si postea nociuum inueniatur, Medico ad culpam non imputatur.

Dico 3. Medicus non sit nimis facilis in dispensando, in jeiunio, in carnibus &c. Sed attentâ infirmitate. Si enim infirmitas fuerit talis, quæ exigat infirmum bis aut ter comedere, non tamen causa illa exigat vt carnes comedat, tunc dispensatio debet fieri in commestione, & non in carnibus. Si verò infirmitas carnium vsum & non plures refectiones exigat, tunc quo ad carnes tantùm dispensatio est facienda. V. in 1. d. 19. conc. 12. & 13.

Dico 4. Medicus expertus, dum curat fœminas se in pollutionem consentire, non potest tali periculo sine peccato se committere. Quod intellige, si periculum sit proximum Immo non est absoluendus, si hanc occasionem proximam, vitare non curat.

Dico 5. Medicus licitè applicat mulieri prægnanti medicinam; quamuis æquè ordinetur ad matris salutem, atq; ad fœtui nocendum, & illius abortum, secundùm Sam. de Lub. V. Med & de la C. sup. 5. præc q. 1. a. 1. Potest tamen fœmina licitè abstinere à tali medicina, vt suæ proli consulat. Dixi. Secundùm Samuelem &c. quia in aliena sententia loquor. V. dicta in 1. d. 21. conc. 7.

Dico 6. Pauperibus qui non valent soluere, tenetur Medicus gratis mederi immo etiam medicinas comparare, si ipse potest, & illi nec per alios magis coniunctos, nec per eos qui magis possent, valent curari. Quia remissio solutionis & medicinarum exhibitio, est quædam eleëmosyna. Sylu V. Medic. dicta in 1. d. 23. con. 1. & 2.

Q. Vtrum Medici possint promoueri ad Ordines? ℞. Quòd sic, si in suis officijs erant periti, & nihil omiserunt de contingentibus, habentes super his conscientiam probabilem, aliter non.

DISTINCTIO XXIII.

De peccatis circa exactiones.

Nota. Tributum est quod soluitur de prædijs, aut alijs rebus, quæ possidentur. Vectigal, soluitur de rebus quæ negotiationis causâ transportatur, pro conseruandis vijs, pontibus reparandis &c. Gabella rebus ad victum & vestitum &c pertinentibus. Hæc solet confundi cum vectigali. Dixi, *negotiationis causâ* Quæ enim pro vsu familiæ deferuntur, eximuntur à gabella. Caiet. in præsenti.

Dico 1. Qui defraudant vectigalia justa, peccant grauiter & ad restitutionem obligantur Tum quia huiusmodi tributa debentur Principi in congruum dignitatis eius subsidium. &c. Tum etiam quia talis defraudatio cedit in damnum huiusmodi tributa. V. dicta in. 1. d. 37. conc. 21.

Non

Non tamen est improbabilis sententia Nau. tr. de lege pœnali. Et in Man. c. 17. & aliorum apud Dianam de leg. tr. 10. res 19 oppositum. Quia consuetudo interpretatur non esse mentem legislatorum ad aliud obligare, quàm vt deprehensi puniantur. Vnde ad primum argumentum in contrarium respondet Beia & Duardus, quò licèt debeantur talia tributa Principi, fraudatores tamen non intendunt transgressionem huius legis, sed cum agatur de lege purè pœnali, eorum arbitrio committitur an velint soluere, an verò fraudando, se exponere periculo luendæ pœnæ cum notabili Principis emolumento. Ad secundum respondent imputandum ementibus dicta tributa, si minùs vigilantes defraudentur. Cùm sub tali conditione illa emant, vt si cum vno perdant, cum alio, propter pœnam lucrentur. In qua sententia stando, Confessarij non cogant confitentes ad restitutionem ob vectigalia defraudata. Quæ tamen sententia non est extendenda dum vectigal seu gabella imponitur pro tollenda communi necessitate. Nomine autem communis necessitatis in præsenti non intelligo reparationem viarum, subsidium dignitatis Principis &c. sed quid maius.

Ex his patet legem purè pœnalem, quàmuis in re graui non obligare in conscientia, vt docet Nau. & alij apud Dianam l. c. quorum, inter alias ratio. Nam Principes sæculares nunquam expresserunt hactenus, mentis suæ esse, obligare subditos ad culpam. Nec consuetudo id vnquàm fuit interpretata, nisi simul, lex diuina, naturalis aut Canonica constitutio, ex qua obligatio in conscientia colligatur, concurrat.

Immò non desunt DD. docentes legem mixtam non obligare sub peccato mortali, quam sententiam probabilem vocat Filliucius to. 2. tr. 21. c. 27.

Dices, leges mixtæ continent verba præceptiua *mandamus, præcipimus*, quibus importatur obligatio ad culpam. ℞. Ex his non colligi obligationem. Quia leges multarum Religionum continent similia verba, & tamen nec sub veniali obligant. Ergo nisi aliunde constet de intentione legislatoris, non denotant talia verba talem obligationem. Ex alijs, colligitur legislatorem velle grauiter obligare, si fulminet grauem pœnam spiritualem v. g. excommunicationis. Explicationem legis purè pœnalis & mixtæ, vide in 1. d. 36 circa finem.

Dico 2. Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ, quales sunt quæ Ordinem aliquem susceperunt, etiamsi tonsuram tantum primam acceperint, omnes Religiosi, Moniales, & res istorum, non tenentur ad solutionem gabellæ. Nisi exerceant negotia, sczt emendo aliqua, quæ immutata postea vendant. V. Sam. de Lub. V. Bulla Cœnæ. Casu 18. vbi habes, quæ nam negociatio non prohibeatur Clericis. vide d. 11 de censuris n. 18. Præter quod scias ex Sà. V. gabel Religiosos Mendicantes habere priuilegium Pij V. quo exempti declarantur ab omni exactione, cum suis bonis, colonis, arendatarijs, & negotiorum gestoribus.

Aduerte. Quando res obligata ad soluendam exactionem deuenit ad Clericum vel Ecclesiam, obligatur Clericus ad eam soluendam. Quia in tali casu res transit ad alium cum onere suo. Azor. to. 3. l. 5. c. 19. q. 8.

Dico

Dico 3 Conductor gabellarum, propter pestem vel alium casum superuenientem, meretur remissionem pensionis, si prædicta tempore conditionis nec timebantur probabiliter, nec præuideri poterant. Si vero tempore conductionis superuentura timebantur vel præuidebantur, non debet in conscientia remitti pensio. Quia sibi imputet quòd tali tempore & cum tanta pensione gabellas conduxerit Sylu. V. gab quem sequitur Sam. de Lub.

Dico 4. Possunt Exactores gabellarum cum pauperculis dissimulare. Sà. V. gab. Hi non tenetur eas soluere, si eo deueniat paupertas, vt se ac suos alere non possint soluendo gabellam. Nisi imposita esset ob grauem Reipublicæ necessitatem Gàb. à Vinc. in præsenti, quoad 2. & 3. partem.

Dico 5. Custodes permittentes exportari vel importari merces vetitas non obligantur ad soluendas pœnas eorum, qui exportant merces vetitas Cum & hi eas non debeant soluere, nisi post sententiam. Quòd si custodes pro hac fraude recipiant aliquid, non tenentur id restituere, nisi etiam post sententiam. Gab. à S. Vinc. V. Custos, quo ad vtramq; partem Tenentur tamen Custodes ad restitutionem vectigalium quæ soluere debuissent fraudatores, stando in veriori & securiori sententia, vectigalia esse soluenda in conscientia, Dato tamen fraudatores vectigalium secundùm dicta d. præcedenti, non obligari ad restitutionem custodes tamen obligantur, vt in simili dixi dè custodibus carceris d 9. conc. decimâ & sic in prima impressione sano sensu intellige conclusionem.

De peccatis Militum V. dicta in 1. d. 21. 22. &c. De peccatis Mercatorum. V. l. c. d. 31. 32. 36. 37. & 38.

DISTINCTIO XXIV.

De obligatione Tabernariorum.

DIco 1. Peccat Tabernarius, qui facit vt meretrices intra tabernam vel propè habitent, & aduenientibus inseruiant licèt non intendat vt aduenæ peccent, sed vt hilares reddantur, & libentiùs eò plures diuertant Fern. 4. p. c. 5. §. 1. ex S. Thoma & D. Anton. Quia dat occasionē peccato alieno probabilem.

Dico 2. Peccat Tabernarius recipiendo aleatores vacantes lusibus mortalibus. eis mensam sternendo, lumina ad ludendum ministrando &c. Nam & culpæ consentit, & ad illius exercitium juvamen præstat V. l. 1. d. 27. conc. 2.

Dico 3. Tabernarius tenetur satisfacere pro damno dato in rebus à suo famulo, non autem pro vulnere Sá. V stabularius. & Sam. de Lub. V. Taberna. Tenetur quoq; satisfacere pro deposito perdito, licet pereat ex culpa leui. dela super 7. Præc. quest. 7. articulo. 6. Si qui deposuit pro re conseruanda soluit. Quemadmodum custodes siluarum & fluuiorum restituere damna tenentur. quàmuis ex culpa leui accidant Idem l. cit. a. 3. cum communi. Sed hæc in foro exteriori seruantur. In foro enim conscientiæ nemo tenetur nisi de culpa mortali, nisi aliud esset conuentum, vel res exactam diligentiam postularet. Gab. à S. Vinc. & Sâ. V. culpa.

Dico 4.

Dico 4. Tabernarius tenetur restituere id quod vltra pretium, consuetudine vel lege statutum accipit. Quia cum Consuetudo & lex sint consentanea æquitati obligant in conscientia. V. dicta l. cit. d. 19. conc. 14. 15. 16. vbi circa ministerium ciborum aliqua resoluuntur. Benè facerent gubernatores terrarum visitando occultiora tabernarum, maximè vbi tabernæ remotiores. cûm in his fraudulenta homicidia quandoq; exerceantur.

DISTINCTIO XXV.

De obligatione Christianorum vitandi Iudæos.

DIco 1, Lege Canonicâ prohibetur conuersari & communicare cum Iudæis. conuersatione familiari, vt periculum subuersionis caueatur, & dignitas Christianæ Religionis conseruetur.

Dico 2. In speciali prohibentur 1. cohabitare Iudæis. Et sic prohibetur esse famulum, esse seruum, non verò prohibetur laborare si vitetur nimia familiaritas vt habet Gab. à S. Vinc. V. Iudæi 2. Balneare simul. Quòdsi, licèt in eodem balneo sint, non communicant, non fit contra hanc prohibitionem, Bonac. circa 1. præc. d. 3. q. 4. p. 6. 3. Medicos adhibere. Si Iudæus peritior Christiano vocari potest. Bonac l. C. 4. Medicinas ab eis accipere. Præparatas tamen à Christianis, licèt emere à Iudæis, docet Sylu. V. Iudæi Immo secundum Turrecremata relatum à Bonacina licet accipere paratas à Iudæis, modo eas infirmo non exhibeant, 5. Comedere azyma earum. In his quinq; casibus prohibetur participatio cum Iudæis, Clericis quidem sub pœna depositionis, laicis sub pœna excommunicationis ferendæ per Clericum intellige in sacris vt est in textu. 6. prohibetur ad Iudæorum conuiuia accedere. Non fit contra hanc prohibitionem si Christianus & Iudæus in taberna in eadem mensa, non tamen communicantes manducent. Vel si Christianus in diuersorio Iudæi cibos à Iudæo, non tamen quos ipse discernit, emat. Docet etiam Layman. l. 2. tr. 1. C. 17. ex Caiet non esse mortale, semel cum Iudæo manducare cibos non discretos 7. Eorum infantes, in domibus eorum nutrire. Extra domus eorum, id non prohibetur. 8. Eos ad officia publica inter Christianos admittere. Si quis iudicum hoc permiserit velut Sacrilegus debet excommunicari. Notatur in marginibus Armillæ, hodie non omnes seruari dictorum casuum. Numero vero tertio V. Iudæus dicitur. *Cessante periculo subuersionis & iniuria fidei nostræ, & contemptus, non video mortale, si ex aliqua causa fiant.* Censet autem periculum subuersionis esse si nimia familiaritas adsit. Solet addi ne Christiani ad nuptias vel solemnitates Iudæorum accedant, Item ne choreas cum illis ducant. Nec Synagogas inuisant ijs temporibus, quibus ab ipsis superstitiosa celebrantur. Sed secluso periculo subuersionis non est illicitum inuisere. Affine est, quod non liceat Iudæis locare bona in quibus exercetur jurisdictio temporalis in subditos. Nam locans laicus debet excommunicari, Sam, de Lub. V. Iud. cum Piasecio.

Dico 3. Non eſt prohibitum Chriſtiano res ſuas locare Iudæo, v. g. currus, boues, &c. Immo licet ei vendere ea, quibus vtitur in cæremonijs ſuis, ſed non eâ intentione, vt vtatur, ſicut nec cum probabiliter ſcitur illis abuſurum.

Dico 4. Nullo modo poteſt cohoneſtari ædificare Synagogas Iudæis. Quia licèt talis ædificatio methaphiſycè loquēdo, poſſit à malo fine præſcindere, moraliter tamen non poteſt. Quia hic & nunc in finem iniqui cultûs ædificatur. Ita præter alios docet Makouius ſup. Decalog. tr. 1. d. 2. q. 2. a. 1. Addit idem doctiſſimus Theologus, & præclarum celeberrimæ Academiæ Crac. decus, etiam opem præſtare, aut ligna, calcem &c. vendere, ad ædificandas vel reparandas Iudæorum Synagogas, eſſe peccaminoſum. Et licèt permittat Eccleſia Iudæis, reparare ſynagogas, non tamen vult vt id miniſterio Chriſtianorum fiat.

ADDITIO I.

De non alienandis Regularium bonis.

SAcra Congregatio Concilij in decreto juſſu Vrbani VIII. edito 1624. die 7. Septemb. abrogatis omnibus indultis & priuilegijs quomodolibet Religionibus conceſſis, omnibus Superioribus Regularium, *omnium rerum & bonorum immobilium ac pretioſorum mobilium alienationem. omneq; pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos ſeu vitalitios, hypotecam, locationem & conductionem vltra triennium, concesſionem in feudum, vel emphyteuſim, præterquā in caſibus à jure permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atq; interdicit abſq; ipſius Congregationis Concilij expreſſa licentia, in ſcriptis & gratis concedenda, ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſq; actiuæ & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quam ipſo facto abſq; alia declaratione incurrant, ſublatâ etiam Generali & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate. Pœnis nihilominus Apoſtolicarū Conſtitutionū & præſertim fel rec. Pauli II.* quæ incipit. *Ambitioſæ in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò & pacta cenſus, hypothecas, locationes, conductiones & conceſſiones quaſcunq; contra huiusmodi prohibitiones faciendas, Sanctitatis ſuæ authoritate ipſo jure nullas atq; irritas decernit.* V. Lezanam to. 1. Q. Q. R. R. C. 10. n. 1. & ſequentibus. Bonac: de alienat. bonor. Eccleſiaſt. diſp. 2. quæſt. vnicâ. punc. 1. Hoc decretum obligat licèt alienatio bonorum Monaſterij ſit vtilis. Vnde alienationem eſſe neceſſariam vel vtilem Eccleſiæ vel Monaſterio ſolùm eſt cauſa juſta ad impetrandam licentiam à Sede Apoſtolica vel S. Congregatione. Lez. l. c. n. *. vbi refert caſus in quibus licita eſt alienatio, poſitâ tamen neceſſitate vel vtilitate Eccleſiæ, non recurrendo ad ſedem Apoſtolicam. Nomine alienationis, præter alia, venit pignus ſecundùm Lez. & alios, permutatio, niſi ſit inter Eccleſias vel Monaſteria & vſus fructus &c.

ADDI-

ADDITIO. II.

De nonnullorum Religiosorum vitalitiis redditibus.

SVpposità sententià Religiosos posse etiam post Concilium Trid. habere vitalitios redditus ad vitandam proprietatem aliquæ conditiones ponuntur à DD.

Primo Vt illos non habeant quoad dominium tanquam suos proprios, sed solùm quoad simplicem vsum facti congruentis pro suis particularibus necessitatib⁹. *Secūdo.* Vt eos habeant ex Superiorum licentia. *Tertio.* Vt huiusmodi redditus sint moderati. *Quarto.* Vt prædicti redditus sint incorporati communibus bonis Monasterij. *Quinto.* Vt sint reuocabiles ad nutum Superioris. *Sexto.* Vt non malè vtantur, expendendo illos in vsus illicitos & prophanos. *Septimo.* Vt non vagè & ad vsus indeterminatos illis relinquatur dispositio prædictorum bonorum, sed solùm ad vsus determinatos, pios, licitos, necessarios & à Superiore cognitos. *Octauo.* Vt id fiat ex iusta & rationabili causa. *Nono.* Vt prædictos redditus concessos non penes se habeant sed in manu publici officialis per Superiorem assignati, vel incommuni deposito, iuxta leges Religiosorum. *Decimo.* Vt subditus quando ab officiali necessaria petit exponat in particulari suas necessitates. aliàs tantùm esset officialis materialiter, & subditus esset dispensator cùm illa bona pro libitu acciperet & distribueret, quod est contra mentem Tridenti. Vel dictas necessitates exponat Superiori iuxta leges vel praxim Religiosorum. V, Eligium Basleum V, Paupertas Religiosa. V, dicta in 4. d. 8,

ADDITIO III.

De commutatione votorum.

DE voto egi in 1. Sent: Mor. d. 14. & 15. in gratiam Confessariorum tempore Iubilæi hæc (sed non omnia) ex Moscicensi addo. Hæc ergo, circa dictam commutationem veniunt consideranda,

Primo. Maior Dei honor, & quòd ei gratiùs aut æquè gratum sit futurum id quod subrogatur. *Secūdo.* Reipublicæ aut etiam vouentis vtilitas, vt si magis congruit saluti eius Spirituali. Vnde expedit mutationem facere, in res quas vouens sibi elegerit, vel solitus est facere, non alligando ipsas ad tempus. *Tertio.* Finis ad quem votum ordinatur, vt si quis propter castitatem vouit peregrinationem, magis conducent ad eam jeiunium & oratio, frequentatio Sacramentòrum. Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac Meditatio. *Quarto.* Obligatio vouentis respectu rei promissæ. nam si votum esset de vitando peccato (v. g. fornicationis.) minori commutatione opus est, quia per cōmutationem non tollitur obligatio præcepti, nisi illud votum valde arceret à peccato, tunc enim subrogandum esset opus correspondens tali fini. Hinc, si votum conduceret ad hunc finem, commutandum esset

esset in perpetuam menstruam confessionem: Si non, in Rosarium totum semel quolibet mense, per triennium. 5. Habenda est ratio difficultatis in adimpletione rei promissæ & subrogandæ. v. g. jeiunium pauperis commutandum in minorem eleëmosynā, quæ difficilior est pauperi quā diuiti, & pauciora jeiunia imponenda laborantibus cholericis & debilibus, quàm otiosis, phlegmaticis, robustis. *Sexto*, Perpendenda est vouentis fragilitas, curandumq; est, ne nimis grauetur, ita vt maneat expositus periculo transgrediendi materiam subrogatam. *Septimo*. Expensæ, considerandæ, sed illæ quæ vltra domesticas & ordinarias fierent, labor itineris, sufficit autem expensas erogari in pias causas, vbi vouenti placuerit. *Octauo*. Dum Confessarius commutat in opus æquale, æqualitas non est scrupulosè accipienda, sed moraliter ita vt prudentis arbitrio, nulla aut parua differentia esse videatur, vel saltem non sit certum bonum subrogatum non esse minus, bono antea promisso. Sed hoc vltimum tantùm locum habet in confessario priuilegiato v. g. tempore Iubilæi &c. si verè admisceatur dubium de æqualitate vel quasi æqualitate materiæ subrogandæ nam in tali casu, cùm materia subroganda sit iudicanda minor (possessio enim stat pro voto) necessarium est in parte dispensare, quod non conceditur Cōfessario simplici. *Nono*. Æqualitas inter materiam præsentem voti & materiam subrogandam, non est attendenda ex materia bonorum (constat enim orationem esse suâ naturâ nobiliorem jeiunio, peregrinatione & Eleëmosyna, & tamen pro vnius diei jeiunio, non sufficeret recitatio vnius partis Rosarij, neq; semper DEO gratius vouentem facere id quod per se excellentius est) sed attendēda æqualitas secundùm proportionē rei ad rem, vel quoad acceptionem DEI vel vouentis salutem pensatis circumstantijs. *Decimo*. Æqualitas materiæ subrogandæ respectu promissæ non est attendenda secundùm durationem magnitudinem aut numerum, v. g. quòd votum perpetuum commutetur in materiam perpetuam, si perpetuitas ex alio capite compensetur.

Pro meliori notitia, ponuntur exempla mutandorum votorum. *Primum*, est *ex C. venientis de voto*, vbi commutatur votum Hierosolymitanū cuiusdam, factum in ætate puerili, commutatur inquam ob iustam causam, vt id eleëmosynis redimeret, & toto vitæ curriculo vni pauperi prouideret.

Secundum. ex C. *magna de voto*, votum cuiusdam Episcopi commutatur, vt expensas eundi, redeundi & commorandi ibi, integrè mittat (quamuis hoc aliàs non sit necessitatis) & laborem itineris compenset, sollicitiùs instando vigilijs, deuotiùs vacando orationibus, & fortiùs se exercendo jeiuniis.

Tertium. Labor voti peregrinationis sic commutatur à doctis. Si peregrinatio pedestris esset promissa, vt vltra expensas, labor vnius diei commutetur in jeiunium vnius diei, & duorum dierum in duo jeiunia & sic deinceps. si non est peregrinatio pedestris, vt labor quatuor dierum cōmutetur in jeiuniū vnius diei.

Quod si peregrinatio mendicatò fuit promissa nullæ expensæ sunt attendendæ sed labor & humiliatio.

Quartum. Votum non contrahendi Matrimonium commutari potest in confes-

confeſſionem ſingulis menſibus per triennium & in nouem Sacra. Sanch. l. 4. c. 56. cum nonnullis. Poſſet addi (ait Moſc. de Iubilæo) breuis aliqua oratio ſingulis diebus ad mortem.

Quintum. Votum Sacerdotij aſſumendi, in recitationem quotidianam Pſalmorum pœnitentialium cum Litanijs. vel Officij B. V. M. vel integri Roſarij & in Confeſſionem ac communionem ſingulis quindennis poteſt commutari item ſic vouens faciat celebrari ſacrum quolibet menſe, & voueat caſtitatem in ſtatu ſæculari. Moſcicen. cum Sanch. Quodſi vellet contrahere, addendum jeiunium ſemel in hebdomada. ita DD. citati.

Sextum. Votum ieiunandi ſemel in ſeptimana, in confeſſionem & communionem triennio ſingulis quindennis & in tria ſacra facienda poteſt commutari, aut in recitationem Roſarij & eleëmoſynam modicam qualibet ſeptimanâ perpetuò faciendam,

Septimum. Votum ingrediendi Religionem Dominicanorum attendendo debitam perpetuam abſtinentiam à carnibus. jeiunium ſeptem menſibus, quolibet anno &c. Sic commutandum ab habente poteſtatem, judicat Medina l. 1. Summæ. C. 14. §. 7. in tr. de comm. reg. 3. Vt vouens, per totam vitam ſemel in qualibet ſeptimana jeiunet. confiteatur & communicet ſingulis quindennis. erogét eleëmoſynam iuxta ſuam facultatem, & quotidie recitet Pſalmos pœnitentiales. pro eadem refertur Sayrus in Claui regia l. 6. C. 12. n. 21. Sed Sanchez loco cit impugnat.

Cæterum in grauibus caſibus meliùs eſt miſcere diſpēſationem, exiſtente iuſtâ cauſa in parte diſpenſandi & ſuppoſitâ facultate diſpenſandi, quam non habet quilibet Confeſſarius. Quâ partiali diſpenſatione ſeclusâ non audet Sanch. commutationem in quarto & quinto caſu judicare æqualem.

Et ſic benè monet Eligius Baſſæus Capucinus. Confeſſarij imperiti onus cōmutandi vota in ſe non ſuſcipiant ſed conſulant habentes peritiam commutandi, quia defectu huius, multæ ridiculæ ſæpè commutationes fiunt. Si autem Confeſſarius nequit peritiorem conſulere eò quòd pœnitens renuat expectare, dicat ſecundum citatum immediate Doctorem. ex nunc commuto tibi votum hoc, in res quas iudicabit talis Doctor, ad cuius ſententiam te obligo. Nec eſt neceſſarium vt determinatio materiæ fiat tempore Iubilæi ſi dicto modo commutatio fiat tempore Iubilæi. Colligo ex Bonac: d. 4. ſuper Decalogum q. 2. punc. 7. §. 3. 34. circa finem, vbi huius oneris non meminit, immo loco immediatè ſequenti abſolutè & ſine reſtrictione dicit, cognitâ cauſâ poſſe Confeſſarium differre poſt tempus Iubilæi commutationem, & rationabiliter.

ADDITIO IV.

Ad diſtinctionem 87mam. ſecundi Sententiarum.

SIcut in alijs Sacramentis, ita & in Sacramento Matrimonij hæc tria reperiuntur

Sczt. Sacramentum tantùm Res Sacramenti tantùm. Res & Sacramentum simul. Sacramentum tantum, est expressio externa & sensibilis, interni consensûs. Res Sacramenti est, tum gratia Sacramentalis, tum vnio Christi cum Ecclesia. Res & Sacramentum simul, est maritalis cõiunctio. siue vinculum illud, quod sequitur ex contractu matrimoniali. Significatur enim per contractum, & simul vt per ipsum expressa, significat tum gratiam Sacramẽtalem, tum vnionem Christi cum Ecclesia, Gonet in Manuali Thom, de Sacramento Matrimonij C. 2.

ADDITIO V.

Ad distinctionem 90. eiusdem libri.

REgulares priuilegiati possunt dispensare cum coniugibus incestuosis, vt petant debitum. Possunt dispensare, extra Monasterium, sine deputatione facta à Superiori, extra Sacram. Pœnitentiæ, & amoto Superiori, supposito quòd licentiam dederit Colligo ex Donato Laynensi to. 3 tr. 4. q. 40. circa finem, absolutè enim loquitur, & insinuat priuilegium Martini V. Antonius verò à Spir. S. in Directorio Regularium tr. 2. disp. 1. sect. 2. §. 3. id expresè docet, & pro tribus posterioribus partibus D.D. citat, vbi etiam docet hanc potestatem quam tribuunt Prælati ad dispensandum in debito cum coniugibus incestuosis, extendi ad eos, qui cognationem spiritualem contraxerunt, & refert Villal & alios.

ADDITIO VI.

Ad distinctionem vltimam, eiusdem.

REgulares priuilegiati possunt dispensare ad petendum debitum cum cõiugatis qui post votum castitatis contraxerunt, vel illud post Matrimonium, etiam de consensu vtriusq; emiserunt, Nam cum hoc votum castitatis in coniugatis, non sit integræ castitatis, sed tantùm non petendi debitum, inde fit quod non si absolutum & perpetuum, sed ex parte, ac per consequens non est Papæ reservatum. Ant. à Spir. S. tr. 2. d. 1. Sec. 2. p. 2. & d. 3. sect. 2. §. 2. cum alijs. Vdist. 15. primi conc. 9, Hæc facultas non solum extenditur ad fideles illius diœcesis, in qua est Religiosus, sed ad omnes vndequaq; venientes. Item exerceri valet absq; deputatione à Prouinciali. Ant. à Spir. S. tract. 2. dist. 1, sect. 2. §. 3. quoad vtramq; partem.

ADDITIO VII.

Ad distinctionem 5tam. tertij sententiarum.

PVblicè percusor Clerici, ante declarationem judicis, non est euitandus. Quia licèt ex Conc. Constantiensi in duobus casibus teneamur excõmunicatos euitare, nempe per cedulones, & publicè Clericorum percussores, tamen dictum Concilium declarauit, regulam habere locum tunc, quando percussio est ita no-

ita notoria. vt nullâ possit tergiuersatione celari, ac nullo juris remedio excusari, quod nunquam aut rarissimè potest euenire. Etenim etsi notorium sit. Titium percussisse personam Ecclesiasticam, nihilominus notorium minimè est, nullam excusationem posse habere. Quoniam poterit dicere hoc fecisse causâ honoris vim vi repellendo ad sui defensionem, vel causa disciplinæ, vel quia eum inuenit cum sua vxore, vel sorore, vel quia non habebat scientiam Canonis, vel quia percussit non in loco publico, nec coram testibus opportunis, vel in somno, vel ebrietate, vel inaduertēter. Quia pensabat percutere laicum & percussit Clericum sibi ignotum, vel in iræ calore, vel in primo motu, & similibus, ob quæ percussor debet citari. Ita Donatus Laymensis to. 1. p. 2. tr. 13. q. 52. cum alijs. Sufficit autem declarare delictum. Vide citatum, tom. 2. p. 2. tr. 2. q. 2.

ADDITIO VIII.

Ad distinctionem decimam eiusdem libri.

NOmine censuræ ab homine latæ, venit censura particularis, siue hæc sit quoad personam, in quam determinate fertur, pro commisso peccato. Siue sit solùm quoad delictum, quoad personam verò confusè, videlicet in eum, vel in eos, qui commiserunt tale crimen. V. Mosc. in Exam. Approb. tit. 6. q. 11.

Quarta & sequentes interponendæ erant huic 2. editioni sed quia in absentia Authoris tantùm insinuatæ, ideo secundò vt additiones impressæ.

ADDITIO IX.

De non ambigendis inter Religiosos officiis.

EX Clemente VIII. in Decretis pro reformatione Regularium approbatis à S. Cong. jussu S. D. N. Vrbani VIII. sic habetur contra Religiosos ambitiosè pro se vel pro alijs vota vel suffragia procurantes. *Vt omnis officiorum ambitús occasio præcludatur, caueant omnes à directa vel indirecta vocum, seu suffragiorum procurattione, tam pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præsertim generalibus Capitulis aut Congregationibus, seu alibi. Quicunq; secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pænam priuationis officiorum, quæ obtinent, eò ipsò incidant & ad futura quæcunq; pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis à nemine dispensari possit, nisi à Nobis vel Successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauiùs etiam plectantur. Porro supra dictas omnes pœnas ad complices ác simpliciter scientes & non reuelántes extendimus.* Per hæc tamen non tollitur, quominus electores possint procurare, quòd dignitates dentur dignis & indigni excludantur. Nec etiam tollitur per hoc decretum quòd iidem electores possint secum de qualitatibus eligendorum tractare, etiam vitia manifestan-

festando, virtutesq; ostendendo, seruata tamen iustitiâ, charitate & veritate & cum recta intentione, sc, quòd dignior præferatur.

ADDITIO X.

De non aggrauandis per visitatores locis visitatis.

CAueat visitator ne grauet visitatos in cibo & potu quærendo ab eis cibos delicatos, & pretiosa vina sed debet esse mediocritate contentus, vt probat Peirinis to. 1. priuileg. Minimorum Constitutione 14. Leonis X. n. 8.

Visitator se citò expediat ne grauet visitatos, Ita Trid. Sess. 24. de reform. C. 3. ibi. *Studeant quàm celerrimè, debitâ tamen diligentiâ visitationem ipsam absoluere interimq; caueant ne in vtilibus sumptibus cuiquam graues onerosiq; sint* Aduertit Zerola apud cit: n. 9. Si visitatores non pertinentibus ad visitationem occupantur, tenentur ad restitutionem si visitati plusquam solitum expendant.

Videantur dicta l. 3. Sent: Moralium d. 16. de suspensionibus in particulari suspensione sextâdecimâ cuius materia est recipere aliquid vltra victualia. Et sic omne quod non venit nomine victualium prohibetur, prohibetur etiam reparatio laminarum ferrearum pro equis, vt cum nonnullis probabiliter docet Bonac: de susp: in particulari q. 5. punc. 4. n. 2. Victualia extra domum seu pro itinere data non veniunt nomine victualium debitorum. Cum visitatus non teneatur visitatorem per vim alere. Vide Samuelem de Lub. V. Visitatio n. 7. & 8. Vltra suspensionem quam incurrunt tam visitantes jure ordinario quàm eorum familiares recipiendo munera, etiam sponte oblata, incurrunt maledictionem latam C. Romana §. procurationes de censibus in 6. à qua non liberantur nisi restituant vt ibid: exprimitur.

SENTENTIÆ.

A. 1665. Ab Alexandro VII. Summo Pontifice damnatæ. 24. Sept.

1. HOmo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis. ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentiũ.
2. Vir equestris, ad duellum prouocatus, potest illud acceptare, nè timiditatis notam apud alios incurrat.
3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Cõsistorio Sacræ Cõgregationis Eminentiss. Cardinaliũ visa, & tolerata est
4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscunq; sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.
5. Quamuis euidentèr tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Con-

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam; in qua ad Venerem incitat non censetur sollicitasse in Confessione; ac proindè non est denunciandus.

7. Modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est: Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absoluere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani Octaui.

9. Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta

10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa seù oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quãdo alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eò quod sit pœna.

21. Habens Cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contrà iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult se subijcere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens; commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio.

27. Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dùm non constat, reiectam esse à Sede Apostolica tanquàm improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

29. In die ieiunij, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporalitèr laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31 Excusantur absolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcunque iter agant etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter vnius diei conficiant.

32. Non est euidens, quod consuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleëmosynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ vti priuilegijs suis, quæ sunt expressè reuocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodiè sunt re ualidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo *regalo*, dum deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inueniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid vltrà sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quàm per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, vsque dùm adhibita diligentia corrigantur.

Idem Sanctissimus statuit, ac decreuit, prædictas propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimùm, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ità vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim, docuerit, defenderit, ediderit aut de eis etiam disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excõmunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolui.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

SENTENTIÆ.

Ab Innocentio XI. Summo Pontifice damnatæ.

1. NOn est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabilitèr existimo, Iudicem posse iudicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, siuè intrinseca, siuè extrinseca quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.
5. An peccet mortalitèr, qui actum dilectionis Dei ſemèl tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.
6. Probabile eſt, nè ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis erga DEVM.
7. Tùnc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.
8. Comedere, & bibere vſq; ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum modò non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.
9. Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.
10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.
11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos act⁹ externos.
12. Vix in Sæcularibus inuenies, etiàm in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ità vix aliquis tenetur ad eleëmoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.
13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.
14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas.
15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſecutas.
16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.
17. Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.
18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt DEO, & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno.
19. Voluntas non potèſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.
20. Hinc poteſt quis prudentèr repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.
21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis; immò cùm formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus DEVS.
22. Non niſi fides vnius DEI neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.
23. Fides laté dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimiliuè motiuo ad iuſtificationem ſufficit.

eſt ad

24. Vocare DEVM in Testem mendacij leuis, non est tanta irreuerentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. (uis.

25. Cum causa lic tum est iurare sine animo iurandi, siuè res sit leuis, siuè gra-

26. Si quis, vel solus, vel coram alijs, siuè interrogatus, siue propria spontè, siuè recreationis causa, siue quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid quod reuera fecit intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec est periurus.

27. Causa iusta vtendi his amphibologijs est. quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familaires tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tùnc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentũ, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis. quia non tenetur fateri crimen occultum. (landi.

29. Vrgens metus grauis est causa iusta Sâcramentorum administrationem simu-

30. Fas est viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre. si alitèr hæc ignominia vitari nequit: idem quoq; dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regularitèr occidere possum furem pro conseruatione vnius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tàm hæredi, quàm legatario contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se talitèr defendere, sicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtũ, quamdiù in vtero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequentèr dicendum in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui.

37. Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quântumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem Personæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

42. Vsura non est dum vltrà sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex iustitia debitũ.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortalitèr, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix vllà erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquàm pretium, sed dumtaxat tamquàm motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiàm quando temporale, sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46 Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motiuum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles, ipsi iudicauerint ad Ecclesias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparatiuo pro positiuo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos: vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam inuoluere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non est. Vnde si Devs eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cùm coniugata, consentiente marito, non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris sciencèr adiuuat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multotiès eidem subseruit deferendo scalam aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortalitèr, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum seruandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immò quatuor simul à diuersis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55. Præ-

55. Præcepto Cõmunionis annuæ satisfit per sacrilegã Domini manducationẽ.
56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentilitèr viuunt, est nota prædestinationis.
57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò, honestam.
58. Non tenemur Cõfessario interroganti fateri peccati alicuius cõsuetudinem.
59. Licet sacramentalitèr absoluere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicuius festiuitatis, aut Indulgentiæ
60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda; nec differenda absolutio; dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.
61. Potest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.
62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit.
63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi
64. Absolutionis capax est homo quantumuis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium *San*ctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri IESV Christi.
65. Sufficit illa Mysterya semèl credidisse. Quicumque autem cuiusuis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diuisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel prædicauerit, nisi forsàn impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquã in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insupér districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub Interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus, cuiuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandèm, vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seù Scholastici, aut alij quicumque imposterùm se abstineant, & vt paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, vt tàm in libris imprimendis, manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni censura, & nota, necnon à quibuscumque conuicijs contra eas propositiones, quæ adhùc inter Catholicos hinc indè controuertuntur, donèc a S. Sede recognita super ijsdem propositionibus iudicium proferatur.

EXAMEN ORDINANDORVM.

Ex Libris Sententiarum Moralium desumptum.

Ex prologo Sententiarum.

QVid & quotuplex conscientia? V. d. 1. conc. 1. & 2.
Quæ differentia inter agere contra conscientiam scrupulosam & scrupulum? V. d. 4.
Quæ causæ scrupulorum? Quæ remedia contra scrupulos? ibid.
De lege. de præcepto, mox dicetur.
De ignorantia V. circa finem.

EX I. LIBRO.

De præceptis DEI

QVid contineat primum præceptum? V. d. 1. circa finem.
Quid & quotuplex lex? V. d. 1. n. 1.
Quæ differentia inter præceptum affirmatiuum & negatiuum? ibi n. 2.
Quid & quotuplex fides? d. 2.
Quæ tenetur Christianus scire? ibi. conc: 1.
Quando præceptum fidei obligat? ibi. conc: 6.
Quid est spes & in quo consistit? d. 3.
Quando obligat præceptnm spei? ibi.
Quæ vox desperantium, quæ præsumẽtium? ibid.
Quid est Charitas & quando oblig, d. 4.
Quid est Relig o? d. 5.
An Sancti colantur virtute Religionis? ibid. conc: 3.
Quid & quotuplex adoràtio? ibid. conc. 3.
Quæ differentia inter cultum publicum & priuatum? d. 6.
Quid & quotuplex blasphemia & quot modis fiat? d. 7.
Quid est superstitio, & quot eius species? d. 8.
Quid idololatria, diuinatio, vana obseruantia & magia? ibid.
Quid & quotuplex sors? ibid.
Quotuplex cultus indebitus? ibid. conc: 1.
Quid est fascinatio? ibid. §. scias
Ex quibus colligitur implicitum cum demone pactum? ibid. §. quæritur.
Quid & quotuplex tentatio DEI? d. 9.
Quid & quotuplex sacrilegium? d. 10.
Qui non gaudent immunitate Ecclesiastica? ibid.
Quid secundo præcepto prohibetur? fol. 20.
Quid & quotuplex iuramentum, & quas conditiones requirit? d. 11.
Quot modis tollitur obligatio iuramẽti? dist. 12.
Quid & quotuplex adiuratio? d. 13.
Quid & quotuplex votum & quas requirit conditiones? d. 14.
Quæ differentia inter votum simplex & Solemne? ibid.
Quæ tertio præcepto præcipiũtur? f. 32.
Quid est audire Missam? dist. 16.
Quotuplex attentio. quot modis attendimus in horis canonicis? d. 18.
Quot sunt horæ canonicæ & quid significant? ibid.
An ad eas Nouitij & Conuersi ad alias præces sub mortali obligentur? ibid. conc: 2.
Ieiunium quotuplex? dist. 19.
Quo anno incipit & cessat obligare? ibid

Quæ

EX II. LIBRO.

De Sacramentis in genere.

Quæ

De Sacrificio Missæ.

De Pœnitentia.

Quot

De Extrema Vnctione.

De Ordine.

De Matrimonio.

EX III. LIBRO.

De Censuris.

EX IV. LIBRO.

De peccatis, & obligationibus nonnullorum statuum.

miliam? d. 13. §. meminerit tertio. Quæ obligatio Tutorum? d. 21. cōc. 2. Quæ conuersatio Christianis cum Iudæis prohibita? dist. 25.

SEPTEM DAMNA.

Omissionem ex negligentia celebrationis Missæ consequentia.

Ex D. Bonauentura lib. de Præp. ad Miss. cap. 5.

SAcerdos absque peccato mortali & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reuerentia, sed negligentia celebrare Missam omittens. Priuat SS. Trinitatem, gloriâ Angelos, lætitia. Peccatores: veniâ. Iustos, subsidio. In purgatorio existentes, refrigerio. Ecclesiam totam spirituali beneficio. Seipsum medicinâ & consolatione, & remedio, contra quotidianas infirmitates & peccata.

Christus maledicit malis Sacerdotibus.

MAledictus erit visus malorum Sacerdotum: quia non videbunt visionem DEI in me, sed tenebras & pœnas inferni. Maledictæ sunt aures eorum: quia non audient Verba mea sed clamorem inferni & horrorem Maledictus est gustus eorum; quia non gustabunt de bonis meis æternis gaudium, sed amaritudinem æternam. Maledictus est tactus eorum: quia non tractabunt me, sed ignem perpetuum. Maledictus est odoratus eorum? quia non odorabunt odorem illum suauissimum in regno meo excedentem omnia aromata, sed fætorem in inferno habebunt amariorem felle, & pejorem sulphure. Maledicti sunt à Cælo & terra: & ab omnibus Creaturis insensatis: quia ipsa obediunt DEO & laudant: & isti spreuerunt me. Propterea iuro in Veritate mea, qui sum Veritas, quod si sic moriuntur, & in tali dispositione quâ nunc constituti sunt, nunquam Charitas mea nec Virtus concludet eos in se: sed sine fine damnabuntur.

Ex Reuelationibus S. Brigittæ Lib. 1. Cap. 47.

Omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam omnis veritatis Magistram agnosco, judicio submitto.

Ex quo omnia. Per quem omnia.
In quo omnia. Ipsi gloria.
in sæcula.
AMEN.

MONI-

MONITIO.

Nonnulla, præſertim primæ editionis, excuſans.

Perplexa ſanè intellige, attende ad antecedentia & ſequentia.

QVandoq; in aliena ſententia, vel in communi, non attendendo ad particulares v. g Religionum leges, loquor. vel tanquam ſecuriùs, vel ſaltem vt probabile propono, & ſic nec in re, nec Sancto Doctori, contradico.

Inadæquatio cenſurarum relatarum, etiam ſubſtantialis, ſic excuſetur, ut mereantur excuſari Authores ex quibus deſumpſi, hanc inadæquationem (potiùs tantùm inſinuationem) reperies in Authoribus breuiter cenſuras referentibus. miror quòd non moneant. Inadæquatio ſubſtantialis eſt, v. g. quando omittitur conditio ad incurrendam cenſuram neceſſaria. v. g. ſi non reſtituerit &c. accidētalis eſt, quando v. g. non refertur comprehendi complices, vel non enumerantur omnes pœnæ, ab hac ſecunda, vix aliquis Author eſt liber.

Quæ inaduertenter poſita vel omiſſa, intelligantur ſecundùm ſecundam editionem. v. g. citando vnum Pontificem pro alio. Authorem pro Authore. Dictorum immixtionem, notabilis, in alijs, ex obedientia, occupatio, cauſauit. Sic.

LIBRO PRIMO.

Diſtinctione 35. de decimis. conc. 4. excommunicatio & ſuſpenſio inadequatè refertur. &c.

LIBRO SECVNDO.

Diſtinctione 29. de materia conſecrationis Corporis Chriſti, conc. 2. poſt ly, *cui cenſeretur ſubiectus.* adde. *tunc enim teneretur.*

Diſt: 66. de Miniſtro Pœnit. circa reſeruata, con. 6. omiſſa vna excommunicatio, ſed refertur conc. 10.

Dict: 72. de indulg. conc. 10 ſumpta ex ibi citato, iam non tenenda quia aliter à S. C. determinatum.

Diſt: 73 de Iubilæo conc. 3 *quandoq;*, lege. quandocunq;.

Diſt: 78. de ſubiecto extremæ vnctionis. poſt conc. ſextam. *procliuitatem ad bonum.* lege. *ad malum.*

Diſt: 81. de Subiecto Ordinis. n. 7. ſanè interpretare. nam pro maioribus nō requiritur à Scholæ Magiſtro &c. numero 11. circa finem per *licentiam* intellige *diſpenſationem.*

Diſt: 93. de Matrimoniali debito conc. 2. *ante duos menſes induciarum*, adde finitos, ibid. conc. 11. *qua eſt finis ſecundarius*, intellige, *vitatio fornicationis.*

LIBRO TERTIO.

Diſt: 11. referendo excommunicationem 8. Bullæ. C. D. *per Romam* intellige *curiam Romanam.*

13. & *14.* vnam excomm. Bullæ C. D. integrant & 14. eſt omiſſa.

16tâ. contra illos decernunt. lege. *contra ſententias eorum decernunt.*

14tâ. excomm: extra Bullã C. D. reſeruata de permittentibus duellum &c. procedit etiam non ſecutâ pugnâ.

18uâ. excomm: reſeruatâ extra Bullam C. D. *vtentes.* lege. habentes.

20. ante duos menſes non reſeruatur Papæ.

34tâ. ad alium Ordinem, intellige *Mona-*

ſti-

nasticum. attendendo extra vagantem Martini V.

38 adde *ad prouisionem* vel *dispositionem Papæ pertinentibus*.

42 adde *Alexándriam vel in Ægyptum*.

49. *exercentes* adde *recipiendo*.

Ex non reseruatis.

3. procedit, de interdicto & cessatione generali.

4. Vide apud Bonac. vel in noua editione.

9. adde. *& non cessant infra duos menses.*

10. *in Sacris*. adde *debent autem moneri.*

13. est contra Personas Ecclesiasticas Episcopis inferiores. vbi primum *vel*, muta in *&*.

16*tam*. intellige iuxta decimã octauã.

22 est contra laicos. adde in fine 1. partis *nisi moniti destiterint & restituerint.*

30. *&* 31. etiam habetur in B. C. D. per *constitutiones* intellige *traditiones.*

33. *asserentes* adde *pertinaciter*

37*mã*. Vide apud Bonac. vel in noua N. impressione.

Dist: 12. conc. 4. dicitur, *qui verò libros in indice prohibitos legunt aliam excomm: incurrunt, sed non reseruatam.* intellige *prohibitos ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem. non verò bonis moribus contrarios.*

Dist. 15 conc. 5. *non suspenditur, lege, non fit irregularis*

Dist: 16 de suspensionibus. (natu.

n. 3 adde. vel Minores cum Subdiaco-

n 4 primæ parti adde, *dando à proprio Episcopo.* 2da. & 4ta. pars numeri procedit de recipiente Sacros Ordines.

n 5. 1. pars *probabiliter non est contra Prælatos Regulares.*

n. 6 1. parti adde. *donec restituerint.*

n. 13. *aut alicui ad vitam.* adde. *aut ad aliud certum tempus.*

n. 14. per *celebrare* matrimonium intellige, *coniungere vel benedicere.*

2da. verò pars & 3. & 4. videatur vel in 2. N. editione vel apud Bonac. vltima pars loquitur de excommunicatione comminatoria.

n. 15. *ad ministratio Matrimonij* sumitur pro *solemni benedictione*.

n. 16 *in victualibus* adde. *vel alia re. suspenduntur* &c. *si infra mensem duplum non restituant*, donec restituant.

n. 17. 2. pars procedit de scribentibus in fauorem piæ sententiæ contrariã refellendo vel impugnando. qualiter intelligenda 1. pars.

Dist: 18. Dictum ex Fernandez, *interdictum speciale esse dum ciuitas vel oppidum interdicitur.* Sed hoc esse generale clarè patet ex C. *cùm in partibus de verborum significatione l.* 5. *Decretalium* & Doctoribus.

Dist: 20. cõc. 3. *habilitate* lege *collatione.* Ex dictis patet Summistas insinuare non referre censuras.

LIBRO QVARTO.

Distinct: 6. de obligatione voti obedientiæ circa finem, vbi de contemptu, consulantur propriæ Religionũ Constitutiones. Quantùm ad O N. videatur prologi textus 6. litt. N.

Dist: 8. de Paupert. conc. 9. consulãtur propriæ Religionum leges.

Dist: 17. de oblig. testium, ferè ad initium, per ly *tamen* non excludo licentiam à Superiore petendam.

Dist: 19. de oblig. rei. conc. 10. dum citatur Arm. &c. tantùm habetur respectus ad rationem. ibid. §. *dices.* agnoscenda disparitas.

Dist: 20. facientibus testamentum, nota 2. n. 5 de Religiosis vt securiùs pono, aliàs contradicerem d. 17.

Dist: 23. circa exactiones conc. 5. ly *stando* appella supra defraudatores non supra custodes,

Folio.	Errata	Corrige.
5.	depositio,	deposito.
11.	toto,	tota.
11.	vita	via.
15.	censetur,	censentur.
19.	pertinatia,	pertinacia.
20	dela Crux,	dela Cruz.
21.	iurans,	iurant.
23.	nisi palam,	nempe palam.
24.	vigur,	viguer.
26.	quod vide si,	quod si.
28.	preiudicant,	præiudicant.
29.	vota,	voto.
31.	quid,	qui.
33.	offeretur,	offeruntur.
35.	vnus,	vnius.
38.	Cortadum,	Corradum.
41.	per se suam non habent pondus,	per se suum habent pondus.
44.	current,	curent.
ibid.	excusabantur,	excusabuntur.
45.	nisi absit,	nisi adsit.
ibid.	v. d. 18.	v. d. 16.
46.	creatione,	recreatione.
47.	quantitas cibi,	qualitas cibi
50.	quod sit,	quod fit.
ibid.	poterit,	poterat.
66	tamen,	tam.
67.	sine dilectione,	sine delectatione.
68.	improportione,	in proportione.
70.	vltra,	vlla,
86.	constitutionũ 7.	constitutio, n. 7.
89.	Deorum,	eorum.
96.	narradi,	narrandi.
104.	introducere,	introduceret.
119.	cùm ly nomine,	cùm ly nomen.
124.	seruus,	seruos.
139.	Dico,	Dices.
142.	peccati,	peccat.
143.	succu,	succo.
146.	recollit,	recolit.
154.	dicat,	dicit.
	bouum,	boum.
155.	sanguis,	sanguinis.
	volentem,	volantem.
157.	non augeretur,	augeretur.
160.	absolutionem,	ablutionem.
161.	Sacramentum, tantũ	Sacramentum tantùm.
171.	occasionem,	occisionem.
175.	Cælestinus,	Cælestinis.
177.	Liamas,	Llamas.
178.	Grasso,	Graffio:
ibid.	d. 44?	47.
179.	continet,	continent.
181.	est vinum,	si est vinum.
181.	locio,	lotio.
190.	imfamiam,	infamiam.
190.	cedens,	cadens.
194.	Araucani,	Arausicani.
301.	l. 2.	i. 2.
305.	animam,	minimam.
306.	omittendi,	omittenti.
307.	omissum,	Item. ego absoluo te conc. 2dâ.
310	pignorantiam,	pignoratitiam.
313.	Liuius,	huius.
315.	Superiore,	Suppriore.
319.	Gregorii viii.	Gregorij xiii.
328.	d. 12.	d. 11.
329.	non alius,	non aliud.
332.	licèt,	licèt non.
ibid.	an	dele.
333.	serius,	securiùs.
ibid.	168.	1678.
334.	per simole,	per simile, quod.
336.	nec contra,	nec constat.
ibid.	conc. 5.	conc 6.
ibid.	Clem: vi.	Clem: viii.
337.	fidei,	fidei, spei,
341.	notabilem,	notabile.
350.	& sic,	& sit.

351. cha-


Folio.	Errata.	Corrige.
351.	characteris, im pressione.	characteris impressione.
355.	dimissio,	demisso.
369.	fatre Petri,	frater Petri.
371.	affinis Berthæ,	affinis affinibus Berthæ.
373.	aut alter,	aut aliter.
375.	si iuuentus,	si inuentus.
376.	si imprægnata	sit imprægnata.
381.	circa fidem,	circa finem.
384.	nullam inferrat,	nullam inferet.
384.	nouisset,	vouisset.
385.	obligata reddendi.	obligatio reddendi.
386.	iuri petenti,	iuri petendi.
387.	concilium est	consilium est.
391.	aut faciente	aut fauente.
391.	ut est,	aut est.
392.	notrios,	notorios.
393.	cum ne eo,	ne cum eo.
396.	ad 1 cōc. 2,& 3.	d. 1. conc: 2, & 3.
401.	non soluas,	non soluas, reincidas.
401.	præsumptibus,	præsumentibus.
404.	nec excommunicati,	ne excommunicati.
405.	fauorem dantes. etsi,	fauorem dantes etsi,
ibid.	potest,	post:
409.	non comprehenditur.	non comprehenduntur
409.	trigesima 7ma,	trigesima secunda;
415.	liceat Episcopes,	liceat Episcopis.
416.	ideo de eo,	idem de eo.
419.	assistens Missæ suspensi peccat.	assistens Missæ suspensi non peccat.
419.	Eucharistico,	Ecclesiastico.
419.	ordinatur, bonâ fide,	ordinatur bonâ fide;
425.	nâm absoluto,	nam absolutè.
426.	deest tamen.	debet tamen.
427.	Aug. V. Interd.	Ang. V. Interd.
428.	& sic,	& sic sicut,
428.	in	imò qui in;
430.	Salmânticè.	Salmanticæ.
435.	spomæ,	spumæ.
435.	cum salia;	cum alia.
447.	lœderetur;	læderetur.
447.	diponitur,	disponitur.
450	opressæ,	oppressæ.
ibid.	Cornelio,	Corneio,
453.	illicitæ conc: 7,	licitæ.
ibid	obortus,	abortus.
457.	c. 2, 4 n. 2.	c. 2. n. 21.
460.	exindigentia,	ex indecentia.
465.	non peccant,	non peccat.
ibid.	are alieno, non tam,	ære alieno. non tamen;
471.	lect. 2.	sect. 2.
472.	inflictas,	infligendas,
475.	vsu fructus, prætio, posident, moraliter,	vsu fructu, pretio. possident. mortaliter;
476	depositi,	etiam depositi.
480.	frunctionem, beneficiari,	functionem. beneficiárij.
481	excusa,	excusat.
482.	cándalum,	scandalum.
483.	conceditur. Clericis,	Conceditur Clericis.
484	spurius,	vnde si filius spurius.
ibid.	si,	si vel in præsentia parentum malediceret vel alij grauiter, scandalizarentur.
487.	excómunicatur	excommunicantur.
488.	sua auxilij,	sui auxilij.
595.	subordinationes,	subornationes.
496.	filios familias,	filius familias.
499.	efficatiùs,	efficacius
500.	commestione,	comestione.
501	defraud tur,	defraudantur.
505	Tridenti,	Tridentini.
515	familaires, solario.	famliarés salario.
516.	iam clarum,	tam clarum;
518	distt 33.	dist. 23.

mon. 2. edit. 2. legi securiûs. legi. securiùs,

Cætera beneuolus Lector corrigat excuset & in Domino valeát.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023500



SENTENTIÆ
MORALES
F. FERDIN
OCHM